



FORMULARIUM
CRIMINALE
PRAXIS ILLUSTRATÆ
P. LUDOVICI M. DE AMENO.
PARS SECUNDA.

FORMULARIUM

C R I M I N A L E

PRAXIS ILLUSTRATA

P. LUDOVICI M. DE AMENO

PARS SECUNDA

FORMULARIUM
CRIMINALE
PRACTICÆ ILLUSTRATÆ
PARS SECUNDA.

In qua formæ omnes Causarum, quæ in Foris Ecclesiasticis, ac Regularibus tractantur, ad Sacrorum Canonum præscriptum per extensum traduntur.

O P U S

Superioribus omnibus, maximè iis, qui in actis Fori contentiosi sunt parùm versati non tam utile, quàm necessarium, cùm per hoc quivis etiam Tyro in materia Criminali, ad Processus quosvis rectè formandos manuducatur.

AUCTORE A. R. P.

LUDOVICO M. SINISTRARIO
DE AMENO
RIPARIÆ S. JULII NOVARIENSI.

Strictioris Observantiæ Minorum Lectore Emerito Illustriss. & Reverendiss. D. Archiepiscopi Avenionen. olim Theologo, & in Spiritualibus Vicario.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. ALDERANO CYBO
SACRI COLLEGII APOSTOLICI DECANO

Totius Ordinis FF. Minorum Protectori Vigilantissimo.



R O M Æ, MDCXCIII.

Typis Joannis Jacobi Komarek Bohēmi apud S. Angelum Custodem.

SUPERIORUM PERMISSU.

FORMULARIUM
CRIMINALE
PRACTICAE ILLUSTRATAE
PARS SECUNDA.

In qua sunt omnes Causae, quae in Foris Ecclesiasticis, ac
Regularibus tractantur, ad Sacrorum Canonum
praescriptum per extensum traduntur.

OPUS

Superioribus omnibus, maxime in actis hinc contentis, sunt parum versari
non tam utile, quam necessarium, cum per hoc quavis etiam Tyro in actibus
Criminalibus, ad Processus quovis recte formandos manducetur.

AUCTORE A. R. P.

LUDOVICO M. SINISTRARIO
DE AMENO
RIPARIAE S. JULII NOVARIENSIS.

Scriptoris Observantiae Altissimi Celsissimi Imperatoris, & Reverendissimi Archiepiscopi
Novenarum, olim Theologo, & in Spiritualibus Vicario.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPALI

D. ALDERANO CYBO
SACRI COLLEGII APOSTOLICI DECANO

Totius Ordinis FF. Minorum Protectori Vigilantissimo.



R O M A E, MDCXCIII.

Typis Joannis Jacobi Komarck Bohemici apud S. Angelum Custodem.

SEPERAOKUM PERMASSU

LECTORI BENEVOLO



ON sine consilio in unum congeffimus omnes Formulas criminaliter procedendi, postquam tractationes absolutas de actibus forensibus in Prima Parte dedimus. Opportuniùs fortè nonnullis visum erit, post Titulos datos, formas singulis congruentes dare, facem ad hoc præferentibus Durando in Speculo, Ferrario in Practica, Hostiense in Summa, Sgroi in Luce Prælatorum; ultrà alios, quos recensere, superuacaneum est. Sed quia pro inexpertis scripsi, & aduerti difficultates, quas isti in casuum contingentia offendunt, commodius, & facilius fore pro ipsis putavi, si formas omnes separatas à Titulis, continuatasque dedissem. Cum enim sufficientem peritiam agendorum non haberent, easque à libris expiscari cogerentur, fiebat, quod totum codicem reuoluere cogerentur, antequàm formam desideratam reperire potuissent: & multoties accidit, quod actus quosdam præpõterarent, quosdamque essentiales omitterent, quæ omnia ansam tribuerunt Patronis dicendi de nullitate Processus; sicque vel Rei indebitè absoluti, vel periculosa contentiones inter Iudicem, & Patronum euadebant, cum damno iustitiæ, & religiosæ quietis iactura. Ordinem proindè mutauimus, & seriè non interruptâ, schemata singularum formarum pro singulis Causis dedimus. Præmissimus generales inquisitiones, paternam, & iudiciale, ineundas per Ordinarios, aut Delegatos; exindè tradidimus speciales tum ex officio, tum ad instantiam Partis; his subiecimus probationes Corporis Delicti; mox Testium examen; postea Rei constitutionem; huic supposuimus Defensiones; subindè modum Torturæ; ex post methodum sentiendi; postremò Appellationes. In his formas diuersas, iuxtà casus eas requirentes dedimus; interseruimus quoque Adnotationes, quibus possit Iudex, Reus, aut Patronus instrui secundum accidentium varietatem. Et cum nec sic sufficienter prouisum inexpertorum necessitatibus duxissem, eò quia initiato, verbi causa, Processu, non immediatè subiungitur forma, pro constantia Corporis Delicti probanda, cæterisque &c. Sed primam assumptam subsequentes formæ incipiendi diuersos à Causa Processus interrumpunt; ideò, præmissis ijs, quæ in omni iudicio de necessitate interueniunt, recapitulauimus, quasi per Iudicem omnem seriem singularum Causarum, ità ut certissimum sit manuductorium,

quo

quo dirigatur Iudex Regularis per omnes actus, ab initio usque ad
Causae cuiusvis complementum ordinate praestandos; & hoc modo,
quantum fieri possit, consultum censui difficultatibus, in quas passim
in Criminalium litium Actis inexercitati solent impingere. Fruere
ergo, Lector Amice, tibi oblata facilitate, & Deo vitam, & incolu-
mitatem concedente, quam primum Tertiam Partem de Delictis, &
Poenis habebis.



APPROBATIO ORDINIS.

Formularium Criminale Praxis Illustratæ Partem secundam ab A.R.P.F. Ludouico Maria de Ameno elaboratum, de mandato Reuerendissimi P. N. Commissarij Generalis F. Antonij ab Introduco, Nos infra scripti attentè consideramus Opus hoc ad coercenda regulariter crimina compositum, non admittit in se vllum crimen contra Fidem Catholicam, bonos mores, aut sanam doctrinam; nec tantillum à rectitudine torquet, cum ad alios dirigendos, ceu firma Regula sit excultum. Et cum non Religioni nostræ solummodò, sed etiam ceteris sit in re Criminali, maximè pro futurum, quantum nostra interest, dignum hoc iudicamus, quod publici iuris fiat. Dat. in Conuentu S. Petri in Monte Aureo de Vrbe die 22. Iunij 1692.

*Fr. Ioseph Maria de Montefortino Lector Gen. & Guardianus.
Fr. Philippus à Castro S. Petri olim Sacræ Theol. nunc Sacror.
Canon. Lector.*

FR. ANTONIVS AB INTRODUCO Ordinis Min. Regularis Obseru. S. P. N. FRANCISCI, Lector Iubilatus, & in tota Cismontana Familia, tam Obseruantium, quàm Reformatorum Commissarius Generalis, & seruus. Dilecto Nobis plurimum in Christo Reuerendo P. F. Ludouico Mariæ ab Ameno Concionatori Generali, & Lectori Emerito nostræ Reformatæ Prouinciæ Sancti Didaci. Salutem in Domino sempiternam.

CVM iuxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones reuisum, & approbatum fuerit quoddam opus à te compositum, cuius Titulus est *Formularium Criminale Praxis illustratæ*, quo ad secundam Partem, tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum facultatem tibi impertimur, quatenus seruatis seruandis illud Typis mandare queas. Vale Deumque pro Nobis iugiter exora. Dat. ex nostro Aracelitano Conuentu de Vrbe die 28. Iunij 1692.

Fr. Antonius ab Introduco Commiss. Gen.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

Stephanus Ioseph Menattus Episc. Cyrenen. Vicef.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatij Mag.

INDEX SECTIONVM
SECUNDÆ PARTIS
PRACTICÆ CRIMINALIS
ILLVSTRATÆ.

SECT. I.

*Traduntur Formulæ Inquisitionis, siuè Vi-
sitationis paternæ, ac iudicialis.*

SECT. II.

*Dantur formæ initiandi Processus, vsque
ad Corpus Delicti probandum.*

SECT. III.

Habentur formæ probandi Corpus Delicti.

SECT. IV.

*Exhibentur formæ omnes examinandi Te-
stes.*

SECT. V.

*Afferuntur formæ constituendi, & exami-
nandi Reum.*

SECT. VI.

*Demonstrantur formæ concedendi, & fer-
mandi Defensiones.*

SECT. VII.

Agitur de Tortura Rei.

SECT. VIII.

Tractatur de Sententia.

SECT. IX.

Præscribitur modus Appellationis.

SECT. X.

*Recapitulantur ordinatè omnes formæ præ-
cedentes pro quavis Causa.*

SECT. XI.

*Miscellaneæ quædam formæ actuum Causa-
rum Criminalium spectantium ad Supe-
riores Prouinciales, ac Locales afferun-
tur.*

FORMVLARIVM CRIMINALE

SECTIO I.

In qua traduntur Formulæ Inquisitionis, siuè Visitationis generalis Paternæ, ac Iudicialis.

I. *Antequam tradamus Formulas, secundum quas Prælati se gerunt, tanquam Iudices in Foro contentioso, expedit eam tradere, quam seruare debent, ut Patres, in Foro Regulari. Et quia hoc consistit in Visitatione Generali paterna, prius de ea loquemur. Cum verò fiat Visitatio à Prælato Prouinciali, tanquam Ordinario, & à Visitatoribus Commissarijs à Generali, aut Prouinciali Delegatis, de utrisque res tradenda est.*

II. Forma Visitationis generalis paternæ, quæ fieri debet à Prælati Prouincialibus.



N nomine Domini. Amen. Hæc est Visitatio Generalis, quam facere intendit Fr. N. Minister Prouincialis Prouinciæ N. in Conuentu N. &c. Mensis, &c. Anni, &c.

Conuocatis capitularitè Fratribus ad signum solitum Campanæ, illis, pro debito, verbum Dei proposuimus, & Visitationem intimauius: omnes in Domino admonentes, & formali præcepto Obedientiæ adigentes, vt dicerent, quæ de iure dicenda veniunt; & non ex odio, aut praua quauis animi affectione, sed ex sola charitate, & Regularis Obseruantie zelo, mouerentur.

Postea visitauius Ecclesiam incipiendo ab AVGVSTISSIMO SACRAMENTO; deindè Altaria, Reliquias Sanctorum, Oleum Infirmorum, Capellas, Confessionalia, Sepulturas, Sacristiam

cum paramentis, & vasis sacris, Officinas Conuentus, & Cellas Fratrum; & inuenimus, &c. Et hic describatur status, in quo prædicta reperta fuerint.

Tandem vocatis Fratribus, ab vltimo incipiendo, vnumquemque illorum interrogauimus super sequentibus Articulis.

1. An in Diuino Cultu Religiosa deuotio, & pietas in Conuentu eluceat?
2. An Sacri Ritus, & Cæremoniæ, ex præscripto Constitutionum, seruentur?
3. An ad Diuina Officia die, noctuque omnes, qui tenentur, diligenter conueniant?
4. An in Ecclesia aliquis indeuotè versetur, aut confabuletur?
5. An in Refectorio victus communis seruetur, & lectio continua habeatur?
6. An silentium in locis, & temporibus debitum seruetur?
7. An votorum, vel præceptorum essentialium Regulæ transgressiones vigeant?
8. An aliquis Religiosus ita immorigerate viuat, vt cæteris scandalo sit?
9. An Superior localis prouiderit Fratribus necessaria; eos monuerit, corripuerit, & ad exigentiam castigauerit indifferenter, & sine passione?
10. An Apostolicæ Constitutiones, Decreta Sac. Congreg., & Statuta Ordinis, suis temporibus fuerint lecta?
21. An Superior Localis, ad normam

Constitutionum Ordinis; reddiderit rationem Eleemosynarum siuè ex Missarum celebratione, siuè ex fidelium charitate? &c.

Vocatus igitur primo fuit Frater N. Laicus Conuersus ætatis annorum, &c. Religionis verò, &c. & Interrogatus super Articulo primo. *Respondit*, &c. Super secundo, *Respondit*, &c. *Et sic deinceps, &c. ac eius dicta fideliter, & compendiosè scribantur*, & depositioni suæ se subscripsit.

Ego Fr. N. confirmo, vt supra.

Quod si Visitatus scribere nesciat, adnotetur sic. Et quia nescit scribere, signum Crucis suæ depositioni apposuit †

Secundo vocatus fuit Fr. N. &c. & ita *prosequatur vsq; dum singulos Fratres Subditos, & Superiorem visitauerit*,

Visitatis igitur omnibus Fratribus, & Patribus Conuentus, eisdem iterum Capitularitè congregatos de Votorum Obseruantia, & Regularis disciplinæ Custodia monuimus. Quosdam defectuosos (*si tamen ita sit*) paternè pœnitentiaui- mus, & ad maiorem Religiosorum profectum, & Regulæ Obseruantiam nonnulla ordinauimus in scriptis, videlicet, &c. *Hic verò scribantur Ordinationes, quas continget, fieri, iuxtà Conuentus necessitatem.* Et data omnibus absolutione, & benedictione Visitationem compleuimus Die.... Mensis..... Anni..... & *apposito sigillo minori Prouinciæ subscribat.*

Ita est Ego Fr. N. Minister Prouincialis,

III. Forma Absolutionis Generalis dandæ ab omnibus Superioribus in actu Visitationis -

Completo sermone, qui regularitè fit à Visitatore in terminanda Visitatione, omnes Fratres in medio Refectorij genuflectant, & recitent Confiteor Deo omnipotenti, &c. quo completo, Visitor surgat, & dicat Misereatur vestri, &c. Si tenemini aliquo vinculo Excommunicationis maioris, vel minoris, Suspensionis, vel Interdicti, in quantum se extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa; Absoluo vos, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni, & vnitati fidelium. Item eadem authoritate dispenso vobiscum super

omnibus Irregularitatibus, inhabilitatibus, & alijs pœnis Ecclesiasticis, si quas contraxistis, in quantum possum, & valeo. Aboleo etiam à vobis omnem maculam Infamiæ vndècunquè contractæ, & habilito Vos, & restituo executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum, nec non ad omnes actus legitimos tum Ordinis, tum iurisdictionis, ac Religionis nostræ Beneficia, prout nostra se extendit authoritas. Demùm eadem authoritate absoluo Vos ab omni transgressione Regulæ, Constitutionum, Ordinationum, & admonitionum Maiorum nostrorum; ab omnibus pœnitentijs oblitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris; de illis vobis concedendo Indulgentiam plenariam, iuxtà formam S. Romanæ Ecclesiæ. In nomine Patris, &c. Ite in pace; nolite amplius peccare, & orate Deum pro me.

ADNOTATIO I.

IV. *Circa hanc Absolutionem, quæ in omnibus Visitationibus fieri consuevit in omnibus Religionibus, (imò in Ordine Minorum fit etiam in omnibus diebus solemnibus, vt scribit Peyrinus Formular. lit. A. cap. 5. num. 1. Aduertendum est, quod ipsa est multum proficua; licet enim pro Foro externo nihil profat, vt scribi Lantusca Theatr. Regul. V. Commissarius num. 4. in fin. Tamen in Foro interno prodest ijs, qui per obliuionem, vel inaduertentiam, seu ignorantiam (quia scilicet nesciebant aliquid esse peccatum, seu habere Censuram adnexam) in aliquam Censuram, vel pœnam inciderunt. Nam si deindè fuerint recordati, vel sciuerint, se in Censuram, aut pœnam reseruatam incidisse; non tenentur amplius quærere absolutionem, aut dispensationem illarum à Superiore, sed sufficit, quod confiteantur cuicumque Confessario simplici peccata, ob quæ illas incurrerunt, vt docet Peyrinus loc. citato, qui affert Paludan. Angel. Rosell. Tabien. Armill. Nauarr. & alios, & in Traët. de Subdit. Relig. quæst. 1. cap. 5. vers. Respondeo cum Ledesma. alias ipsius utilitates recenset. Imò Lezana Tom. 1. cap. 18. num. 93. Satis quidem probabiliter tenet, quod talis absolutio valeat etiam pro Censuris, & Irregularitatibus certis, quæ tamen sint occultæ, verba enim illa, quæ proferunt Prelati dicendo, absoluo vos, & dispenso vobiscum, videntur fa-*

uorabiliter amplianda, ita ut fortiantur effectum suum quo ad omnia, ad quae se extendit facultas Absoluentis, & Dispensantis, quae clarum est, quod extenditur etiam ad casus certos, & occultos. Proinde in omni Visitatione facienda est tam proficua spiritali profectui Absolutio.

ADNOTATIO II.

V. Aduertendum est, quod omnes Visitatores nostri, siue Ordinarij sunt, siue Commissarij, debent in actu suarum Visitationum legi, facere Decretum S. Rom., & Vniuersalis Inquisitionis; & quia potest forte dari casus, quod Conuentu non reperiatur, hic apponimus per extensum ex Lantusca.

Cum, non sine graui animi molestia, ex processuum lectura, Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus innotuerit, quam plures Fratres Ordinis S. FRANCISCI de Obseruantia suae professionis immemores in eiusdem Religionis dedecus, animarum suarum damnum, & aliorum perniciem, retinere, & legere, seu alijs communicare, scripta, & libros continentes Sortilegia, incantationes, & alia similia perniciosae lectionis. Volentes pro eorum Officio malis, & incommodis ex huiusmodi scripturarum, & librorum retentione, & lectione prouenientibus opportunè prouidere; statuerunt, & decreuerunt, & ordinauerunt, vt in posterum nemo eiusdem Ordinis professus, cuiusuis status, & dignitatis audeat, vel praesumat, retinere, aut quouis modo habere, aut legere scripta, vel libros Geomantiae, Hydromantiae, Aeromantiae, Pyromantiae, Chyromantiae, Necromantiae, seu continentes incantationes ad amorem, inuocationes Dæmonum; abusus Sacramentorum; Sacramentalium; rerum Sacrarum, & benedictarum; remedia superstitiosa infirmitatum; ad Thefauros inueniendos; seu quæuis Sortilegia: sed cum primum ad cuiuslibet ipsorum manus huiusmodi libri, & scripta quouis modo peruenerint, etiam occasione audiendi confessiones Sacramentales, Ordinarijs locorum, seu Inquisitoribus, vel eorum Vicarijs, respectiuè, intra viginti quatuor horas realiter, & cum effectu consignare, & tradere debeant, sub poena Excommunicationis maioris ipso facto incurrenda, à qua non, nisi ab hoc Sancto Officio, absolui possit; nec non pri-

uationis vocis actiuæ, ac passiuæ, Officiorum, & Dignitatum quarumcumque, & inhabilitationis ad illas in perpetuum, ac suspensionis ab executione suorum Ordinum; & inhabilitationis ad illos, Carceris formalis, seu Triremium ad decem annos, alijsque arbitrio DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum ipsorum infligendis poenis: eiusdemque poenis subiaceant, qui scientes aliquem ipsorum Fratrum huiusmodi scripta, seu libros retinere, id Ordinarijs, seu Inquisitoribus, vel eorum Vicarijs, infra viginti quatuor horas denunciare neglexerint. Et ne aliquis ignorantiam praetendere possit, mandauerunt huiusmodi Decretum publicari in singulis Capitulis Generalibus, & Prouincialibus eiusdem Ordinis; ac insuper praeeperunt omnibus, & singulis dicti Ordinis Ministri Prouincialibus nunc, & pro tempore existentibus, vt in actu Visitationis, singulis annis, & vicibus, conuocatis Fratribus Conuentus, praesens Decretum omninò publicent, ita quod singulis annis in vnoquoque Monasterio suae Prouinciæ realiter, & cum effectu, vt supra expressum fuit, publicetur: sub poena priuationis Officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ per quinquennium, & cætera.

VI. Forma Inquisitionis Generalis paternæ, quæ dicitur Visitatio, faciendâ à Commissario Delegato à Superiore Generali ad Visitandam Prouinciam.

Debet ante omnia iuxta Constitutiones Ordinis, Visitator deputationem suam significare per literas Prouinciali, qui mittet ad eum vnum ex minoribus sigillis Prouinciæ; & in primo Conuentu Prouinciæ, ad quem perueniet, Visitator legere faciet Literas patentes suae Commissionis, congregatis capitulariter Fratribus in Refectorio, ut moris est. Quibus lectis incipere potest Visitationem, & eam describere, vt sequitur.

In nomine Domini. Amen.

Hæc est Visitatio Generalis, quam facere intendit P. N. Commissarius Delegatus à Reuerendissimo P. N. Generali ad visitandam hanc Prouinciam N. in Conuentu N., Diœcesis N., die N., Mensis, & Anni N.

Cum peruenissemus ad Conuentum praefatum N., & charitatiua benignitate excepti fuisset à Superiore, & Fratribus

tribus omnibus in eo de Familia commorantibus, Nos contulimus ad Ecclesiam, & in ea adorato SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, post breuem orationem ad Cellam nobis paratam contulimus. Resumptis postea fractis, ex itinere, viribus, conuocatis omnibus in Refectorio Capitulariter Fratribus, illis verbum Dei proposuimus, & Visitationem intimauimus, omnes in Domino mouentes, & præcepto Sanctæ Obedientiæ adigentes, vt dicerent, quæ de iure dicenda veniunt: nec odio, vel praua animi affectione; sed ex sola charitate, & regularis obseruantia zelo mouerentur. Visitauimus postea Ecclesiam, incipiendo à SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO; Altaria, Reliquias Sanctorum, Oleum Infirmorum, Capellas, sedes Confessionales, Sepulturas, & Sacristiam, cum sacra suppellectile. Inuenimus autem &c. (*hic describatur, an ea omnia in bono, aut commendabili statu sint reperta. Et describantur Decreta, quæ circa illa Visitator facienda iudicauerit*) Postmodum Conuentus Officinas omnes, & Cellas Fratrum visitauimus &c. *Et hic pariter adnotetur status, in quo omnia reperta fuerint.* Tandem vocatis singillatim Fratribus, à iunioribus incipientes, eorum singulos interrogauimus super Articulis sequentibus.

1. An in Diuino Cultu Religiosa pietas maximè eluceat?
2. An Sacri Ritus, & Ceremoniæ, ex præscripto Ecclesiæ, seruentur?
3. An ad Chorum, & Diuina Officia omnes Religiosi die, noctuq; conueniant?
4. An in Ecclesia aliquis indeuotè, vel immorigeratè versetur?
5. An communis victus, & vita à singulis seruetur?
6. An vigeant transgressiones contra vota, & præcepta Regulæ?
7. An quæstiones pecuniariæ, vel à Regula non permissæ fiant?
8. An Fratrum aliquis Seculares scandalizet?
9. An reperiatur aliquis in vitio proprietatis?
10. An Guardianus se benè, & charitatiuè gesserit in suo munere?
11. An Constitutiones Apostolicæ, & Regulares suo tempore fuerint lectæ, & seruatae?

12. An Prouincialis Minister, cum Socijs suis, in suo triennio, exemplariter vixerit; Reos castigauerit indifferenter; dignos promouerit ad Officia; Infirmorum curam sedulam habuerit; Fratribus prouiderit de indumentis?

13. An Visitator, qui immediatè ante se Prouinciam visitauit, Officium suum rectè præstiterit; pedester ierit; munera acceperit; Partes fouerit, & pacem promouere studuerit?

14. An in tota Prouincia vigeant abusus, & Regulæ transgressiones? Vocatus igitur primo fuit Fr. N. Laicus Conuersus ætatis, prout dixit, annorum N., Religionis N., monitusque, & interrogatus.

Super primo respondit, &c.

Super secundo respondit, &c. & fideliter describantur, quæ dixerit.

Quibus receptis, iussus fuit suæ depositioni se subscribere.

Quod si scribere nesciat ponatur ita, & cum nesciret, scribere, suæ depositioni signum Crucis apposuit.

Postea vocatus fuit Fr. N. Clericus, &c. & modo simili interrogetur, & sic deinceps donec omnes Subditi fuerint visitati.

Tandem vocatus fuit Pater N. Guardianus, &c. qui & ipse vt supra interrogatur, & in fine subsignet.

Visitatis igitur omnibus Fratribus, & Patribus Conuentus, eosdem iterum in Refectorio Capitulariter vocauimus; de votorum obseruantia, & Regularis disciplinæ custodia admonuimus; nonnullorum defectus paternè correximus; ordinauimus aliqua ad communem profectum opportuna; vide licet, &c. & hic describantur Ordinationes, quas in scriptis, siue ore tenis Visitator fecerit. Et data omnibus benedictione, & absolutione, Visitationem compleuimus die N., Mensis, & Anni, &c. *Et Visitationem scriptam sigillo, & subscriptione sua communiat.*

ADNOTATIO I.

VII. Summopere curare debent Visitatores, in inuestigatione finis, propter quem Fratres peccata proximorum detegant. Quantumuis enim videantur, obze-lum illa Visitatori reuelare, tamen, aliquando, frigescente charitate, mouentur à studio

studio nocendi . Proinde sedulo inquirant, an iuxta Ordinis Constitutiones renouatas in nuperrimo Capitulo Generali Romano, Pro Famil. Cismont. Tit. Declarat. circ. Statut. Gen. num. 46. ille, qui deponit, mouerit primo Superiorem Localem; ex post Prouincialem de defectu proximi: & si temere illa tacuisse deprehendat, ut Visitatori tantum reuelaret; signum est, illum motum fuisse ad deponendum non ex zelo, sed ex animositate in Fratrem . Proinde strenue Commissarius exequatur Officium suum, ipsum puniendo ad normam Constitutionum; & depositioni suae aut nullam, aut debilem fidem accommodet .

ADNOTATIO II.

VIII. *Ex dispositione Statutorum Ordinis, potest Visitator Prouinciæ deputare Secretarium suum, siue alium ad visitandos aliquos Conuentus Prouinciæ sibi commissæ. Damus igitur formam Literarum patentium, quas, ad hoc munus præstandum, debet Visitator dare .*

IX. *Forma Literarum patentium, quæ dari possunt à Commissario Visitatore ad Visitandum vnum, vel plures Conuentus .*

Frater N. Ordinis Minorum, &c. Prouinciæ autem N. Commissarius Visitator . R.P. Fratri N. Theologo, &c. ac Secretario nostro salutem in Domino sempiternam .

Cum temporis angustia vrgeamur, per quam, ad Ordinis Constitutionum præscriptum, nequeamus, intra trimestre, absoluere Visitationem Conuentuum huius Prouinciæ satis inter se distantium; necessarium Nobis est, ad celèrem eorundem expeditionem perficiendam, partem illorum visitandorum alteri demandare. Harum ergo serie, & iuxta potestatem, quæ nobis de iure communi, & Statutario competit; Tibi, cuius prouidentia, dexteritas, & Religionis zelus Nobis abundè nota sunt, nostras vices committere, duximus, vt Nobis in Visitatione complenda adiumento esse possis. Quapropter Te nostrum Commissarium, pro Visitandis Conuentibus N. & N. huius Prouinciæ instituimus, & institutum declaramus, opportunitatem Tibi conferentes iurisdictionem

tam in Capita, quam in membra, quatenus inquirere, emendare, corrigere, decernere, & punire possis omnes, & singulos defectus, quos emendatione, & correctione dignos esse, iudicaueris. Et ideo omnibus, & singulis prædictorum Conuentuum Superioribus, & Subditis in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnitis in nostris Constitutionibus contra rebelles, præcipimus, & mandamus, vt Te, tanquam legitimum nostrum Commissarium recognoscant, recipiant, & obediant. Volumus autem, quod si aliquod, ex grauioribus, crimen detexeris, quod iuridicam animaduersionem requirat, ab huius Inquisitione abstineas, eius cognitionem Nobis referuantes. Vale. Dat. &c.

ADNOTATIO I.

X. *Aduertant Commissarij Visitatores id, quod scripsimus Par. I. Tit. Quales nu. 2. nempe; quod si ipsorum Secretarij non habent conditiones à Statutis requisitas, nequeunt ipsos villo modo deputare ad Visitationem Conuentus alicuius; aliter possunt recusari à Superioribus Localibus, & impediri ne visitent; & hoc monitum quadrat etiam pro Prouincialibus, quando delegant Visitationem aliquorum Conuentuum alicui, ratione propria infirmitatis, siue alterius legitimi impedimenti, ob quod nequeunt per se ipsos visitare. Tali casu possunt dare literas patentes, vt sequitur .*

XI. *Forma Literarum patentium, quæ dantur à Prouincialibus Commissarijs, qui mittuntur ad Visitandum vnum, vel plures Conuentus .*

Frater N. Ord. Minorum, &c. Prouinciæ N. Minister Prouincialis, & Seruus. Dilecto Nobis plurimum in Christo. P.N. eiusdem Ordinis, & Prouinciæ Concionatori, Lectori &c. salutem in Domino.

Cum Nos aduersa corporis valetudine (siue grauissimorum pro Religionis utilitate negotiorum onere) præpediti nequeamus, ad Apostolicarum, Regulariumque Constitutionum præscriptum, singulos huius nostræ Prouinciæ Conuentus, & Fratres visitare; ne Familia, Nobis à Christo Domino commissa, ex hoc aliquid incommodi patiatur; cogimur ad curæ nostræ,

nostrę, ac sollicitudinis adminiculum, aliorum auxilium implorare, & ministerio vti. Tibi ergo, cuius dexteritas, prudentia, ac zelus satis Nobis perspecta sunt, committendā duximus Visitationem Conuentus Nostri N. *sive* Conuentuum nostrorum N. & N. vt tua diligentia suppleat, quod Nos, vt præfertur, præpediti, per nosmetipsos præstare, nequimus. Quapropter harum serie Te nostrum Commissarium, ac Delegatum ad visitandos prænominatos Conuentus instituimus, & institutum declaramus, committentes Tibi vices nostras, cum plena potestate, & facultate paternaliter inquirendi, corrigendi, castigandi, ordinandi, & discernendi, tam in Capite, quàm in membris, omnes abusus, defectus, & negligentias, si quas repereris, & pro his conuenientes, salutaresque pœnitentias, ad nostrarum Constitutionum normam, iniungendi. Proindè in virtute Spiritus Sancti, sub interminatione Diuini Iudicij, ac sub pœnis latis in Statutis Ordinis, Superioribus, & Subditis omnibus, & singulis præfatorum Conuentuum iubemus, vt Te, tanquam legitimum nostrum Commissarium, ac Delegatum recognoscant, recipiant, venerentur, & in omnibus, quæ non sunt contra Regulam nostram, & animam suam, pareant, & obediant. Volumus autem, quod si aliquod scandalum, aut graue delictum repereris, quod debeat iudicialiter cognosci, ab hoc abstineas; sed sumptas tantum extraiudicialiter informationes, & Visitationem fideliter descriptam, ad Nos referas, vt possimus, quæ salubriora esse cognouerimus, ad Religionis incrementum prouidere. Vale. Dat. &c. *Et sigillentur sigillo maiori Prouincie.*

Visitationes autem ab eiusmodi Commissarijs fieri, & describi debent eo modo, quo fieri deberent à Delegantibus, puta Ministro Prouinciali, seu Commissario Visitatore respectiue; ideo nullam particularem formam præscribimus, nec iam datas inutiliter repetimus.

XII. Forma Inquisitionis Generalis iuridicæ, quæ dicitur Visitatio Iudicialis, faciendæ à Prælato Prouinciali.

In nomine Domini. Amen. Cum ad aures R.A.P.N. Ministri Prouincialis Pro-

uincie N., non sine magna animi sui commotione confusus rumor peruenisset, multas, & graues transgressiones, & scandala vigere in Conuentu N., quæ rigorosam exigunt correctionem, volens pro Officij sui munere mala germina erumpentia suffocare, & radicibus euellere; ne agrum Domini pestilenti segete inficiant, decreuit generalem, iuridicamque Inquisitionem tum in Caput, tum in membra eiusdem Conuentus instituire. Quapropter in cameram suæ residentie, in Conuentu N., coram infrascriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, me infrascriptum vocari fecit, & dato mihi iuramento de fideliter exercendo munere, quod & præstiti, tacto pectore more Sacerdotum, me Notarium creauit ad hoc, vt illi inseruirem pro legitimo Actuario in dicta Visitatione per eundem decreta. Acta sunt hæc die &c. & loco quo supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Anno igitur, & die &c. accessit ad prædictum Conuentum, & postquam fuit benignè receptus conuocatis Capitulariter Fratribus, vt moris est, in Refectorio, ipsis Visitationem intimauit, exhortatione præmissa, ne, quæ taceri debent, dicerent, sed ea tantum reuelarent, quæ de iure Superioribus debent aperiri; eisdem iniungens sub præcepto obedientie, ne villo modo reuelanda celarent, vel inordinata affectione contra suos Fratres mouerentur, aut aliquid contra iustitiæ, & charitatis normam, in proximum effutirent. Post gratiarum actionem debite peractam eadem die, in Cameram residentie prædicti A.R.P. Prouincialis, in qua ipse suum Tribunal erexerat, coram eodem, & me infrascripto Actuario vocatus fuit Fr. N. Laicus Conuersus ætatis, prout dixit, annorum &c. Religionis verò &c. cui dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit, tactis sacris literis, fuit Interrogatus. An in illo Conuentu in Diuino Cultu Christiana pietas maximè eluceat; seruentur Sacri Ritus, & Ceremoniæ; celebrentur Diuina Officia die, noctuque cum debita compositione?

Respondit &c.

Interr. An seruetur victus communis; Regulæ, & Statutorum obseruantia?

Re-

Respondit &c.

Interrog. An vigeant transgressiones votorum, aut aliquod scandalum fecutum sit, vel intra Claustra, vel in districtu illius Conuentus?

Respondit &c.

Et sic deinceps interroget super generalibus; & bene caueat ne de aliquo in particulari perquirat. Quod si Visitatus ex se deponat, aliquod scandalum commissum fuisse à Caio, vel Titio, bene quidem; Si vero deponat quidem de scandalo secuto, Delinquentem autem non nominet, debet Iudex Visitator inquirere.

A quo fuerit scandalum commissum?

Quo loco?

Quo tempore?

Qua occasione?

Coram quibus?

Quomodo Visitatus, hoc sciat?

Si de tali scandalo est publica notitia, vel infamia?

Si Superior localis Delinquentem de tali scandalo punierit, correxerit, monuerit &c.

Si Delinquens deinceps emendatus sit?

Et hoc modo singulos Fratres illius Conuentus visitando, eorum dicta per extensum debent scribi per Actuarium. Examen autem Visitati terminandum est hoc modo.

Et sibi lecta per me Actuarium sua depositione, cum nolisset eidem aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est salvo iure &c.

Ego Fr.N.affirmo, vt supra.

Ego Fr.N.Minister Prouincialis.

Ego Fr.N.Actuarius.

Per acta omnium Fratrum Visitatione, si emerferint ex ea delicta, ob qua debeat institui Inquisitio specialis, ipsa incipietur, vt dicemus infra Sect.II.num.2. Si vero leuia tantum crimina, paternè emendanda, fuerint reperta, concludetur Visitatio hoc modo.

Completa Visitatione, cum ex ea emerferint tantum nonnulli defectus, & transgressiones, & hæc iudicauerit paternè coercere, idem R.A.P.Prouincialis die &c.conuocauit Capitulariter Fratres in Refectorio, & ipsis generaliter monitis, vt in obseruantia suæ professionis perseuerarent, ad maiorem profectum Religionis ordinauit, quod &c. & hinc recensentur Ordinationes, quas iudicauerit expedi-

re ad bonum publicum, & anteuertenda scandala. Mox vocauit ad culpam Fratres N. & N., & Fratri quidem N.obiecit, quod &c.& hinc describatur defectus eius. Et proinde iniunxit ei pro pœnitentia, quod &c. & hinc describatur pœnitentia, quam iniunget. Fratri autem N. obiecit, quod &c. & pro pœnitentia illi iussit &c. quod &c. qui omnes pœnitentiam sibi iniunctam humiliter, & promptè acceptauerunt. Mox data omnibus benedictione, Visitationem absoluit.

Ego N.Minister Prouincialis.

Ego N.Actuarius.

XIII. *Quia verò eadem Visitatio iudicialis potest fieri à Commissario Delegato à Superiore Generali, vel Prouinciali, damus prius formam Literarum patentium ad hoc requisitarum, quæ est, vt sequitur.*

Forma Literarum patentium pro committenda Visitatione iudiciali alicui Delegato.

Frater N.Ordinis Minorum &c. Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. N. Theologo &c.

Non sine ingenti animi nostri molestia ex diuersis relationibus, excepimus multas in Conuentu nostro N., & graues vigere transgressiones, quæ non humanitate paterna, sed virga iudiciali, debent emendari. Cumque Nos multiplicibus Officij nostri distracti curis, nequeamus hoc personaliter perficere, necessarium est, ad tale munus virum grauem, prouidum, & expertum eligere, per quem, ad iustitiæ normam, possint Sontes inuenti debitis pœnis coerceri. Cum aurem, multiplici experimento per Te dato, Nobis nota sit Fides, Prudentia, Zelus, & rerum Criminalium peritia, qua polles, hanc Prouinciam Tibi duximus demandandam. Harum ergo serie, Te nostrum Commissarium, ac Delegatum instituentes, & institutum, vt, præfertur, declarantes committimus Tibi, vt assumpto in Secretarium Religioso, idoneo, Tibique benè viso, quem ad nostrarum Constitutionum præscriptum Notarium creabis, vt Tibi legaliter, possit deseruire, ad præmemoratum Conuentum accedas, ibi Visitationem Generalem, & iuridicam tam in Capite, quam in membris instituas, &

ea in hoc negotio cures, quæ ex Sacrorum Canonum, & Statutorum Regularium dispositione, sunt necessaria; omnimodam ad tale munus potestatem, & iurisdictionem Tibi conferentes; præcipimusque in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis contra Rebelles latis, omnibus, & singulis Superiori, & Subditis memorati Conuentus, vt Te, tanquam nostrum legitimum Commissarium agnoscant, recipiant, obediant, & intra terminos iuris omnino Tibi pareant. Volumus autem, quod si ex tali Visitatione contra aliquem, vel aliquos, sufficientia emerferint indicia, ad instituendam Inquisitionem specialem, illam instituas, & Processum informatium, iuxta Praxim Criminalem Ordinis, formes, vsque ad Sententiam diffinitiuam exclusiue, omnem opportunam, & necessariam ad hoc facultatem Tibi concedentes. Confidimus autem, in hoc graui negotio Te viriliter, & strenue curaturum ea, quæ ad repressiorem scandalorum, & Religiosæ Observantiæ conseruationem faciunt, & paternam benedictionem Tibi peramanter impartimur. Dat. &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Et sigillentur Literæ sigillo maiori Prouinciae.

Porro forma eas Literas exequendi erit, vt sequitur.

XIV. Forma Visitationis iuridicæ faciendæ à Commissario Delegato à Ministro Generali, aut Prouinciali.

In nomine Domini. Amen. Cum R. P. N. literas receperit datas à Reuerendissimo Patri Generali *sive* ab A. R. P. Prouinciali N. tenoris sequentis, & *registrentur per extensum Literæ patentes &c.* volens eas, quæ debet obedientiæ promptitudine, exequi; in Camera suæ residentiæ, coram PP. N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocauit me infra scriptum, & mihi dato iuramento fidelitatis, quod & præstiti, tacto pectore more Sacerdotali, iuxta sibi commissam facultatem Notarium creauit, vt in sibi demandatis pro legitimo Actuario inseruirem. Acta sunt hæc Die, Mense Anno &c. in Conuentu &c.

Ego N. Commissarius Delegatus.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter idem R. P. Commissarius associatus à me infra scripto, & Fr. N. Laico accessit ad Conuentum N., in quo fuit à Superiore, & Fratribus humaniter exceptus, iuxta morem Religiosæ hospitalitatis; & in prima refectione, ad quam conuenerant Capitulariter Fratres, suas Literas patentes hic præinsertas publicare per me Actuarium fecit, quod & præstiti, alta, & intelligibili voce eas legendo. Mox grauem Sermonem ad Fratres habuit, & ipsis Visitationem intimauit, exhortatione præmissa &c. & *prosequatur iuxta formam datam supra num. XII. de Visitatione iudiciali faciendâ à Ministro Prouinciali, vsque ad finem.*

ADNOTATIO I.

XV. *Quia, vt diximus Par. I. Tit. Canones num. 99. & seqq. & Tit. Inquisitio num. 59. & 60. In Visitatione iudiciali, tanquam suspectus, ex legitima causa, recusari potest tum Prouincialis, tum Commissarius Visitor, necessarium duximus tradere formam Recusationis, quæ in facti contingentiâ, si habetur causa legitima, potest proponi.*

XVI. Forma Recusationis Iudicis siue Ordinarij, siue Delegati in Visitatione iudiciali.

Coram A. R. P. N. Ministro Prouinciali &c. *sive* R. P. N. Commissario Delegato ad iudicalem Visitationem huius Conuentus, comparet Fr. N. &c. & dicit, (cum omni tamen humilitate, & reuerentia, quæ debetur,) quod persona eiusdem R. P. N. &c. est sibi suspecta, & suspectissima, & tanquam talem eam iurat. Et quia cuiquam tutum non est, coram suspecto Iudice litigare, ad propriæ innocentie præsidium, & euadendum, omne, & quodcunque grauen, quod ab illo recipere possit, cogitur, licito iuris remedio vti, ipsum recusando in Iudicem. Quapropter coram infra scriptis Testibus ipsum rogat, ne in Visitatione iudiciali huius Conuentus N., quam facere intendit, villo modo se immisceat in tangentibus personam ipsius comparentis; ex eo quod ipsum semel, & iterum, & semper recusat, & ipsius iudicio nullo pacto submitti vult, aut intendit, quia est sibi vehementissime suspectus, & suspectissimus ex eo, quod est eius Inimicus; *sive*, quod in alio iudicio eum

eum grauauit; *sive*, quia dixit, se velle eundem Comparentem acriter mortificare &c. (*& hic debet exprimi aliqua ex causis, quae tanquam legitima ad Recusationem assignantur in Textu. Tit. Accus. §. 1. pag. 346. & Tit. Test. §. 1. pag. 515. & diximus Titul. Quales nu. XXXVIII. pa. 81. & inde; illae enim, quae repellunt aliquem ab accusando, seu testificando, à fortiori repellunt à iudicando.*) Quam causam se offert Comparens, coram quibus de iure, probare. Quod si, non attenda praesenti Recusatione, memoratus Pater Prouincialis, *sive* Commissarius, se immiscere intendit in tangentibus personam dicti Comparentis, ex nunc, pro tunc, dicit de nullitate actuum, appellat ad quem, & quos de iure, & ad Superiorem petit recursum. Praesentata fuit coram infra scriptis Testibus Die ... Anno ... & Mense &c. in Conuentu, &c.

Ego N. recusor, appello, & recursum peto, vt supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

ADNOTATIO I.

XVII. *Ad bonam cautelam Recusantis, & vt possit, in facti contingentia docere de Recusatione à se facta congruo tempore, expedit, vt duo exemplaria Recusationis scribat; & ambo subscribere faciat à Testibus coram quibus eam vult, intimare. Adeat ergo Iudicem, qui visitare intendit, & caueat ab omni verbo, forma loquendi, & gestu, qui possit aliquo modo sapere contemptu; hoc enim tum incongruum est; tum potest per illud sibi praedudicare, & à Causa excidere. Proinde humiliter, & rogatiue dicat Iudici, vt comparitionem illam acceptet: & obsecret, ne per hoc illi irascatur, quia deuenit ad illud remedium iuris ob sui idemnitatem, non vt Iudicem, quem alias reueretur, contemnat, aut iniuria afficiat. Si Iudex (vt aliquando solent nonnulli ad bilem nimis propensi) in impropria, iniurias, & contumelias prorumpat, & dicat, se respuere illam Recusationem tanquam friuolam, &c. non respondeat villo modo ad iniurias Recusans, sed tantum dicat, à reiectione appello, & dimissa ibi Comparitione scripta, abeat.*

ADNOTATIO II.

XVIII. *Dantur frequentissime casus, maxime in paruis Conuentibus, quod Reli-*
Pars II.

giosi propriae quietis amici, & ob timorem non displicendi Superioribus, nolunt, in Causis huiusmodi criminalibus, esse Testes. Ne ergo Recusans careat beneficio legis, quae sibi suspectum Iudicem recusare permittit, iuxta dicta Par. p. Tit. Canon. num. XIII. pag. 101. damus alias Formas faciendae Recusationis, casu quo Testes non reperiatur, qui velint, coram Iudice comparere; vel si Recusans ipse, ex metu reuerentiali, non audeat Iudicem adire. Debet igitur duos, vel tres Religiosos ex grauioribus, qui sint in Conuentu, (si fieri potest) conuenire; aut saltem duos, vel tres Sacerdotes ordinarios, si alios grauiiores habere non potest, adhibitis duobus Testibus, & coram ipsis Recusationem, & Appellationem proponere, vt sequitur.

XIX. Forma recusationis Iudicis coram honestis Viris.

Cum ad anteuertendum, quodcunque grauamen, quod mihi infra scripto contingere, possit, ex Visitatione iudiciali, quam publice intimauit A. R. P. Prouincialis N. *sive* Commissarius. N. necessarium mihi sit, ipsum recusare in Iudicem, tanquam mihi suspectissimum; & ex timore reuerentiali, neque Ego, neque alij Testes mecum audeant, illum praesentialiter conuenire, & coram eo tum Recusationem, tum ipsius causas proponere, vt de iure debeo; cogor R. R. P. P. N. N. & N. coram Vobis, tanquam coram honestis Viris, praefatam Recusationem, & Appellationem proponere. Instanter ergo, & instantissime rogo, ac per Iesu Christi viscera obsecro Vos memoratos R. R. P. P., quatenus dignemini, recipere Libellum Recusationis, & Appellationis, quam, & ore tenus exprimo, & scriptis mandauit, Vobisque praesento, rogans insuper, vt Recusationem, & Appellationem, quam coram Vobis legitime instituisse, intendo, significetis, & praesentem Libellum illi praesentetis. Cum ex metu reuerentiali, R. A. P. Prouincialis N. non audeam praesentialiter comparere & mihi indulta à Legibus, ad proprium praesidium proponere, coram Vobis personaliter, necessitate instante, compulsus sum, in praesentia R. R. P. P. N. N. & N. tanquam coram honestis personis, personam Vestram, tanquam mihi suspectam, imò suspectissimam recusare in Iudicem. Qua

propter, omni, qua decet, humilitate, P.V. rogo, ne in Visitatione iudiciali, quam facere intenditis, vlllo modo Vos immisceatis in tangentibus me infra scriptum Comparentem, ex eo quod Vos semel, & iterum recusato, & vestro iudicio nullo pacto submitti volo; ex eo quod estis mihi suspectus, & suspectissimus. Quia (*& hic inferatur causa legitima suspicionis, ut diximus in formula precedenti.*) Quam causam me offero, quandò, & coram quibus de iure, legitime probare. Quod si, non attempta presentis Recusatione, intenditis, Vos immiscere in tangentibus me Recusantem, ex nunc, pro tunc, dico de nullitate Actorum, appello ad quem, & quos de iure, & ad Superiorem peto recursum. Acta sunt hęc Die Mense Anno, &c. in Conuentu. &c.

Ego N. recusato, appello, & peto recursum, vt supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Debent autem Patres illi, coram quibus proposita est Recusatio, Libellum sibi à Recusante consignatum recipere, & ad Iudicem simul deferre, ipsi significando, quę gesta sunt, & videantur, quę diximus circa hoc, Par. p. Tit. Canones num. 14. pag. 102.

A D N O T A T I O.

XX. *Potest autem etiam dari Casus, quod Recusans non inueniat Sacerdotes, qui velint simul conuenire, vt coram ipsis possit Recusationem proponere. Tali Casu potest eam publice, & per modum Ediçti facere, prout sequitur.*

XXI. Forma recusandi Iudicem per Ediçtum.

Notum sit pateatque omnibus presentes inspecturis, quod cum R.A.P. Prouincialis, siue N. Commissarius, Visitationem iudicalem huius Conuentus publice intimauerit, eiusque persona sit vehementer suspecta, imò suspectissima Fratri N. iuxta iuris indulgentiam, ad præcauendum omne, & quodcunque grauumen, quod sibi possit accidere ex tali Visitatione, cogitur præfatum A.R.P. Prouincialem, siue Commissarium in Iudicem recusare. Quia verò ex metu, & re-

uerentia, non audet coram eodem R.A.P. personaliter comparere; nec inuenit idoneos, coram quibus, tanquam coram honestis Viris Recusationem potuerit proponere, ad iuris remedia confugiendo, cogitur, in his scriptis publice, & per Ediçtum appellare, & vt præfertur recusare, vt talis actus notitia ad memoratum A.R. Iudicem perueniat. Dico igitur præfatum R.A.P.N. esse mihi suspectum, & suspectissimum, ex eo, quod (*& hic exprimat causa aliqua legitima Recusationis iuxta dicta supra num. XVI.*) Quam causam quandò, & coram quibus de iure, me probare offero per legitimos Testes, & documenta. Vndè cum mihi tutum non sit coram eo litigare, ipsum recusato in Iudicem: omni meliori modo appello ad quem & quos de iure, & ad Superiorem peto recursum, casu quo ipse spretà, contra ius & fas, presentis Recusatione, tentaret in prædicta Visitatione se immiscere in tangentibus personam meam, & tanquam nulla, & purè attentata protestor esse futura omnia Acta, quæ ab ipso contra præsentem Recusationem fieri continget. Et vt huius Recusationis, Appellationis, & Recursus, respectiue, notitia perueniat ad memoratum A.R.P. Iudicem, huius exemplar affixi ad valuas Refectorij, &, in publico Dormitorio propè lampadem, pariter affigendam parieti curauit, vt omnibus publica fiat, & ipse illius ignorantiam prætere non possit; & ita affixam in tantum valere volo, & intendo, sicut si fuisset per me sibi personaliter intimata. Dat. Die Anno Mense &c. in Conuentu N.

Ego Fr. N. recusato, appello, protestor; & peto recursum, vt supra.

XXII. Forma Decreti à Iudice faciendi post Recusationem sibi intimatam, siue notificatam.

Anno, & Mense, quo supra Die verò &c. comparuit coram prædicto A.R.P. Ministro Prouinciali, siue Commissario, &c. P. Frater N. associatus a PP. FF. N. & N. & cum debita reuerentia, & humilitate præsentauit illi quendam Libellum, qui incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor Libelli. Et hinc inferitur, ex mandato prædicti A.R.P., in Processu signatus signo &c. Et apponatur aliquod signum, litera maiuscula

scula, siue numerus tum in Processu, tum in Libelli ipsius fronte, ut cognoscatur esse illum, qui in Processu enunciatur.

Si verò Recusatio facta fuit coram honestis Viris, ut dictum est, ita describatur.

Anno, & Mense, quo supra die verò &c. comparuerunt coram eodem A.R.P. Patres Fratres N. N. & N. Sacerdotes &c. & dixerunt P. F. N. in eorum presentia recusasse in Iudicem prædictum A.R.P. tanquam sibi suspectum, & consequenter appellasse ab omnibus Actibus tangentibus personam prædicti Recusantis, sibi que Libellum Recusationis præsentasse, quem exhibuerunt præfato A. R. P. & ad eius mandatum hic inserui signatum &c. *ut supra.*

Si autem recusatio fuerit facta per Edictum, ut paulò supra dictum est, ita describatur.

Anno, Mense, & loco, quo supra, Die verò &c. à diuersis Fratribus accepit memoratus R. A. Prouincialis, siue Commissarius, ad valuas Refectorij, & parietem Dormitorij communis propè lampadem, affixum fuisse quendam Libellum, in quo, ut dictum ei fuit, continetur Recusatio quædam de persona eiusdem R. A. P. in Iudicem facta à P. F. N. Iussit ergo eam sibi apportari. Quapropter ergo Actuarius iui ad eam tollendam à loco &c. vbi affixa erat, & eam memorato R. A. P. præsentavi: qui postquam eam legisset, mihi tradidit Actibus inferendam; prout feci, signando eam &c. & incipit &c. & desinit &c. & ponatur tenor, ut supra.

Si recusatio fuerit personaliter a Recusante præsentata, decernat Iudex, ut sequitur.

Qui R. P. dixit, se Recusationem, & Appellationem illam non admittere, nisi si, & in quantum erit de iure. Acta sunt hæc Die Mense, & loco quo supra;

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Si verò Recusatio fuerit facta coram honestis personis, siue per modum Edicti, præsentato Libello Recusationis, ut præfertur, prosequatur Processum, ut sequitur.

Tunc A. R. P. Iudex vocari coram se fecit prædictum F. F. N. Recusantem, & ei dato iuramento &c. prout iurauit &c. tacto pectore &c. fuit Interrogatus. An aliquem libellum Recusationis de persona sua in Iudicem composuerit, alicui præsentauerit; aut per affixionem publica-

uerit; & An eum recognoscet si sibi ostendatur?

Resp. &c.

Et cum per me Actuarium, ad mandatum Iudicis fuisset illi ostensus prædictus, Libellus dixit, *ille ipse est quem Ego scripsi, & P. P. N. & N. consignavi, siue affixi in loco &c.*

Inter. An in eadem Recusatione persistat?

Respondit &c.

Tunc A. R. P. dixit, se talem Recusationem non recipere, aut illi deferre, nisi si, & in quantum erit de iure. Acta sunt hæc, &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Bene considerato libello Recusationis, debet Iudex obseruare, si causa Recusationis est manifestè friuola, & ut talis expressa in Textu Tit. Canones. §. 11. & nos expendimus, Par. p. tit. Canones. num. 55. & seqq. pag. 123. Et si eam friuolam reperit, decernat prout sequitur.

Considerata ab A. R. P. Iudice causa Recusationis proposita à P. F. N. supradicto, cum reperisset eam friuolam, & de iure insubsistentem, eam reiecit tanquam nullius vigoris, & decreuit, ea non obstante, ad intimatam Visitationem iudicalem liberè, & vniuersaliter procedere. Acta sunt hæc Die..... Mense..... & loco, &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Si verò inuenerit causam esse legitimam de iure, & veram eam esse etiam de facto (puta quia Iudex est Frater, sanguineus &c. Inimici notorij ipsius Recusantis,) debet Iudex recipere quidem in Visitatione ea, que sibi reuelabuntur, & tangent personam Recusantis, sed non poterit ex eis ad specialem Inquisitionem deuenire. Porro si Iudex est Delegatus, debet totaliter abstinere, & indicia criminum sibi reuelata ad Ordinariū Recusantis transmittere, ut provideat de alio Delegato non suspecto, aut per seipsū specialem Inquisitionem instituat. Si verò Visitans est Ordinarius, ut potè Prælati Prouincialis, aut Commissarius missus à Generali ad Visuandam totā Prouinciam, qui & ipse habet iurisdictionē, sicut Ordinarius, potest delegare alium ad instituendam specialem Inquisitionem, (de consensu tamen Recusantis, ut infra dicemus,) aut debet Causam ad Superiorem remittere, qui providebit de Iudice non suspecto.

Si autem causa Recusationis est quidem legitima de iure, non tamen est evidens in facto, & debeat per hoc à Recusante formiter probari coram Arbitris, ut dicit Textus Tit. Canon. S. 2. p. 99. aut si est dubia de iure, & de eius validitate sententiare debeant Arbitri, iuxta dicta Tit. Canon. n. 19. p. 103. debet Iudex Recusantem citare, & Processum prosequi, ut sequitur. Videantur, quæ diximus. Par. p. Tit. Canones. à num. 20. & p. 104. indè circa electionem Arbitrorum.

Anno Mense Die &c. loco quo supra, vocatus fuit coram A. R. P. Prouincialis, siue Commiff. N. Pater F. N. qui supra dictam Recusationem proposuit, & illi intimatum fuit ab eodem R. A. P. Iudice, ut Arbitrum pro parte sui nominaret, ad cognoscendum super Causa Recusationis à se propositæ; aut quatuor, vel sex Patres graues sibi benè visos proponeret, ex quibus vnum, aut duos Arbitros ipse A. R. P. Iudex eligeret, qui ad formam iuris, super Causa assertæ Recusationis pronunciarèt. Qui P. F. N. Iudici gratias egit, & dixit se pro parte sui eligere P. N. siue nominauit P. P. N. N. N. N. N. & N. ad effectum cognoscendi super allegata Causa Recusationis. Acta sunt hæc Die Mense & loco, quo supra.

Ego F. N. nominauit prout supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter A. R. P. Prouincialis qui supra, nominauit in Arbitrum ex parte sua R. P. N. siue ex supra nominatis à P. N. Recusante suprädicto, elegit in Arbitrum communem R. P. N. siue deputauit in Arbitros communes R. R. P. P. & hunc suò siue hos, coram se vocare fecit, & electionem de eius, siue eorum persona in Arbitrum, siue Arbitros manifestauit. Et cum arbitrium acceptassent, siue acceptasset, illis, siue illi, assignauit terminum octo dierum ad pronuncianum. Acta sunt hæc Die ... Mense Anno, & loco quo supra.

Ego N. Arbitr electus.

Ego N. Arbitr electus.

Ita est Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Quomodo autem debeant Arbitri Processum suum incipere, & prosequi vsque ad Sententiam, dicemus infra, Sect. II. numer. XLI.

XXIII. Forma Recusationis Iudicis faciendæ casu quo Processus in specie sit inceptus à Iudice ex Officio, siue ad instantiam Partis.

Suppositis ijs, quæ docuimus Par. p. Tit. Canones. n. 15. p. 102. quod Recusatio semper proponenda est, antè omnes Actus, ad quos Reus interueniat, nempe antè litem contestatam, & in quacunque parte Causa, dummodo possit Reus probare, quod notitia causæ Recusationis non peruenit ad eum, nisi post litem inceptam; ut completè absoluamus hanc materiam Recusationis, damus Formulam, iuxta quam debet Reus, (sic causam habet legitimam,) recusare Iudicem siue Ordinarium, siue Delegatum post Processum initiatum. Si ergo habet notitiam, quod inceptus sit fabricari Processus contra se, debet ante omnia Recusationem proponere hoc modo.

Cum, fama deferente, peruenit ad aures P. F. N., Processum formari contra se ab A. R. P. Ministrò Prouinciali, & ipse timeat sibi euenturum, aliquod grauamen ex eo, quod persona ipsius A. R. P. Ministri est sibi suspecta; ut præueniat, ad sui indemnitate, omne iniustum sui incommodum possibile, comparet coram eodem A. R. P. & dicit (cum omni humilitate tamen, & reuerentia, quæ debetur) quod persona eiusdem A. R. P. est sibi suspecta, & suspectissima &c. & prosequatur iuxta formulam datam supra num. XVI.

Si autem Reus nullam habuit notitiam precedentem de Processu, qui fabricatur contra se, & citatur à Iudice, & monetur de statu sua Causæ, quod nempe talis est, quod ipse legitime constituitur tanquam Reus, & sibi datur iuramentum de veritate dicenda, nullo modo iuret, aut Iudici acquiescat; sed dicat, se illum recusare in Iudicem, & statim abscedat, & formet Libellum Recusationis prout sequitur.

Comparet coram A. R. P. Ministro Prouinciali, siue R. P. Commissario N. Pater F. N. & dicit (cum omni humilitate, & teuerentia debita,) quod persona eiusdem A. R. P. Ministri est sibi suspecta, & suspectissima, & tanquam talem &c. & prosequatur iuxta formam datam supra num. XVI.

Si verò post litem contestatam, & postquam examinatus est Reus, intellexerit Iudicem extraiudicialiter dixisse, se velle vlcisci iniuriam factam à Reo cuidam Amico, Coniuncto, vel Familiari ipsius Iudicis, vel dixisse

dixisse, se velle acriter mortificare Reum; aut aliquo modo manifestasse malum animum contra Reum &c. possitque Reus hoc probare, & insimul probare causam hanc Recusationis, vel ortam esse post litem contestatam; vel ipsi Reo post eandem inceptam innotuisse; Libellum Recusationis potest concipere, prout sequitur.

Comparat coram A. R. P. Ministro Prouinciali N. siue R. P. N. Commissario Pater Frater. N. & dicit, quod persona eiusdem A. R. P. Ministri, siue R. P. N. Commissarij est, sibi suspecta. & suspectissima, ex eo, quod ipse animum suum malum contra Comparentem manifestauit; ex quo tutum, sibi non est, coram eo litigare, aut eius iudicium expectare. Quapropter, tanquam sibi suspectissimum illum recusat; à Tribunali suo prouocat, & eius iudicium subire minimè intendit. Et licet hucusq; tanquam Iudici legitimo paruerit, eo quia illius mali contra se animi notitiam non habuit; amodò protestatur, nolle villo modo illum recognoscere, tanquam Iudicem inimicum; & per hoc à iure reprobatum; quod probare, quando, & coram quibus de iure, se offert. Ideo instat, & vult, quod prædict. A. R. P. Minist. Prouinc. siue Commis. non amplius, se ingerat in Causa contra Comparentem incepta, & protestatur futura esse nullius valoris Acta, quæ de nouo fieri continget contra præsentem propositam Recusationem; imò etiam Acta antecedentia, vt potè facta ab inimico respuit, & pro nullis haberi vult; appellando, apud quem, & quos de iure, & petendo recursum ad Superiorem, casu quo præsens, & legitima Recusatio fuerit reiecta. Data, &c.

Ego F. N. recusor, & appello, vt supra.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

Debet autem huiusmodi Libellus Recusationis presentari modo, & forma, quam diximus supra, num. XVII. & seqq. Et Iudex debet Decretum interponere eo modo, quo diximus nu. XXII. Et ad Arbitrorum electionem deuenire iuxta methodum datam nu. XXII. in fin. Quod si ex defectu Testium, qui velint assistere actui Recusationis ipsa faciendâ sit, coram honestis personis, siue per Edictum, vt dictum fuit, n. XIX. & XXI. debet praticari forma, ibi assignata; hoc solum mutato, quod si sibi dicitur quod, Iudex non se ingerat, in tangentibus personam Recusantem

in Visitatione Iudiciali; hic debet dici, quod amplius non prosequatur iudicium contra se inceptum &c. Et Iudex pariter debet super Recusatione illa Decretum interponere, & ad Arbitrorum deputationem deuenire, vt docuimus supra num. XXII. in fin.

A D N O T A T I O I.

XXIV. Aduertendum, quod non solum potest recusari tanquam suspectus Iudex, sed etiam omnes ad iudicium interuenientes vt Actuarius, Consiliarius, Peritus &c. vt probauimus. Par. p. Tit. Canon. n. 117. pag. 166. & seqq. Causa autem Recusationis istorum probatur solo iuramento, cum enim nullum ius habeant in Causa, in qua non interueniunt, nisi vocati à Iudice, facilius repelluntur, quam Iudex. Casu ergo, quo recusandus sit aliquis istorum, statim, ac ad notitiam Rei peruenit, quod Iudex illos adhibuit, aut adhibere intendat, ipse compareat coram Iudice, & intimet Libellum Recusationis, vt sequitur.

XXV. Forma recusandi Peritum Notarium, Consiliarium.

Comparet coram A. R. P. Prouinciali Fr. N. & dicit, quod ad aures eius deuenit, quod ipse incipere vult, & fortè inceptit, quendam Processum contra ipsum Comparentem, in quo adhibere intendit, vel fortè adhibuit N. pro Actuario, Perito &c. siue ad aures eius deuenit, quod ipse A. R. P. in Causa, quæ contra Comparentem astitatur, siue adhibere vult in Consiliarium Assessorè &c. D. Doct. N. Et quia persona ipsius N. Notarij, seu Periti, siue Consiliarij, vel Assessoris, est sibi suspectissima, ex eo quod &c. & hic exprimat causa suspicionis, Et suspectissimam, ex prænarrata causa eam iurat; proinde, vult, petit, & instat, quod talem sic, vt præfertur, sibi suspectum, A. R. P. nullo modo ad iudicium contra ipsum Comparentem adhibeat. Quod si fortè adhibuit, vult petit, & instat, quod ipsius Scripturæ, siue Peritiæ, siue Consilij nulla habeatur ratio, & sint omnino nulla, vt procedentia à persona suspectissima, quæ ex passione, non ex veritate scripserit, siue iudicauerit, siue consuluerit. Iurat insuper idem Comparens, quod ipse antea nesciebat talem N. fuisse adhibendum in Notarium,

tarium, Peritum &c. Quod si sciisset, præmississet Recusationem, quam modo instituit. Protestando de nullitate, & appellando, & apostolos petendo &c. si aliter fiat Dat. &c.

Ego N. recuso, peto, protestor, & appello, vt supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Si Notarius est ille, qui recusatur, non potest Libellum Recusationis superscriptum inter Acta recipere, nec præsentationis Actum, nec Decretum Iudicis scribere; unde, tali casu, Iudex debet, amoto illo, alium Notarium creare sic describendo factum.

Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro &c. Frater N. &c. & præsentasset quendam Libellum, quo recusauit, vt sibi suspectum, P. Fr. N. Actuarium, qui hucusque scripserat, vocauit, coram infrascriptis Testibus Me infrascriptum, & à me iuramentum fidelitatis exegit, quod præstiti, tacto pectore &c. & Notarium creauit ad effectum &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Mox iussit inter acta recipi, & inferi prænarratum libellum qui incipit &c. & definit &c. & est signatum littera A. siue num. &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Actuarium.

Si recusatur Peritus, Consiliarius &c. facta comparitione prædicta, Iudex debet decernere, vt sequitur.

Audita, & visa supradicta comparitione, & si, & in quantum admissa, decreuit A.R.P. taliter Recusatum non adhibere ad iudicium. Sed si iam admissus est dicatur, decreuit alium Peritum, seu Consiliarium adhibere, non habita ratione peritiæ iam factæ, siue Consilij dati &c.

In quorum &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarium.

Scio hanc formam non omnibus arrisuram, eo quia potest Reus in Defensionibus contra Peritum excipere, & eius iudicium iam factum impugnare; unde non deberet Iudex, ex sola Recusatione, peritiã iam factam abijcere, & nouam procurare. Sed si benè res examinetur, apparebit quietius fieri Causam hoc modo, si Iudex, faciliter condescendens Reo, Peritum abijciat, quam si, ex concertatione cum Patrono, hoc debeat, & cogatur facere inuitus in termino defensorio. Verum est, quod si essemus in casu, in quo alij Periti nõ haberentur, qui possent substitui, & iam peritia est facta à Perito, qui postmodum recusatur, Iudex, non obstante Recusatione, & Appellatione interposita, potest, non retardatis actis, ad vltiora procedere, quorum tamen valor pendeat à probatione cause Recusationis, quæ, tali casu formiter facienda erit in termino defensorio.



SECTIO SECUNDA

De forma initiandi Processus, vsque ad Corpus Delicti probandum.

I. *Vt absolutius tradantur formæ omnes Processuum, qui fabricari possunt, iuxta casuum indigentiam; & ne cogamur inutiliter repetere ea, quæ pro omnibus Processibus necessaria sunt, optimum esse duximus, diuidere actus processuales in octo partes.*

Prima erit de initio Processus vsque ad probationem Corporis delicti.

Secunda de probatione Corporis Delicti, vsque ad Examen Testium.

Tertia de Examine Testium, vsque ad Rei constitutionem.

Quarta, de Constitutione, & Examine Rei, vsque ad Defensiones.

Quinta de Defensionibus, vsque ad Torturam.

Sexta de Tortura, vsque ad Sententiam.

Septima de Sententia, vsque ad Appellationem.

Octaua de Appellatione; hoc enim modo euadet facilius Lectori, completè instrui de omnibus formis incipiendi, & terminandi completè Processus quosuis. Supposito ergo, quod diximus Par. p. Titul. Quam. Quod Iudex moueri potest ad condendum Processum ex Officio, & ita per Inquisitionem, aut ad instantiam Partis; & ita per, Denunciationem, Accusationem, siue Exceptionem; incipiemus à Processu per Inquisitionem.

II. Forma incipiendi Processum per viam Inquisitionis specialis, emergentibus indicijs à Visitatione iudiciali, siue Inquisitione generali.



N nomine Domini. Amen.

Hæc est specialis Inquisitio, quam facere intendit

R.A.P.N. Minister Prouincialis &c. contra Fratrem

N. grauiter indiciatum in

Visitatione iudiciali habita

in Conuentu N. quod, (& hic exprimitur crimen, de quo fuerit indiciatus,) vt

ex Actis Visitationis apparet. Quapropter,

ne delicta remaneant impunita, de-

creuit super hoc informationes sumere, Testes examinare, & alia facere, quæ sunt de iure præstanda. (*Et si Actuarius nouo Iudex utitur subiungat.*) Et ideò in Cameram suæ residentix, in qua ipse Tribunal erexit, vocare fecit me infra scriptum coram N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, & mihi dato iuramento de fideliter exercendo munere, prout præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creauit, vt illi pro Actuarius in hac Causa inferuirem. Acta sunt hæc Anno Mense..... Die &c. & loco quo supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Aduertendum, quod, antè omnes actus iudiciales, oportet, quod constet de legitima creatione Notarij, qui Acta authenticè recipere, possit; quia, vt probauimus Par. I. Tit. Quid nu. 136. pag. 59. Necessaria ad legitimum iudicium est creatio Notarij; & quod de ea legitime, & per Testes, in eodem processu, constet. Hoc autem verum est, nisi Iudex utatur Religioso iam creato in Notariu pro actibus Religionis quibusuis recipiendis, vt diximus Tit. Inquisitio num. 47. & seqq. pag. 458. Tunc enim non est necessarium, quod in processu constet de eius creatione; (sicut nec etiam quando Notarius creatus pro Visitatione iudiciali, seruit in Inquisitione speciali emergente ab ea) sed sufficit, quod in processu dicatur. Vocauit me infra scriptum Notarium publicum Religionis, prout constat in Archiuio Prouinciæ &c. vt illi pro Actuarius in hac Causa inferuirem.*

ADNOTATIO II.

IV. *Aduertendum secundo, quod frequenter accidit, quod incæpto processu, Actuarius impeditus infirmitate, aut aliquo publico, & vrgenti negotio, aut alia de causa, nequit illum prosequi; necessarium proinde est Iudici, alium Notarium creare, vt incæptum*

ceptum processum continnet; & de tali creatione debet constare in processu hoc modo.

Cum P. F. N., qui hucusque in præfenti Causa inferuijt pro Actuario, graui-ter sit infirmatus: siue ad Conciones Quadragesimales habendas, petierit Ciuitatem N. &c. aut alia causa exprimatür &c. vnde non potest in officio Actuarij continuare, A. R. P. Prouincialis, in cameram suæ residentie coram infra-scriptis Testibus Me infra-scriptum vocare fecit, & dato mihi iuramento fidelitatis, quod præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creauit, ad effectum, vt illi inferuirem pro Actuario in prosecutione Causæ. Acta sunt hæc Die Mense Anno loco &c.

Ita est Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

V. Aduertendum tertio, quod, vt probauimus Par. 1. Tit. Inquisitio qu. 1. per totam num. 52. & seqq. pag. 460. non est necessè Inquisitionem specialem incipere, nouumque Processum initiare, si præcessit Inquisitio generalis, vel Visitatio iudicialis. Quandoquidem si Testes sint integri, & numero sufficientes, valent, non solum ad constituendum, sed etiam ad torquendum, & condemnandum Reum. Tamen, quia in Visitationibus generalibus possunt emergere indicia contra diuersos Reos, & contra singulos essent instituendæ diuersæ Inquisitiones speciales, si delicta essent inconnexa; pariterque varia à diuersis, & contra diuersos solent deponi, quæ Religiosam pacem turbarent, si rescirentur, & oporteret, aut integram copiam Visitationis, cuique Reo concedere pro Defensionibus; vel eam decurtare, tradendo ea solum, quæ faciunt contra singulum Reum, quod semper laboriosum; & aliquando difficile est; ideo conuenientius est, Inquisitionem specialem per nouum Processum incipere, & si delicta sint separata, & diuersi Delinquentes, contra singulos separatam specialem Inquisitionem instituere, vt diximus Tit. Inquisitio num. 55. pag. 461.

ADNOTATIO IV.

VI. Aduertendum quarto, quod, vt diximus Par. 1. Tit. Inquisitio quæst. 2. p. 462. ex Visitatione generali paterna deuenire

potest Prælati ad Inquisitionem iuridicam, & hoc si in illa multi deponunt de crimine, quod à multis scitur, licet de eo non vigeat publica fama; vel si de eo crimine sit vulgata fama. In primo casu instituere debet Prælati Inquisitionem Generalem, siue Visitationem iuridicam, vel iudicialem, eo modo, quo eam tradidimus supra Sect. 1. nu. XII. In secundo verò casu deberet, antecedenter ad Inquisitionem specialem, facere constare de Fama, nisi crimen esset exceptum prout diximus Tit. Inquis. nu. 12. & seqq. p. 441. Sed melius semper, & facilius euadet, si Iudex instituet Visitationem iudicialem, siue Inquisitionem generalem, vt supra: Quia in ea nulla necessitas est probandi famam, & ex ea sternitur via Iudici ad Inquisitionem specialem. Quia tamen potest dari casus, quod vigeat Fama publica de aliquo delicto in aliquo Conuentu magno, pro quo laboriosa, & longa euaderet Visitatio iudicialis, ratione multitudinis Fratrum visitandorum, & compendiosius fieret, instituendo Inquisitionem specialem ex Fama præcedente, ideo, tali casu, melius est incipere Processum ex vulgata Fama. Siue ergo habuerit Prælati in Visitatione paterna notitiam de infamia criminis; siue eam habuerit extra Visitationem, ex eo quod crimen diffamatum est per alios Conuentus; siue de crimine ad aures Prælati peruenerit clamorosa insinuatio, & breuius fieri iudicauerit, si inquiratur in specie ex Fama, quàm si instituatur generalis Inquisitio, poterit incipere Processum, vt sequitur.

VII. Forma incipiendi Processum per viam specialis Inquisitionis ex Fama præcedente.

In nomine Domini. Amen. Cum Fama deferente, peruenerit ad aures A. R. P. N. Ministri Prouincialis, Patrem Fratrem N. esse apud multos, graues, & non maleuolos Religiosos grauius diffamatum de (hic describatur crimen, de quo fuerit infamia) volens suo muneri satisfacere, & crimina, si quæ fuerint, commissa debitis poenis coercere, ad Sacrorum Canonum, & Ordinis Constitutionum normam, decreuit, super Fama prædicta inquirere, & prout erit de iure, procedere. Et ideo in Cameram suæ residentie vocare fecit Me infra-scriptum coram N. & N. &c. & prosequatur, sicut supra num. II. Descripta creatione Notarij, prosequatur ita.

Consequenter idem A.R.P. qui supra, vocari coram se, & Me infra scripto, in cameram suæ residentie fecit P.N. Confessarium, siue Concionatorem &c. ætatis annorum &c. Religionis verò &c. Testem ex Officio assumptum, cui dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit, tacto pectore, more Sacerdotali, & facta monitione &c. fuit

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Nescio.

Interr. In quo Conuentu, & à quo tempore de Familia habitat?

Respondit &c.

Interr. Si Fratres commorantes inibi exemplariter viuant, & si de aliquibus mala fama vigeat?

Resp. Dicitur de Fratre N. quod &c.

Interr. Quomodo hoc sciat?

Resp. Dicitur publicè in Conuentu.

Interr. A quibus signanter audiuit hoc?

Resp. Audiui à P.N. Lectore Theologo; à P.N. Confessario sene; & à P.N. Notiorum Magistro &c. & ab alijs publicè.

Interr. An sciat præfatos à se nominatos esse inimicos; vel aduersos Patris N. diffamati?

Resp. Nec scio, nec audiui illos esse contrarios sibi.

Interr. An sciat quid sit Fama publica?

Resp. Credo esse id, quod communiter dicitur de aliquo in bonum, siue malum.

Inter. Super generalibus &c.

Respond. Ego nolo grauare animam meam, deposui pro veritate, nec sum inimicus illius diffamati, nec ipse me offendit.

Et lecto sibi priùs suo examine (siue sit aliquid addere dicatur.)

Voluit addere, quod &c. (& scribatur totum, quod dicet) aut voluit diminuere, vel se corrigere, in hoc, quod supra dixit sic &c. Sed melius recordatus dixit, quod &c. (& scribatur diminutio, siue correctio dicti præcedentis) vel nihil voluit addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc Die Mensè Anno, & loco, &c.

Ego Fr.N. deposui, vt supra.

Ità est ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Examinandi autem sunt tres, aut quatuor Testes modo supradicto, vt plenè probata fama sit. Quo facto, debet Iudex pronunciare, quod Constat de fama, & decernere prout sequitur.

Quibus habitis, idem R. A. P. Minister Prouincialis pronunciauit, Constare de fama: decreuitque contra prædictum P.N. diffamatum, prout de iure, procedere. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

VIII. Circa probationem Fame, que requiritur ad inquirendum in specie, videatur ea, que circa hoc diximus Par. I. Tit. Fama n. 12. & seqq. pag. 5 10. Nisi enim Fama sit plenè probata, si Reus excipiat super hoc, processus euadet nullus; aut saltem Patronus, poterit in Defensionibus Famam, vt non benè probatam impugnare, & sic Processum destruere. Vnde in hoc Iudex sit benè circumspectus, & si videt Famam non esse sufficienter probatam ab illis Testibus, quos examinauit, alias Testes examinet, donec plenè probet; aut ab Inquisitione desistat, vt inferrius dicemus.

ADNOTATIO II.

IX. Pariter aduertere, debet Iudex ad ea, que ordinat Textus Tit. Fama S. 3. pag. 509. quod nempe ad inquirendum contra Prælatum, grauissimam Personam, & integrum Conuentum, non sufficit Fama sola, & simplex, sed requiritur Clamorosa insinuatio. Et licet hoc non sit ita necessarium, ita ut si fieret oppositum, rueret Processus, vt diximus loc. præx. citat. num. 11. pag. 5 10. tamen illud seruare optimum est, ad præcludendam viam Exceptionibus contra Processum.

ADNOTATIO III.

X. Aduertendum insuper, quod si non probetur Fama eo modo, quo necessarium est, debet abstinere quidem Iudex ab ineunda Inquisitione speciali, tamen non potest relinquere imperfectam Inquisitionem super Fama, sed debet eam terminando perficere, nempe pronuncians, quod De Fama legitime non constat: adus enim iudicialis, iam inceptus, non debet manere in suspensio, sed compleri; & sicut Inquisitio specialis super delicto debet

*terminari per Sententiam diffinitiuam, ab-
soluendo, aut condemnando Reum; ita In-
quisitio super Fama debet terminari per Sen-
tentiam, puta, quod de ea constet, vel non;
quæ Sententia habet vim interlocutoria quide-
m, si Fama est probata, & ex ea proceditur
ad specialem Inquisitionem delicti; sed si non
remanet probata, habet vim diffinitiuæ; &
tali casu debet Inquisitio terminari, prout
sequitur.*

Quibus Testibus examinatis, vt præ-
fertur, videns idem A. R. P. Prouincialis,
quod Fama vulgata ortum habuit ab Ini-
micis; *sive* Factionarijs; *sive* leuibus; &
apud viros prouidos, cordatos, & pru-
dentes dictus Pater N. non remanet diffamatus, pronunciauit, Non constare legiti-
mè de Fama, & vterius non esse ex ea
super hoc procedendum decreuit. Acta
sunt hæc &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XI. Forma incipiendi Processum per viam Inquisitionis mixtæ.

*Supposito eo, quod dicitur in Textu Tit.
Inquisitio §. I. p. 436. & nos abundè explicui-
mus ibi sub n. 2. nempè, quod quando delictum
est certum, Auctor verò delicti ignoratur, si Iu-
dex non ad alicuius instantiam, sed ex Offi-
cio mouetur ad inquirendum, talis Inquisi-
tio vocatur Mixta, nempè specialis quo ad
delictum, sed generalis quo ad personas, tra-
dimus modo Formam incipiendi Processum,
quæ talis est.*

In nomine Domini. Amen. Cum
ad aures A. R. P. N. Ministri Prouincialis
&c. peruenisset, quod in Conuentu N.
(& hic scribatur delictum, puta, quod affi-
xus est Libellus famosus, seu factum Furtum,
vel aliquis fustibus cæsus &c.) nec tanti cri-
minis Auctor hucusque sciatur, volens,
pro sui muneris debito, super hoc inquire-
re, & Sontes, quos repererit, castigare,
Me infrascriptum vocare fecit in came-
ram suam, coram infrascriptis Testibus
ad hoc specialiter vocatis, & dato iura-
mento fidelitatis, Me Notarium creauit,
vt in Causa, quam agitare, intendit, illi
pro Actuario inferuirem. Acta sunt hæc
Anno Die Mense & loco &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Si autem Prouincialis ex Officio ve-
lit iudicè inquirere per Inquisitionem
mixtam contra aliquem Fratrem, de quo
multa audiuit, quæ non sunt quidem gra-
uiora delicta, quæ singula iudicialiter ca-
stigentur; tamen cumulata aggrauant, &
ex ijs valdè conturbatur Conuentus, &
Prouincia; (licet hoc regulariter non fiat,
quia illa paternaliter emendantur) tamen
hoc potest Prouincialis, & multoties ex-
pedit. Tali casu incipiet Processum, vt
sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum
A. R. P. Prouincialis N. accepisset Fr. N. in
Conuentu N. commorantem varios, & di-
uersos excessus commisisse, & de nonnul-
lis illorum non satis claram notitiam ha-
buisset; ac per Fratris prædicti immorige-
ratam vitam conturbetur Familia illa; si-
cut & euenisse audiuit alijs Conuentibus,
in quibus ipse est commoratus; pro Offi-
cij sui debito super huiusmodi defectibus,
& excessibus inquirere, & ad normam iuris
castigare, decreuit. Quapropter Me infra-
scripto, coram N. & N. Testibus, creato in
Notariū per exhibitionem iuramentī, quod
præstiti tacto pectore &c. statuit, quæ de
iure sunt aggredi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. Actuarius.

XII. Forma incipiendi Processum per viam Denunciationis.

*Quia Denunciatio debet præcedere in-
ceptionem Processus, qui construitur per De-
nunciationem, danda prius est formula iux-
ta quam fieri debeat Denunciatio. Et reco-
lenda hic sunt ea, quæ dedimus Par. I. Tit.
Denunciatio nu. 3. & seqq. p. 385. de duplici
Denunciatione, puta in foro paterno, & iudi-
ciali, quæ videre omninò oportet. Si ergo
detur Denunciatio Prælato, vt Patri, & De-
nunciatus intendit, quod Prælatus paternè,
solum, & secretò corrigat, & crimen non est
diffamatum, non potest Prælatus ex ea pro-
cessum instruere. Si verò de crimine publi-
ca est infamia, debet, in eo inquirendo, pro-
cedere ex Officio, & instituere processum per
Inquisitionem ex Fama, iuxta formam da-
tam supra nu. VII. nulla facta mentione De-
nunciationis sibi paternaliter data; aut de-
bet procedere per viam Inquisitionis genera-
lis, siue Visitationis iudicialis, vt dictum
fuit*

fuit supra . Si verò Denunciatio fiat Prælato , vt Iudici , ab illa motus Iudex , & ad instantiam Denunciantis , ad fabricationem Processus deueniat . Quia verò Denunciatio potest fieri simpliciter puta ore tenus , siue per Libellum præsentatum Iudici , siue per literas missas , singulorum modorum formula est danda .

XIII. Forma Denunciationis ore tenus faciendæ , ex eo quod Denuncians nescit scribere .

In nomine Domini . Amen . Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro Prouinciali &c. Fr. N. Laicus , qui nescit scribere , & dixisset , se velle iudicialiter , & fecerit denunciare nonnullos Religiosos Reos de nonnullis criminibus , vt ad exemplum aliorum corripiantur , idem A.R.P. Prouincialis , coram infra scriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis , vocare in cameram suam , fecit Me infra scriptum , & mihi dato iuramento fidelitatis , quod præstiti , tacto pectore , Me Notarium creauit ad effectum ei inferuendi pro Actuario &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Testis .

Ego N. Testis .

Ego N. Actuario .

Consequenter fuit vocatus coram eodem A.R.P. & Me infra scripto Fr. N. Laicus , qui supra , & iniunctum ei fuit , vt diceret illud , quod asseruit , se habere denunciandum A.R.P. Prouinciali . Qui dixit se denunciare iudicialiter Patrem Fratrem N. quod (& hic describatur delictum , seu delicta , de quibus vult , denunciare , assignando tempus , & locum , & qualitatem delicti) & Testes ad probandum assignauit PP. N. & N. Sacerdotes Fratrem N. Clericum &c. Laicum &c. & Denuncians apponat signum † .

Ego N. Minister .

Ego N. Actuario .

XIV. Forma Denunciationis per Libellum Iudici præsentatum , qui potest etiam mitti per literas .

Coram P.V.A.R. comparet Frater N. Sacerdos &c. & dicit Fr. N. Laicum Quæ-
Pars II.

stuarium Conuentus N. &c. parum religiose viuere , scandalizando actibus immodestis Sæculares , & eorum deuotionem erga Religionem , cum graui ipsius damno , imminuendo . Et quantumuis fuerit ipse à bonis Religiosis monitus , non tamen vitam suam correxit . Quapropter zelo publici boni ductus , & vt seueritas iudicij corrigat , quod charitas emendare nequiuit , denunciat prædictum Fratrem N. sicuti (& hic ponatur , per extensum , crimen , de quo denunciat , assignando tempus , & locum , & qualitatem delicti ,) & assignat in Testes Fratres NN. & N. Dat. Die Mense & Anno &c. in Conuentu N.

Ego Fr. N. denuncio vt sup.

Ita ergo , concepto Libello Denunciationis , & Iudici , siue personaliter , siue per literas præsentato , debet incipi Processus , vt sequitur .

In nomine Domini . Amen . Cum præsentatus fuerit personaliter , siue per literas missus , quidam Libellus denunciatorius à P. Fr. N. Sacerdote A.R.P. Ministro Prouinciali , qui incipit Coram Paternitate Vestra Adm. Reuerenda &c. & desinit Ego Fr. N. denuncio vt supra . Et hic inferitur signatus litera A. siue num. I. siue signo &c. & apponatur signum tum in fronte Libelli , tum in Processu . Volens idem A.R.P. Prouincialis sui muneris partes adimplere . coram infra scriptis Testibus specialiter adhibitis , Me infra scriptum vocauit in suam cameram , & Notarium creauit , vt inferuirem ipsi pro Actuario , cum prius exhibuiffem iuramentum fidelitatis per tactum pectoris , more Sacerdotali . Acta sunt hac Die ... Anno ... &c. in Conuentu &c.

Ita est Ego N. Minister Prouincialis .

Ego N. fui Testis .

Ego N. fui Testis .

Ego N. Actuario .

ADNOTATIO I.

XV. Aduertendum primò , quod aduersus Prælatos , & Viros magni nominis non sunt recipiendæ Denunciationes ab hominibus infimæ plebis , vt ordinatur in Textu Tit. Denunciatio §. IV. & Nos ad citatum locum explicauimus à num. 19. pag. 392. & inde . Proinde si aliquis casus euenerit , quod gregarius Frater velit Prælatum , aut insignem Virum Religionis denunciare , Iudex faciat , vt conuertat Denunciationem in Accusationem , cuius formulam infra dabimus .

ADNOTATIO II.

XVI. *Aduertendum secundò, quod multa sunt de forma substantiali Denunciationis, quæ Nos scripsimus Par. I. Tit. Denunciatio quæst. 4. à num. 32. & seqq. pag. 398. ad quem locum remittimus Lectorem, ne hic inutiliter repetamus, & ea benè debet Iudex aduertere.*

ADNOTATIO III.

XVII. *Aduertendum tertio, quod licet, qui denunciat iudicialiter, non possit esse Testis in Causa, in qua denunciat, (vt habet Text. Tit. Denunciatio §. IV. & Nos ibi diximus n. 22. pag. 394.) tamen, post porrectam siue missam Denunciationem, optimum est illum examinare, tum vt suppleat ea, quæ sunt necessaria pro Denunciatione, & ipse præ ignorantia omisit; tum vt Iudex benè informetur de circumstantijs facti; ex quibus potest veritatem indagare; tum vt cognoscat, an Denuncians ad instigationem alterius, qui est Testis de visu, denunciavit, ex quo fit, quod testimonium sic instigantis debilitatur eo modo quo diximus Par. I. Tit. Sententia num. 70. pag. 794. & non potest cum alio Teste, licet integro, Reum conuincere. Habita ergo Denunciatione, continuetur processus, vt sequitur.*

Consequenter idem A. R. P. Prouincialis, acceptata dicta Denunciatione si, & in quantum &c. voluit ab eodemmet Denunciante plenius informari de omnibus circumstantijs facti, de quo denunciauit supra memoratum Fratrem N. & dato ei iuramento de veritate dicenda, & quod non animo calumniandi denunciauit, prout iurauit tact. &c. fuit.

Interrogatus. Vnde scit ea, quæ denunciauit.

Respondit &c.

Interr. Quo tempore, loco, & quibus præsentibus?

An ea viderit, vel ab alijs audierit?

A quibus, quo tempore, quo loco quibus præsentibus?

Quomodo accidit factum, de quo deponit?

Quo loco, & tempore?

An Frater N. Denunciatus sit bonæ famæ?

An aliàs fuerit correctus, & à quo?

Quo loco, & tempore?

An Denuncians monuit Superiorem Locale m?

Quare non monuit?

Quare distulit tantum temporis Denunciationem?

An amore, aut odio deposuerit? &c. & habitis opportunis responsionibus concludatur ita. Quibus per Me infrascriptum receptis, sibi que lectis, cum noluisset aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. affirmo vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Quod si Denunciatio fuerit missa per epistolam initium processus, quod dedimus supra num. XIV. debet continuari, prout sequitur.

Consequenter A. R. P. Prouincialis volens suo muneri satisfacere, se contulit ad Conuentum N. & in cameram suam, in qua Tribunal suum erexit, Me infrascripto præsentem, vocare fecit suprascriptum Fratrem N. qui scripsit Epistolam denunciatoriam, & ei delato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tact. &c. fuit.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

An scripserit Prouinciali aliquas literas?

An per alium scribere fecerit?

Quid continebant illæ literæ?

An eas cognosceret, si sibi ostenderentur?

Et notetur, quod literæ fuerunt sibi ostensa, & eas vt à se scriptas, vel de mandato suo, recognouit.

Vndè scit ea, quæ denunciauit?

An ea viderit?

An ab alijs audierit? &c.

Et prosequatur interrogationes paulò supra positas &c.

Quod si Examinatus, sibi presentatis literis denunciatorijs dicat, se illas nullo modo scripsisse, & licet characteres in parte, assimulentur scripturæ suæ, tamen tales literas à se non fuisse scriptas; posset quidem fieri Inquisitio generalis de talibus literis; sed profectò esset inutilis labor, quia non inueniuntur, & non fiet plena probatio de eo, qui scripsit; & causaretur tantum conturbatio in Conuentu. Melius ergo est, vt Iudex tunc inquirat ab Examinato, An audierit aliquid fuisse dictum de tali delicto in Conuentu? A quibus ipse audierit &c. & si reperiatur delictum esse diffamatum, probata legitime fama

procedat ad Inquisitionem specialem, prout dicimus supra num. VII. Si verò nullam reperit infamiam, concludat Processum hoc modo.

Cum ex præhabitis appareat nullam fuisse Denunciationem A. R. Patri transmissam, ex eo, quod non apparet persona Denunciatoris; nec etiam de delicto denunciato aliqua viget infamia, idem R. A. P. decreuit non esse ulterius procedendum. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma Denunciationis quando Denuncians ignorat personam Delinquentis.

Quando Denunciatori notum est delictum, & Delinquens, & ambo denunciat Iudici, & instat, ut secundum Regularia instituta corrigat, Iudex procedit ad instantiam Partis; sed quando denunciat solum delictum, cum nesciat Iudex, contra quem dirigere debeat iudicium, tenetur ex Officio procedere per Inquisitionem, quæ dicitur Mixta, puta specialis, quo ad delictum, & generalis, quo ad Delinquentem. In hoc ergo casu Processus incipi debet iuxta formam incipiendi Processum per viam Denunciationis; & variatur tantum, (licet in paucis,) forma Denunciationis, quæ potest fieri, vel ore tenus, vel per epistolam modo sequenti.

Coram A. R. Paternitate Vestra compareo Ego infra scriptus, & dico quod in Conuentu N. commissum est, tale delictum puta, (*& hic recensatur per extensum delictum commissum,*) ignoro verò quisnam fuerit, qui tale facinus patrauit. Quapropter zelo Regularis obseruantie motus, & cognoscens, quod delictum tam graue debet iudicialiter corrigi, insto, vt, iuxta iuris regulas, ad inuestigandum Delinquentem procedat. Ad probationem autem talis delicti produco in Testes P. P. F. F. N. & N. ultra alios quos inueniet informatos. In cuius veritatem hic me subscripsi.

Ego Frater N. denuncio, vt supra.

Debet autem Iudex illum examinare modo, quo num. precedenti dictum est.

XIX. Forma Denunciationis ciuilitè datæ.

Potest dari casus, quod Denuncians non intendat iudicialem correctionem Delinquentis, sed tantum, quod sibi restituatur, quod ablatum est à Denunciato; vt in re, quæ erat ad proprium vsum sibi surrepta; in Libello famoso contra se euulgato; in casu contumelie, seu iniurie verbalis; in detractio- ne graui famæ Denunciantis. Tali ergo casu Iudex ad instantiam Denunciantis, non potest agere nisi ciuilitè, puta obligando Reum ad debitam satisfactionem. Sed quia Actiones ciuiles, & criminales cumulantur, prout dicimus. Tit. Accus. n. p. pag. 337. idem Iudex potest tali casu procedere ex Officio, & ultra restitutionem faciendam Denunciati à Reo, hunc de delicto criminaliter punire. Verum est, quod ad hoc, quod, vt præfertur, ipsum possit punire, oportet quod, aut delictum publicum sit; vel de eo vigeat infamia, quæ suppleat vices Denunciatoris. Sed si de delicto, quod à duobus, vel tribus cordatis viris tantum, qui ipsum non publicauerunt, scitur, nequit Iudex criminaliter ex Officio procedere. Forma autem denunciandi talis erit.

Coram A. R. P. N. Ministro Prouincia- li comparet Frater N. & dicit; Grauem iniuriam sibi fuisse illatam à Fratre N. qui Libellum famosum contra se composuit, & vulgauit, siuè coram Fratribus contumeliosa verba contra eum protulit; siuè e cella sua libros, seu aliam rem ad proprium vsum Denunciantis, à Superioribus concessam, surripuit &c. Quapropter illum iudicialiter denunciat ad simplicem, & purum finem, vt cogatur prædictus Fr. N. restituere famam, siuè rem sibi ablatam &c. Et ideo protestatur idem Denuncians, quod pro amore Di iniuriam acceptam condonat, nec vult, aut intendit, quod prædictus Fr. N. qui iniurauit, aliqua pœna, nec publicè, nec priuatè afficiatur, sed solum damnum sibi illatum refarcire compellatur. Testes verò in hoc dat. P. P. F. F. N. N. & N. Dat. &c.

Ego F. denuncio, vt supra.

XX. Forma querelandi aliquem apud Iudicem.

Supposito eo, quod dicimus Par. p. Tit. Accus. n. 50. p. 469. de Querela, quod nempe differt

pe differt ab Accusatione, & assimilatur Denunciationi; dico, quod distinguitur à Denunciatione, sicut species à genere; siquidem Denunciatio comprehendit reuelationem quorumcumque delictorum, siue tangant personam Denunciantis, siue non; Querela autem non est, nisi de delictis, quae tangunt, vel ipsum Denunciantem, vel alios, qui aliquo modo ad ipsum pertinent, proinde ad querelam alicuius datam contra alium, Iudex procedit ex Officio; sicut in Denunciatione. Non requirit autem aliquam formam diuersam ab ea, iuxta quam datur Denunciatio, proinde potest fieri, iuxta formam datam pro denunciatione ciuilitate faciendae, & Iudex debet procedere in casu Querelae, ut in casu Denunciationis ciuilitatis.

XXI. Forma incipiendi Processum per viam Accusationis.

In nomine Domini Amen. Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro Prouinciali N. Pater Fr. N. & illi porrexisset Libellum Accusationis contra Fratrem N. & petiisset sibi fieri Iustitiam; volens praedictus A.R.P. Prouincialis procedere, prout de iure debet, vocato Me infra scripto in Cameram suam coram Testibus infra scriptis ad hoc specialiter adhibitis, petijt à Me iuramentum fidelitatis, quod praestiti tacto pectore more Sacerdotis, & Notarium creauit ad effectum, ut illi pro legitimo Actuario deseruirem. Acta sunt haec Die.... Mense..... & Anno &c. in Conuentu &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus comparuit coram eodem A.R.P. Ministro Prouinciali supradictus P.F.N., & porrexit Libellum Accusationis, instando, ut acceptaretur, &, prout de iure, procederetur: quem ad mandatum A. R. P. recepi, & legi, & in Actis inserui signatum litera A.; siue numero primo &c. & incipit, & desinit &c. (*& describatur tenor principij, & finis Libelli.*) Acta sunt haec Die..... Anno..... Mense &c. & loco quo supra &c.

XXII. Forma Libelli Accusationis.

Coram A. R. P. N. Ministro Prouinciali comparet Frater N. Sacerdos, & non odio, aut cum animo calumniandi, sed ductus zelo publici boni, ut Delicta, in vno punita, alios deterreant à delinquendo, accusat Fratrem N. qualiter &c. (*& hic describatur Delictum assignando tempus, locum, & omnes circumstantias substantiales illius,*) Et intendit hoc probare in iudicio in legitima forma, se offerendo ad penam talionis nisi probauerit; instat proinde praesentem Accusationem admitti, & super veritate expositorum procedi ad Inquisitionem, & debitam poenam Delinquentis. Dat. &c.

ADNOTATIO I.

XXXIII. Aduertendum primò, quod, ut probauimus, Par. p. Tit. Denunciatio n. 21. p. 393. Accusatio non potest fieri per literas; neque etia per Procuratorem, ut scripsimus; Titulo Exceptio n. 4. p. 471. si ergo detur Casus, quod aliquis per literas alium accuset, debet Prouincialis illum ad se vocare, & facere, ut praesentialiter Accusationem de nouo instituat, nulla habita ratione Epistolae Accusatoriae, quae debet tantummodò esse excitatiua Iudici, ad vocandum Accusatorem, & de ea nulla debet fieri mentio in Processu; nisi fortè diceretur, quod Iudex motus à tali Epistola vocauit ad se Fratrem N. qui accusauit &c.

ADNOTATIO II.

XXIV. Aduertendum secundò, quod si Iudex praecipuus affectione erga Reum, periculum est, quod Accusationem, aut nolit acceptare, aut acceptatam dissimulet, (*& interea moneat Accusatum, ut ad euadendam poenam ordinariam, & publicam se spontè praesentet,*) vel totaliter sepeliat, Accusator debet, adhibere duos Testes, qui subscribant se in Libello Accusatorio, cuius duo originalia debet habere Accusator, quorum vnum Iudici praesentet, aliud verò penes se conseruet, ut possit, concludenter, apud maiores Superiores, probare, se tali tempore accusasse, quemadmodum diximus supra de libello Recusationis. Sect. p. num. XVII.

ADNOTATIO III.

XXV. Aduertendum tertio, quod ut habetur in Text. Tit. Accus. §. 6. p. 362. Accusationes contra Prælatos, & personas insignes non sunt recipiende, nisi sint data à Religiosis, de quorum zelo non ambigatur. In facti ergo contingentia, Iudex, cui porrigitur Accusatio contra Prælatum, si probè nouit integritatem Accusantis, potest Accusationem recipere, sed debet apponere in Processu, ut monuimus. Tit. Accusatio n. 38. sequentia. Quia Nobis nota est Religiosa probitas P.F.N. Accusantis, & ex eius vita laudabili præsumi non potest, quod calumniosè agat, idèd Accusationem datam contra N. Prælatum, &c. recipimus. Si verò Iudex non habet notitiam Accusatoris, antequam Accusationem datam contra Prælatum acceptet, debet sumere informationem interrogando Testes super vita, & fama Accusatoris (non tamen inquirendo de aliqua re in particulari,) & si inuenerit eum bonæ fame, Accusationem acceptet, sin minus, eam repellat, ut diximus citato. Tit. Accusatio. num. 38. p. 364.

ADNOTATIO IV.

XXVI. Aduertendum, quarto, quod non tenetur Accusator assignare Testes eodem contextu, quo Accusationem porrigit. Unde si metuit, quod Testes ab eo manifestati subornentur, aut ex potentia Accusati deterreantur, ne dicant veritatem, & ipse Accusator deficiens in probatione succumbat pœnæ talionis, debet solùm dicere in Libello accusatorio, Se paratum esse ad legitime probandum ea, de quibus accusauit; nec Iudex potest adstringere illum ad producendos Testes; sed facere Decretum de acceptanda, vel non, Accusatione, ut infra dicemus.

XXVII. Forma incipiendi Processum per viam Exceptionis.

Suppositis, quod diximus Par. p. Tit. Except. n. 2. & seqq. p. 471. quod nempe Exceptio, vel fit contra personas interuenientes ad iudicium, ut Iudicem, Actorem, Testes, Peritum &c. vel fit contra Eligendum, vel Electum ad Prælaturam; hîc loquimur de Exceptione secundo modo. Etenim si excipiat contra personas, quæ iudicio interueniunt, de inimicitia, aut alia qualitate

exceptiua; ad cognoscendum de ea, non initiatur nouus Processus, sed per modum articuli incidentis in Causa. Inquisitio fit, & describitur in eodem Processu, in quo actitatur Causa principalis, nisi Exceptio proponatur criminaliter, ut diximus, Tit. Exceptio n. 10. p. 474. & de hoc inferius suo loco dicemus. Hic ergo loquimur de Processu, qui debet fieri à Prælato, casu quo fiat Exceptio contra aliquem, ne eligatur ad Dignitatem, aut contra Electum, ut non confirmetur. Recolendum autem est, quod diximus; Par. p. Tit. Exceptio nu. 6. & seqq. p. 472. de Exceptione ciuilitè, vel criminaliter intentata, & benè attendenda, quæ ibi scripsimus. Casu ergo, quo tempore congruo, Exceptor proponat Exceptionem contra Eligendum, ne eligatur, siue iam Electum, ne confirmetur, Processus ita potest, incipi.

In nomine Domini. Amen. Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro Prouinciali, siue Commissario Visitatore P. N. Sacerdos Concionator &c. & illi præsentasset quendam Libellum Exceptorium contra P.N.; volens prædictus A.R.P. iuxta iuris regulas, & Statutorum dispositionem procedere, coram infrascriptendis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocauit Me in cameram suæ residentia, Minique datò fidelitatis iuramento, quod præstiti, tacto pectore, Sacerdotum more, Me Notarium creauit, ad effectum, ut illi pro Actuario deseruirem. Acta sunt hæc Die Mensè Anno..... &c. in Conuentu &c.

Ego N. Minister &c. siue Commissarius Visitator.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus coram eodem A.R.P. & Me infrascripto P.F.N. qui supra, Libellum Exceptorium præsentauit, & ad mandatum Iudicis, ipsi legi, & in Actis inserui signatum litera A. siue num. 1. &c. & incipit &c. & desinit &c. (& describatur initium, & finis libelli) & prædictus A.R.P. dixit, se illum acceptare si, & in quantum, & se prouisurum, prout de iure &c. Acta sunt hæc Die Mensè Anno... &c.

Ego N. excipio, prout supra.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

XXVIII. Forma Libelli Exceptorij
contra Eligendum.

Coram A.R.P.N. Ministro Prouinciali, siue Commisario, Visitatore comparet, F.N. Sacerdos Concionator &c. & dicit, quod magnum damnum eueniret Prouinciae, si eligeretur ad Ministeriatum, Diffinitorium, siue Guardianatum P. F. N. de quo multum dubitatur, quod possit eligi: Et ideò ad antè vertendū omne damnum, quod ex tali electione possit euenire Religioni, cuius vtilitatem quilibet, qui sit de eius corpore, procurare, debet, proponit contra ipsum infra scriptos Articulos Exceptorios; & in his scriptis iurat, se non animo calumniandi, malo dolo, neque ab aliqua passione, aut animositate contra memoratum P. N. moueri, sed à puro zelo boni communis, Proindè non intendit, neque vult, quod praedictus Pater ob contenta in infra scriptis Articulis, punitione, aut poena confusibili aliqua afficiatur, sed solummodo, quod ad talem Praelaturam, non eligatur. Protestando, quod si super Exceptione, quam legitime proponit, non fiat debita Inquisitio ad normam iuris, ac, ea contempta ad Electionem deuenietur, & praedictus Pater N. remanserit electus, electio ipsa erit cassa, & nullius valoris, & prouocat ab ea ad Superiores, ad quos de iure. Articuli autem sunt.

1. Quod P.N. est ignorans, & nescit Regulam, nec Constitutiones Apostolicas, & Regulares, necessarias ad Regimen.
2. Quod est illegitimus &c. seu, non habet aetatem prescriptam &c. seu habet talem Irregularitatem ex defectu, seu delicto &c.
3. Quod introduxit Mulierem intra claustra &c. siue ingressus est Claustram Monialium &c.
4. Quod est priuatus actibus legitimis ob delictum &c. commissum tali loco, & tempore &c.

Et Testes necessarios ad probationem producit P. P. N. & N. super primo, N. & N. super secundo &c. Dat. Die Mense, Anno ... loco, &c.

A D N O T A T I O I.

XXIX. Aduertendum, quod licet Exc-

ceptio proponatur ciuilitè, tamen si in eius probatione concludatur aliquod crimen, seu delictum, Superior tenetur ex Officio procedere ad punitionem illius; quia, vt diximus Par.p.Tit.Exceptio.n.3. p.471. probatio illa est publicum iuris, quo excitatus Iudex Officium suum nobile, pro bono Reipublicae, impendere, tenetur. Verum est, quod non potest, vti eisdem probationibus, neque Processu ciuili, ad puniendum criminaliter, vt diximus citato loco, sed debet nouum Processum incipere, cuius formam dabimus num. XXXIV.

XXX. Forma Libelli Exceptorij
criminaliter propofiti contra Eligendum.

Coram A.R.P. Ministro &c. siue Commisario Visitatore comparet Fr. N. Sacerdos Concionator &c. & dicit, quod cum probabiliter, vt communiter existimatur, possit in futuro Capitulo eligi in Prouincialem, siue Diffinitorem &c. P. N. magnum damnum Religioni eueniret; tum quia multi ipso digniores; & magis proficui Prouinciae abijcerentur; tum quia ipse, qui dignus est punitione, ob sui mala facta, impunitus euaderet, cum scandalo pusillorum. Proindè ipse Comparens non malo dolo, neque ex inimicitia, sed ex puro zelo publici boni motus (vt iurat in his scriptis) excipere contra memoratum P.N. intendit, ne ad Praelaturam aliquam assumatur, & ideò infra scriptos Articulos a se probandos per legitima documenta sub poena Talionis, proponit: volens, quod de delictis infra scriptis, de quibus excipiendo eum accusat, ad aliorum exemplum, & nostrarum legum normam, castigetur. Protestando de nullitate Electionis, si ad eam deuenietur, & in praedictum cadet, non curata praesenti Exceptione; & ab ea ex nunc pro tunc prouocat, appellat, & petit recursum ad Superiores, ad quos de iure. Articuli autem sunt.

1. Quod praedictus Pater N. est natus ex thoro illegitimo, nec est dispensatus ad Dignitates.
3. Quod non seruat vitam Communem &c.
3. Quod fraudauit elemosinas Conuentus N. vbi fuit Guardianus; est proprietarius; & expendit denarios &c. fornicatus est scandalosè cum Berta &c.

Testes

Testes producit super primo P. P. N. & N. super secundo N. & N. super tertio N. & N. &c. *sive* Testes suo loco, & tempore producere, est paratus. &c. Dat. Anno Mense... Die loco, &c.

Ego N. excipio, protestor, insto, & appello, vt supra.

A D N O T A T I O II.

XXXI. *Aduertendum, circa Exceptionem criminaliter intentatam, id quod diximus; Par. p. Tit. Exceptio n. 9. p. 474. quod si delictum, ratione cuius proponitur Exceptio, erat, multo tempore antè, notum Excipienti, & tamen iste tacuit, & expectauit proximitatem Capitularis Electionis, nisi Exceptor assignet causam legitimam, ob quam tantum distulerit, non debet Iudex, ad instantiam Exceptoris agere; imò debet hunc ad Statutorum normam punire, quia per tantum tempus tacuit. Verum est, quod Iudex, ex Officio, tenetur inquirere super illo, si adsit infamia; & ita impedire, ne Indignus promoueatur, aut Nocens euadat impunitus.*

XXXII. Forma excipiendi contra Electum, ne confirmetur.

Supposito, quod, ex cap. Nihil est. de Elect. & cap. final. eod. tit. in 6. dispositione, ante confirmationem debeat Superior inquirere super scientia, atate, & ceteris requisitis Electi; quodque hoc inter Regulares ex consuetudine, non tamen vndequaue laudabili, omittatur; tamen si Confirmatori contra Electum proponatur aliqua Exceptio, quæ ab Electione passiuarepellat, nec debet nec potest Superior illum confirmare, donec super Exceptione proposita non pronunciauerit. Quod si, illa non attentà, confirmarit, nulla euadet Confirmatio, & Confirmator est, puniendus. Casu ergo, quod proponi debeat Exceptio contra Electum, ne confirmetur, debet concipi Libellus, vt sequitur.

Coram A. R. P. Commissario Visitatore comparet F. N. Sacerdos Confessarius & dicit. Electionem P. N. factam in Prouincialem huius Prouinciæ esse cassandam & annullandam; eo quia nonnulla militant in eo, ob quæ à Sacris Canonibus, & Regularibus Statutis, ille est ineligibilis, ad Prælaturam. Quapropter non malo dolo, aut ex vlla animositate contra eum, sed ex puro zelo publici boni, & vt leges

feruentur, excipit contra eum de infra-scriptis Articulis, quos probare intendit in legitima forma, non, vt per ea, quæ in illis continentur, aliqua confusibili pena puniatur, sed tantum ne confirmetur in Prælatura, ad quam Electus est. Instat proinde præsentem Exceptionem, quam in his scriptis iurat, non esse calumniosam, admitti, & probationes exhibitas acceptari, & interea circa Confirmationem nihil innouetur, aliter protestatur de nullitate Confirmationis, prouocat ad quos de iure, & petit recursum ad Superiorem. Porro Articuli sunt infra-scripti.

1. Quod Pater N. pro maiore parte diei solet esse ebrius, cum scandolo Sæcularium.
2. Quod ipse simoniacè, & pacta pecunià cum Vocalibus, electus est.
3. Quod est ignorans, & non solum Constitutiones Ordinis Ad regimen necessarias non nouit, sed neque Regulam scit, neque etiam linguam latinam &c.

Testes producit super primo P. P. N. N.; super secundo N. & N.

Ego Fr. N. excipio, insto, protestor, & appello, vt supra.

A D N O T A T I O

XXXIII. *Aduertendum, quod, cum consuetudo sit, quod publicata Electione, statim intonetur, Te Deum laudamus, & non solum Capitulares, sed omnes Fratres de Familia processionaliter vadant in Ecclesiam, vbi illicò confirmatur Electus, & ipsi redditur obedientia; difficile est, quod tantum temporis interueniat inter publicationem Electionis, & Confirmationem, vt possit scribi Libellus Exceptorius, cuius forma est tradita. Poindè in facti contingentia, si timeatur, quod electus euadat aliquis, qui Religioni futurus sit perniciosus, potest parari antè Libellus Exceptorius, & statim, ac Disquisitor Electionem publicauit, potest Exceptor coram toto Capitulo Libellum intimare, & sic fiet, quod ad confirmationem non possit procedi; vel etiam potest, proponi Exceptio ore tenus, & eundem vigorem obtinebit, cum sit publica, & coram toto Capitulo facta. Quod si tempus suppetit, melius est, vt fiat scripto, quia melius exponuntur ea, quæ sunt necessaria ad validam Exceptionem. In casu autem, quod timeatur, quod Superior*

rior Exceptionem factam antè Electionem, vel antè Confirmationem dissimulet, potest Exceptor in actu producendi Exceptionem coram Iudice, ad cautelam, adhibere Testes, ut de libello Recusationis diximus. Sect. p. num. XVII.

XXXIV. Forma incipiendi Processum, ex indicijs probatis in Processu Exceptiuo.

Quia, ut supra dictum est, Iudex ex Officio tenetur, procedere ad punitionem delicti, quod probatum remanet in processu Exceptiuo, quantumvis Exceptio fuerit ciuilitè tantum proposita; ideo damus formam initiandi Processum criminalem ad procedendum ex indicijs probatis, in Processu Exceptiuo, & talis esse potest,

In nomine Domini Amen. Cum debitum Pastoralis Officij sit criminofos Subditos debitis pœnis coercere, ne delinquentium impunitas, malo exemplo, cæteros ad similiter peccandum sollicitet. A. R. P. Minister Prouincialis N. cum nouisset, Patrem N. commisisse nonnulla graua delicta, prout probatum remanet in processu Exceptiuo contra eundem fabricato ad instantiam P. Fratris N. ut in Actis &c. Decreuit, prout etiam præfenti Decreto decernit, iudicium criminale contra eum instituere, ad examen Testium deuenire, & alia prosequi, prout de iure, vsque ad Sententiam Diffinitiuam. Acta sunt hæc Die..... &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego Fr. N. Actuarius.

A D N O T A T I O

XXXV. *Aduertendum, quod in hac Forma non posuimus creationem Notarij, quæ, ut alias diximus, debet procedere cæteros Actus iudiales, quia supponimus, quod Iudex, in hac Causa, utatur Notario iam creato pro conficiendo Processu Exceptiuo. Cæterum si alio, qui Religionis Notarius antè non sit, vult uti pro Actuario, necessarium est, quod ipsum coram Testibus creet, & de creatione faciat constare in Processu, sicuti in singulis Formis precedentibus apparet.*

XXXVI. Forma incipiendi Processum, quando agitur per viam Notorij.

Suppositis ijs, quæ diximus de crimine Notorio, & quomodo sit in eo procedendum; Par. p. Tit. Canones à num. 56. pag. 125. ad quæ Lectorem remittimus, sciendum est, quod quo ad initiandum Processum non differt à cæteris modis procedendi siuè per Inquisitionem, siuè per Denunciationem. In cæteris differt in hoc, quod ubi in cæteris Processibus Testes adhibentur ad probandum crimen fuisse patratum, in Notorio examinantur tantum ad probandum, quod delictum sit Notorium; & in hoc Reus non constituitur, ut confiteatur delictum; sed tantum, ut dicat, Quare non debeat in pœnam Legis condemnari. In casu ergo Notorij, potest incipi Processus, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad aures A. R. P. Ministri Prouincialis N. à pluribus fide dignis delatum fuerit, Fratrem N. in Conuentu N. coram omnibus, siuè maiori parte Fratrum in horto; siuè Camera ignis communis; siuè Claustro, aut Refectorio &c. existentium, dolosè, scienter, & temerariè alapam impegisse in faciem Fratris N. &c. ita, ut dictus Frater N. non potest negare, quod delictum prædictum non commiserit, nec est locus iustificationi, cum dictum maleficium sit manifestum, & Notorium, & cum scelere perpetratum; ideo idem A. R. P. pro suo munere per modum Notorij procedere (me infra scripto coram infra scriptis creato in Notarium per exhibitionem iuramenti fidelitatis, quod præstiti tacto spectore &c.) decreuit, sumendo debitas informationes super Notorietate. Acta sunt hæc Die..... loco..... &c.

Ego Fr. N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

XXXVII. Forma incipiendi Processum super Delicto cognito incidenter in alio Iudicio.

Accidit aliquando, quod siuè Testis, siuè Reus examinatus à Iudice confiteatur incidenter, aliquod delictum totaliter separatim ab eo, de quo inquiritur; ut exempli gratia

ia Caius Testis examinatus super homicidio commisso à Titio, deponit se vidisse illum, quando occidit Seium; & interrogatus à quo loco viderit, deponit se vidisse per fenestram, dum esset in domo, & camera Pbrinis, ad quam diuerterat, ut cum ea fornicaretur. Tali casu Caius incidenter confitetur fornicationem, & de Teste fit Reus. Et pari modo Reus interrogatus potest confiteri Delictum totaliter separatum ab eo, de quo est inquisitus. Tali casu Processus initiandus est, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum in Processu fabricato contra P. N. super &c. (& describatur Delictum, super quo fit Processus criminalis; siue punctus litis, si procedatur civiliter) P.F.N. Testis; siue P. N. Reus iudicialiter examinatus, in sua depositione confessus sit, se commisisse, tale, siue tale Delictum, (& describatur Delictum confessatum,) & de hoc non fuerit alias Curia informata; ideò volens prædictus, A. R. P. suo muneri satisfacere, decreuit, prout de iure, procedere ex Officio ad prædicti Delicti Inquisitionem, & punitionem ad formam Statutorum. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Prouincialis.
Ego N. Actuarius.

XXXVIII. Forma incipiendi Processum contra deprehensum in fragranti Delicto.

Dupliciter potest contingere, quod Reus, in fragranti crimine deprehensus, coràm Iudice statuatur; vno modo si in actu delinquendi captus sit, & ducatur immediatè coràm Iudice; alio modo si ab eodem Iudice, coràm Testibus in scelere fragranti inueniatur. Primo modo rarus est casus respectu Regularium, sed cum possit dari, expedit tradere Formam Processus, quæ potest esse, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad A.R.P. Ministrum Prouincialem N. à nonnullis Sæcularibus adductus fuisset Frater N. ab iisdem captus, dum agressus manu armata N. Sæcularem, illi infixit aliqua vulnera, & tentabat eidem totaliter adimere vitam, prout dixerunt; volens idem A.R.P., prout de iure, procedere, Me infra-scriptum coràm infra-scriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis Notarium creauit, per exhibitionem iuramenti fidelitatis

tis, quod præstiti more solito &c. ad effectum &c. Acta sunt hæc &c. Die ... Anno...
Ego N. Minister Prouincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Immediatè post idem A.R.P. coràm se vocare facit N. de N. vnum, ex illis, qui, ut præfertur, adduxerunt prædictum Fratrem N. captum; & in præsentia eiusdem Capti audientis, videntis, & intelligentis illum, (dato prius iuramento de veritate dicenda) interrogauit:

Quare illum Fratrem apprehenderint, & coràm se adduxerint?

In quo loco, & quo tempore apprehenderint?

In quo actu?

Quantum temporis fuerit interiectum inter Delictum, & apprehensionem?

Qui fuerint, præsentés Delicto, & apprehensioni?

An apprehensus fecerit resistantiam, & quid dixerit, aut fecerit dum captus fuit?

Ad quem finem adduxerunt illum ad se? &c.

Et in hac forma omnes Apprehensores in facie ipsius Rei debent examinari. Et omnibus examinatis debet concludi.

Quibus habitis idem A. R. P. iussit prædictum Fr. N. Reum in carcerem detru-di ad custodiam, donec fierent, quæ agenda sunt.

Acta sunt hæc &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Potest autem dari casus, quod Reus deprehendatur in fragranti crimine ab eodemmet Superiore; ut potè si monitus est Superior, quod Reus solet de nocte exire à Conuentu; aut quod denarios habet in Camera, vel secum portat in manica, vel sporta &c. Tali casu aduertat Superior, quod oportet, quod habeat secum Testes, quando vult Reum in fragranti deprehendere, ut possit eos examinare, & conuincere; aliter si solus eum intercipit, non poterit ipsum, ex se solo, constituere, & punire. Processus autem potest initiari, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad aures A. R. P. N. Ministri Prouincialis deuenisset, Fratrem N. solitum esse, de nocte exire de Conuentu solum, absque li-

centia, & etiam in habitu Sæculari, &c. siue habere in Camera; siue in sporta &c. denarios &c. nec posset dictus A.R.P. hoc sibi persuadere de tali Religioso, voluit, se oculariter de veritate certificare. In serò ergo Die &c. Hora secum ductis P.P. F.F. N. & N. tanquam Testibus se abscondit in loco tali &c. à quo optimè poterat videre prædictum exeuntem, & redeuntem ad Conuentum &c. *Et sic describatur totum factum cum suis circumstantijs temporis, loci, ac loci loci, modi, indumentorum Rei exeuntis; actuali deprehensione, &c. adnotando, quod licet de nocte esset Testes Reum bene cognouerunt, quia erant vicini; luna lucebat; siue habebant candelas, ad cuius lumen eum recognouerunt. Et si agatur de inuentione denariorum, describatur exactè perquisitio facta in Cella, armario, sporta, manica &c. inuentione denariorum, eorum species, qualitas, numerus, & alia etiam inuenta, vt arma, vestes Sæculares, iocalia muliebria; alea lusoria; venenum &c. quæ possunt esse materia criminum. Volens proindè idem A.R.P. in hoc casu; vt de iure, procedere, dato mihi iuramento, coràm iisdem Testibus, Me Notarium creauit ad effectum &c. Acta sunt hæc &c.*

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. Actuarius.

Immediarè post vocare coràm se fecit P. F. N. Testem ex Officio assumptum, & dato ei iuramento de veritate dicenda, prout iurauit &c. fuit.

Interrogatus. Vbi nam fuit antequam vocaretur coram Superiore?

Quid actum sit in loco vbi fuit?

Quid viderit, & quid audierit?

An benè obseruauerit omnia?

Qui alij erant præsentés?

Quam opinionem habebat de Fr.N., qui exijt de Conuentu, siue repertus est cum denarijs &c.

Et ita omnes, qui interfuerunt facto debet examinare; & Reum ad custodiam debet, ex post incarcerare; & examinare, vt suo loco dicemus. Aduertendum autem; quod si Reus repertus est cum denarijs, optimum est, post Testes, celeriter examinatos, immediatè examinare Reum, sic enim non

habebit tempus recogitandi, & meditandi modum, quo ostendat, denarios apud se fuisse depositos à Sæculari; vel datos à Pœnitente ad faciendam restitutionem &c. & ita euadendi reatum. Sed dum est in actuali conturbatione, de facili fatebitur veritatem, quia tempus sibi non suppetet speculandi euasiones, aut excusationes criminis.

XXXIX. Forma incipiendi Processum contra Conuentum, qui rebellauit ab obedientia Prouincialis.

Potest accidere, quod ex diuersitate factionum conspirent omnes Fratres vnius Conuentus ad rebellandum contra Prouincialem, ex eo quod nimis durè illos tractat; & licet sint moniti per literas, nolint resipiscere, nec recipere Prouincialem ad visitandum Conuentum. Tali casu, (si suauior via non suppetit reducendi eos ad debitam obedientiam, & tentatis medijs benignioribus nullo modo resipiscunt) deueniendum est ad implorandum brachium Sæculare. Debet autem ad hoc præcedere iuridicus Processus, vt ex eius fundamento moueatur Iudex Laicus ad præstandum brachium suum. Initium autem tale debet esse.

In nomine Domini. Amen. Cum A.R.P.N. Minister Prouincialis associatus à Fr.N.Laico, & Me infra scripto Secretario suo, iuxta Ordinis Constitutiones accessisset ad visitandum Conuentum N. & à Ianitore non fuisset admissus ingredi; & ad reiteratas voces, & pulsationes factas ad valuas Conuentus prædicti, & eius Ecclesiæ, nullus ex Fratibus, qui ianuam aperiret, comparuerit; coniecit, omnes, siue plerosque Fratres illius Conuentus conspirasse, ad denegandam illi debitam obedientiam. Et licet replicatas paternales epistolas ad Guardianum, & Fratres eiusdem Conuentus miserit; & etiam per alios Religiosos graues mitti fecerit, vt deposita mala voluntate, ad præstandam debitam obedientiam eidem A.R.P., vt legitimo suo Prælato, disponerentur; tamen nihil profecit ex hoc, cum præfatis Epistolis nullum responsum dederint, nec aliquem miserint ad testificandam promptitudinem eorum ad obsequendum suo Prælato. Videns propterea paterna monita nihil prodesse, ad seueriora, & iudicialia remedia deueniendum esse cognouit. Vnde intendens, prout de iure, procedere, Me infra scriptum,

scriptum, coram infra scriptis Testibus specialiter adhibitis, vocauit in cameram suam, & dato mihi iuramento fidelitatis, quod præstiti tacto pectore more Sacerdotali, Me Notarium creauit ad effectum &c. Acta sunt hæc Die Mense, Anno &c. in Conuentu &c.

Ego N. Minister.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuar.

Consequenter idem A. R. P. associatus à me infra scripto, & alijs Fratribus, perrexit ad Conuentum N., qui est vicinior prædicto Conuentui N., vt ab eo posset facilius mittere, quæ mittenda sunt, ad effectum reducendi prædictos inobedientes ad rectam semitam; & ibi cum benignè fuisset exceptus, per Me infra scriptum expediri fecit Monitorium ad memoratos Guardianum, & Fratres prædicti Conuentus N. tenoris sequentis.

Frater N. de N. Minister Prouincialis Prouinciæ N. Dilectis Nobis in Christo P. Fr. N. Guardiano, & cæteris Fratribus de Familia in Conuentu nostro N. salutem in Domino.

Noueritis Nos die, &c. fuisse ad Conuentum vestrum N. Visitationem consuetam instituere volentes; sed minimè fuisse in Conuentum admissos; nec ad reiteratas voces, instantias, & præcepta fuisse ianuam Conuentus, vel Ecclesiæ reseratam, vt ingredi valeremus. Replicatas Epistolas ad Vos misimus, & vos in illis paternè hortati sumus, vt animum vestrum ab inobedientia, quam in vobis suspicamur, auerteretis, & promptitudinem ad parendum, vt debetis, Nobis profiteremini. Sed comperimus, Vos paternam nostram monita minimè curasse, cum neque per aliquem ex vestris, neque per literas, debitam Nobis submissionem professi sitis. Harum ergo serie Vobis significamus, Nos contulisse in Conuentum N. huic vestro vicinior, vt facilius esset Vobis aditus, ad præstanda ea, quæ hic subiicimus, & iniungimus à Vobis præstanda. In virtute ergo Sanctæ Obedientiæ, & Spiritus Sancti, & sub interminatione Diuini iudicij præcipimus, & iubemus Tibi Fr. N. Guardiano, & omnibus, & singulis Fratribus Sacerdotibus, Clericis, & Laicis, vt prompti sitis Nobis obedientiam debitam præstare, & mandata nostra

Regulæ, & animæ non contraria exequi. Et ad manifestandam promptam vestram obediendi voluntatem, Tibi Fr. N. Guardiano iubemus, vt ad Nos personaliter accedas, & coram Nobis compareas, nomine tuo, & tuorum Subditorum ad debitam submissionem, & obedientiam Nobis præstandam. Quod si legitima fueris infirmitate, aut alia causa præpeditus, vt personaliter venire nequeas; alium, vel alios, tuo, & tuorum nomine, cum scriptis documentis mittas, per quæ debitam obedientiam profitearis. Si verò durus in in malo consilio suo fuerit Guardianus, omnes Vos, & singulos Subditos, qui eius malitiæ non communicatis, monemus, & harum serie præcipimus, vt ad Nos personaliter accedatis, si absque graui periculo potestis, vel saltem per literas animi vestri promptitudinem Nobis significetis. Ad præstanda autem suprascripta vobis præcepta, sex dies enumerandos ab intimatione harum nostrarum vobis assignamus, quorum duo erunt pro primo, duo pro secundo, & duo pro tertio, & pæremptorio termino. Quibus elapsis, si ea, quæ iniuncta sunt minimè præstiteritis, noueritis Vos esse declarandos Excommunicatos, & obnoxios cæteris pœnis in Ordinis Constitutionibus sancitis contra Rebelles. Et vt hæc legitimè vobis pateant, has nostra manu, & sigillo munitas, fieri iussimus, & ad valuas Conuentus, & Ecclesiæ vestræ affigi, intendentes eas sic, vt præferatur, publicatas, omnes, & singulos vestrum, ita afficere, ac si vnicuique vestrum personaliter intimatæ fuissent. Dat. &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuar.

Monitorium prædictum per duos Fratres mitti debet, & affigi valuis Conuentus, & Ecclesiæ, si non repererint Fratres illius Conuentus, quibus illud intimare, & consignare personaliter potuerint; & debent habere tria transumpta eiusdem Monitorij, quorum duo affigant, vt dictum est, aliud verò reportent Actuario, cui facere debent authenticam relationem intimationis, seu affixionis, vt sequitur.

Die &c. Anno, & Mense &c. Fratres N. & N. missi ab A. R. P. Ministro Prouinciali, medio iuramento retulerunt, se non inuenisse Fratres Conuentus N., quibus potuerint intimare suprascriptum Monitorium, proindè duas copias collationatas de ver-

de verbo ad verbum similes illi, quam exhibuerunt mihi Actuarius, affixisse valuis Ecclesiæ, & Conuentus supradicti die, &c., & copia hic inseritur signata litera A. &c.

Ego N. Actuarius.

Expiratis sex diebus assignatis in Monitorio, si nullus comparuerit, debet in Processu accusari contumacia sic.

Cum A. R. P. Minister Prouincialis expectasset sex dies integros in memorato Monitorio assignatos, & vltra prædictos sex, etiam alium ad abundantem, nec vllus personaliter, neque per literas comparuerit ex memorato Conuentu, ad præstandum obedientiam: ex quo cognoscitur, illos esse pertinaciter contumaces, processit ad ferendam declarationem Excommunicationis; & Cedulones fieri, vt moris est, & publicari mandauit sequentis tenoris.

Hic auctoritate ordinaria declaratur, Guardianum, & Fratres commorantes in Conuentu N. incidisse in maiorem Excommunicationem, & proinde ab omnibus Christi fidelibus esse vitandos, eo quia Canonicè moniti, vt comparerent coràm Nobis, ac debitam obedientiam præstarent, obedire contempserunt. Nomina autem prædictorum sunt

P. F. N. Guardianus &c.

P. F. N. Vicarius &c.

Fr. N. Clericus &c.

Fr. N. Laicus &c.

Ego Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Copiæ autem prædictorum Cedulorum nonnullæ missæ fuerunt ad D. Vicarium Episcopalem ab eodem A. R. P. Prouinciali, rogando, vt eos in locis solitis affigi, & publicari faceret, prout factum est, & signanter affixi sunt ad valuas Ecclesiæ maioris &c. (& exprimantur duo, aut tria loca publica, & insigniora) vltra portam Ecclesiæ Conuentus supradicti. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Actuarius.

Quod si Fratres indurati in sua contumacia perseverauerint, & non accesserint ad præstandam obedientiam, recurrendum est ad brachium Sæculare. Sed circa hoc est aduertendum, quod si in illo loco adest Conseruator privilegiorum Religionis, ille prior

debet adiri, prout dicimus Par. I. Tit. Delictorum num. 38. pag. 209. Loquendo de Guardiano respectu Fratris inobedientis; hoc deficiente recurrendum est ad Iudicem Ecclesiasticum, si habet familiam armatam; sin minus potest Prælatum inuocare Potestatem Sæcularem hoc modo.

Videns prædictus A. R. P. Prouincialis, quod Guardianus, & Fratres memorati Conuentur timore Dei postposito Excommunicationem non curant, ad vrgentiora remedia deuenire decreuit. Die ergo &c. adiuit D. N. Conseruatorem &c. siue D. N. Vicarium Generalem Illustrissimi, & Reuerendissimi Episcopi N. siue D. N. Potestatem dicti loci; & ostensis sibi Actis, ex quibus apparet indomita per Censuras Ecclesiasticas prædictorum contumacia, implorauit auxilium brachij sui, rogando eum, vt sibi concederet Familiam armatam, quæ, si opus esset, fores Conuentus confringeret, & contumaces vincularret; & si contingeret, eorum nonnullos affecurare in carceribus publicis, eo quod in Conuentu non sint carceres tuti, illos nomine Ecclesiæ, & suo, & non aliter, nec alio modo in carcere publico esse deponendos; & nullum ius, aut iurisdictionem competere tali Potestati Sæculari in ipsorum personas quomodolibet, sed ad simplicem nutum, aut mādatum ipsius Patris Ministri Prouincialis esse relaxandos vel sibi, vel alijs, quos ipse miserit ad eos transferendos ad Carceres Religionis; & ita expressè petijt, & protestatus est. Qni D. Potestas benignè annuit, & omnia se facturum, promisit sub iuramento, vt sibi petitum fuit. Die ergo &c. idem A. R. P. Prouincialis associatus à supradicto D. Potestate, & eius familia armata, accessit ad Conuentum prædictum. *Et hic describantur minutè omnia, quæ gesta erunt. Si Fratres aperuerunt ianuam; si necessarium fuerit porats, aut muros confringere &c. si armata Familia resistent &c. si percutient, vulnerabunt, occident, &c. si nonnulli carcerabuntur, quomodo fuerint inuenti, si armati, &c. Tandem omnia adnotentur, donec ligentur, & carcerentur Contumaces. Causa autem ipsorum terminanda erit, prout in crimine notorio, cum notoria sit eorum contumacia.*

XL. Forma Processus incipiendi, si Commissarius missus à Generali non reciperetur contumaciter in aliquem Conuentum.

Commissarius Visitator quouis tempore missus recusari non potest in foro paterno, prout diximus Par.I. Tit. Canones num. 99. p.155. Si tamen ab aliquo Conuentu Rebeli recusaretur, qui ipsum nec intrà Claustra recipere vellet, & inutilis esset via quam insinuauimus Tit. Canones num. 96. pag. 152. loquendo de Ministro Prouinciali, cui à toto Conuentu obedientia denegaretur, (nempè deputando alium ad visitandum, & diuidendo per alios Conuentus Familiam illam Rebellem;) debet Commissarius ad iuris remedia deuenire. Primò ergo debet Processum suum ita incipere.

In nomine Domini. Amen. Cum A.R.P.N. Commissarius missus à Reuerendissimo P. Ministro Generali N. ad visitandam hanc Prouinciam N., die N. Mensis N., accessisset ad Conuentum N., nec vllis precibus, aut præceptis sibi factis, voluerit Ianitor ipsum intrà Conuentum admittere, nec sigillum minùs Prouinciæ sibi ostensum recognoscere; nec patentes suæ Commissionis ad Guardianum deferre, asserendo, se nullo modo cognoscere dictum P. Commissarium, nec vllò modo sibi iussà velle perficere; nec verosimile sit, prædictum Ianitorem, cuius nomen ignoratur, proprio motu in tantam temeritatem prorupisse; imò credibile videatur, Familiam totam illius Conuentus conspirasse in non recipiendo Commissario prædicto; quod magis apparet ex hoc, quòd dum per multum temporis stetit ad ianuam, campanulam pulsauit, & replicatis vocibus institit admitti, nullus ex Fratribus ad tales voces se prodidit, sed solus Ianitor, clausa ianua, respondit. Ideò volens prædictus A. R. P. Commissarius, prout de iure, procedere, coràm N., & N. Testibus ad hoc specialiter vocatis, Me Secretarium suum creauit Notarium per exhibitionem inramenti fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore more Sacerdotali. Acta sunt hæc Die.... Mense..... Anno..... loco &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Subsequenter die, &c. Mensis, &c. Monitorium ad Guardianum, & omnes

alios Fratres illius Conuentus misit tenoris sequentis.

Frater N. Commissarius, &c. Dilectis nobis in Christo P.N. Guardiano, & ceteris Fratribus Sacerdotibus, Clericis, & Laicis commorantibus in Conuentu nostro N. salutem in Domino.

Noueritis à Reuerendissimo P. Ministro Generali fuisse ad Nos transmissas literas tenoris sequentis, & hic scribantur per extensum Literæ patentes suæ Commissionis. In quarum executionem ad hanc Prouinciam N. visitandam accessimus, & tanquam legitimus Visitator recepti sumus à P.N. Ministro Prouinciali, qui Nobis sigillum minùs prædictæ Prouinciæ tradidit. Cum autem die &c. venerimus ad visitandum vestrum Conuentum, non fuimus, post multas instantias, & præcepta facta Ianitori, admissi in Conuentum; asserendo se nullo modo Nos cognoscere, aut velle recipere. Vt ergo Vobis notum sit, Nos esse deputatos in vestrum legitimum Commissarium, prædictarum literarum transumptum authenticum ad Vos transmittimus, monentes, & exhortantes Vos, vt parati sitis, quando ad vestri Conuentus Visitationem venerimus, Nos recipere, & tanquam vestrum legitimum Commissarium agnoscere, & ad normam Ordinis Constitutionum obedire. Quod si paterna nostra monita non curantes, non vultis Nos, vt debetis, recognoscere, & obedientiam præstare, in virtute Spiritus Sancti, & sub interminatione Diuini Iudicij, & pœnis latis in Ordinis Constitutionibus formiter vobis præcipimus, vt Nos sicuti præfertur agnoscatis, recipiatis, & vt vestro Visitatori pareatis; assignando Vobis sex dies, quorum duos pro primò, duos pro secundò, & duos pro tertio, & peremptorio termino, decernimus; quibus elapsis; si vos non parueritis his nostris præceptis, quæ in his scriptis Vobis intimamus, Nos venientes ad vos, absque vltiori citatione proferemus contra Vos Sententiam, per quam declarabimus Vos Rebelles, & Contumaces, & incidisse in Excommunicationem Summo Pontifici reseruatam latam à Gregorio XIII. contra eos, qui non recipiunt Commissarios à Generali missos. Dat. Die, &c. Mense..... & Anno, &c.

Fr. N. Commis. Visitator.

Fr. N. Secretarius.

Et

Et sigilletur sigillo Officij, & per duos Fratres mittatur ad Conuentum; & si Monitorium præfatum potuerint Guardiano, aut alteri ex Fratribus illius Familiæ consignare, bene quidem; si autem neminem repererint, qui illud acceptare voluerit, affigant illud valuis Conuentus, siue Ecclesiæ, & faciant relationem Actuario, vt sequitur.

Die, Mense, & Anno, &c. Fr. N., & N. missi ad intimandam copiam suprascripti Monitorij, medio illorum iuramento deposuerunt coram Me infra scripto, se illam consignasse in manu propria P. N. Guardiani siue in manu Fr. N. commorantis de Familia in prædicto Conuentu; siue affixisse ad valuas Conuentus, vel Ecclesiæ cum non reperissent aliquem ex Fratribus, qui illam voluisset recipere. In quorum, &c.

Ego N. Actuarius.

Expiratis sex diebus, &c. sequatur vt sup. num. XXXIX. mutato solo nomine Prouincialis in Commissarium Visitatorem.

XLI. Forma initiandi Processum fabricandum ab Arbitris, in casu Recusationis Iudicis.

Cum arbitria regulanda sint ad modum iudiciorum, Arbitri, qui debent cognoscere de subsistentia Recusationis Iudicis factæ à Reo, oportet, quod Processum instruant, Testes examinent, alias probationes à Recusante productas recipiant, & tandem pronuncient; & pro his videantur, quæ scripsimus Par. I. Tit. Quid n. 38. & seqq. pag. 21. & Tit. Quales nu. 48. pag. 37. & Tit. Canones à n. 20. & seqq. pag. 99.

Potest igitur ipsorum Processus initiari, prout sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum in Causa, quæ contra Fr. N. actitatur coram A. R. P. N. Ministro Prouinciali, prædictus Fr. N. recusauerit, tanquam Iudicem sibi suspectum, memoratum A. R. P. N. Ministrum Prouincialem, & ad cognoscendum de validitate dictæ Recusationis ad normam Sacrorum Canonum, & Praxim Criminalem Ordinis, à Partibus respectiue in Arbitros nominati sint RR. PP. N. & N., ipsisque insinuata fuerit ab eodem A. R. P. eorum nominatio, & ipsi Officium Arbitrorum acceptauerint, vt ex

Actis Processualibus apparet, volentes prædicti RR. PP. Arbitri electi munus suum, prout de iure, exequi, conuenerunt in cameram, &c. & in eam, accito Me infra scripto Notario iam creato ab A. R. P. in hac Causa, vt ex actis supra, &c., vocatus fuit Fr. N., qui, vt præfertur, tanquam suspectum Iudicem, recusauit A. R. P. N. Ministrum Prouincialem, & sibi dato iuramento, quod non malo dolo, neque animo calumniandi, sed tantum ad sui idemnitatem memoratum P. Ministrum, vt sibi suspectum, recuset (quod præstitit tact. &c.) fuit ei dictum, vt causam Recusationis proponeret, produceretque Testes, aut alia legitima documenta, per quæ veritas, & subsistentia talis causæ probaretur. Qui prædictus Fr. N. reproduxit copiam Libelli Recusatorij præsentati præfato P. Ministro recusato, & dixit Patribus Arbitris in illo contineri tum causam expressam Recusationis, tum Testes ad eam probandam necessarios; & instare apud eosdem Patres Arbitros, vt omnia admitterentur, & ad cognoscendum de veritate tum in iure, tum in facto procederent. Qui RR. Arbitri Libellum prædictum, & omnia in eo contenta admiserunt si, & in quantum, &c. & procedere, prout de iure decreuerunt, iusseruntq; mihi Actuario; vt Libellum prædictum inter Acta recipe-rem, prout feci; & incipit, & definit &c. & ponatur tenor, &c. & hic inferitur signatus litera, &c. Acta sunt hæc Die..... Mense..... Anno, &c.

Ego N. Arbitr.

Ego N. Arbitr.

Ego Fr. N. affirmo vr sup.

Ego N. Actuarius.

Successiue iidem Patres Arbitri, qui supra, in cameram solitam conuenientes, examinauerunt causam Recusationis expressam in suprascripto Libello producto coram ipsis à præfato Fr. N. Recusante; & cum inuenissent, eam esse ex suspitione, quæ oritur ex inimicitia, quæ asseritur versari inter P. Ministrum recusatum, & dictum Fr. N. Recusantem, pronunciarunt Causam præfatam de iure esse legitimam, proinde procedendum esse ad Inquisitionem, an constet in facto de asserita inimicitia. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Arbitr.

Ego N. Arbitr.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XLII. *Aduertendum, quod si causa Recusationis sit legitima, aut dubia in iure, aut in facto, semper pronunciari debet ad fauorem Recusantis; cum Reo potius, quam Fisco sit fauendum; & debet prius pronunciari super validitate causæ, quod de iure subsistat, antequam inquiratur an subsistat in facto, prout diximus. Par.I. Tit. Canon. num. 121. pag. 168. ubi in sequentibus numeris videre est, quæ ab Arbitris sint præstanda.*

ADNOTATIO II.

XLIII. *Aduertendum secundo, quod si vnus tantum est Arbitrator à Prouinciali electus ex quatuor, vel sex propositis sibi à Recusante, debet pari modo procedere, vt supra dictum est de duobus; & quæ ibi enunciantur in plurali debent poni in singulari.*

XLIV. *Forma initiandi quofuis Processus tenenda à Commissarijs Delegatis à Ministro Generali, aut Prouinciali.*

Nomine Processus veniunt Acta omnia iudicialia, siue facta sint ex Officio in inquirendo generaliter, mixtè, aut specialiter; siue ad instantiam Partis in Denunciatione Accusatione, siue Exceptione. Omnes ergo formæ procedendi à Delegatis seruandæ eadem sunt, cum illis, quas tenere debent Iudices Ordinarij, de quibus hucusq; exempla dedimus; alia differentia non est, nisi, quod in præliminari Processus, necessarium est, quod registrentur Literæ patentes, istæ enim sunt fundamentum iurisdictionis, sine qua Actus omnes essent nulli. Caterum circa modum procedendi, nulla est differentia inter Delegatum, & Ordinarium. Forma cuiusuis Processus incipiendi à Commissario potest esse, vt sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum R.P.N. literas receperit ad se datas à Reuerendissimo P. Generali; siue ab A.R.P. Ministro Prouinciali N. tenoris sequentis, &c. & registrentur per extensum Literæ patentes, quarum formam inferius damus. Volens eas, qua debet animi prompti-
Pars II.

tudine exequi in cameram suæ residentie, coram PP.FF.N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocare fecit Me infra scriptum, & Mihi dato iuramento fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore, more Sacerdotali, iuxta sibi commissam facultatem Me Notarium creauit, vt in sibi demandatis pro legitimo Actuario inseruirem. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c. in Conuentu &c.

Ego Fr.N. Commissarius Delegatus.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius &c.

XLV. *Forma Literarum patentium pro committenda Inquisitione Generali, siue Visitatione iudiciali Commissario Delegato.*

Fr. N. Ordinis Minorum Theologus &c. Prouincie autem N. Minister Prouincialis, & Seruus Dilecto Nobis plurimum in Christo R.P.N. de N. Theologo &c.

Non sine ingenti animi nostri molestia, ex diuersis relationibus, excepimus, multas in Conuentu nostro N., & graues vigere transgressiones, quæ non humanitate paterna, sed virga iudiciali debent emendari. Cumque Nos, multiplicibus Officij nostri distracti curis, nequeamus hoc personaliter præstare, necessarium est ad tale munus Virum grauem, prouidum, & expertum eligere, per quem ad iustitie normam, possint Sontes inuenti debitis pœnis coerceri. Cum autem multiplici experimento, per Te dato, Nobis nota sit Fides, Prudentia, Zelus, & rerum Criminalium peritia qua polles, hanc prouinciam Tibi duximus demandadam Harum ergo serie Te nostrum Commissarium Delegatum instituentes, & institutum declarantes, committimus Tibi, vt assumpto Socio Tibi benè viso, ac Secretario aliquo idoneo, quem, ad nostrarum Constitutionum præscriptum, Notarium creabis, vt Tibi in officio legitimi Actuarij possit inseruire, ad præmemoratum Conuentum accedas, ibique Visitationem generalem, & iudicalem tam in Capite, quam in membris instituas; & ea omnia, in hoc negotio cures, quæ ex Sacrorum

Canonum, & Statutorum Regularium dispositione, sunt necessaria; omnimodam ad tale munus potestatem; & iurisdictionem Tibi conferentes; præcipimusque in virtute Spiritus Sancti; & sub pœnis contra Rebelles latis, omnibus, & singulis Superiori, & Subditis memorati Conuentus, vt Te tanquam nostrum legitimum Commissarium agnoscant, recipiant, & obediant, & intra terminos iuris, omninò Tibi pareant. Volumus autem, quod si ex tali Visitatione contra aliquem, vel aliquos sufficientia emerferint indicia ad instituendam Inquisitionem specialem, illam instituas, & Processum informatiuum, iuxta Praxim criminalem Ordinis, formes, vsque ad Sententiam diffinitiuam exclusiue, omnem opportunam, & necessariam ad hæc facultatem Tibi concedentes. Confidimus, in hoc graui negotio Te viriliter, & strenuè curaturum ea, quæ ad repressionem scandalorum, & Religiosæ obseruantiaë conseruationem faciunt, & paternam benedictionem Tibi peramanter impartimur. Dat. &c.

Ego N. Prouincialis.

Et sigilleutur Literæ maiori sigillo Officij.

XLVI. Forma Literarum patentium pro committenda Inquisitione speciali ex Officio, siuè ad instantiam Partis.

Frater N. de N. Theologus &c. Prouinciæ verò N. Minister Prouincialis, & Seruus Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. N. Theologo &c.

Exigit muneris nostri ratio, Oculis nobis à Domino commissi, exactà boni Pastoris diligentia, omnem curam habere; itaut non modò Oues nostræ custodiæ demandatas suauis exhortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus; & ægras à vitijs medicinalibus correctionibus, sanemus; sed etiam deuias à femita rectitudinis, & per culparum prærupta errantes, adhibita rigoris virgà, ad caulas reducamus. Cum igitur, ex Fama multiplici ad aures nostras delata; siuè ex Denunciatione orentens; siuè per literas, quas ad te mitti-

mus facta; siuè ex Accusatione coràm Nobis producta, intellexerimus Fratrem N. de N. in Conuentu nostro N. de Familia commorantem, Diabolo omnium malorum satore instigante, commisisse delictum tale &c. (*Et hic describatur delictum, de quo imputatur; aut si Delictum sit notum ignoto Delinquente dicatur*) intellexerimus in Conuentu nostro N. à filio iniquitatis, qui ignoratur, commissum esse delictum tale &c. Nosque, Officij nostri grauissimis negotijs implicati, nequeamus iudicalem debitam indaginem instituere, cogimur, hoc munus alteri demandare. Tibi ergo, cuius Prudentia, Peritia, & Zelus Nobis sunt abundè perspecta, harum serie committimus, vt assumpto Socio, ac Actuario Tibi benè viso, ad præfatum Conuentum Te conferas, & iudicalem super præfato Delicto, & Delinquente instituas Processum, omnem nostram facultatem necessariam, & opportunam ad hoc concedentes. Proinde in virtute Spiritus Sancti omnibus, & singulis præfati Conuentus præcipimus, vt Te, tanquam Iudicem legitimum à Nobis Delegatum, recipiant, & agnoscant, & in hac Causa, & ad eam spectantibus Tibi, sicut Nobis, pareant, & obediant, sub pœnis latis in Constitutionibus Ordinis contra Rebelles, & Contumaces. Omnia autem acta iudicialia, ità volumus per Te fieri, vt tamen Sententiam diffinitiuam Nobis reseruemus. Dat. &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

A D N O T A T I O.

XLVII. *Si contingat Commissarium esse alicui legitime suspectum in Visitatione iudiciali, siuè in Inquisitione mixta, quando notum est crimen, & ignotus Delinquens, potest proponi recusatio ipsius, sicut dictum est supra Sect. I. num. XVI. & ideo non repetimus.*

XLVIII. Forma incipiendi Processum, post petitam ampliationem Delegationis.

Diximus Par. I. Tit. Quid. num. 123. pag. 52. quod si Delegatus ad Causam particu-

regularem reperit incidenter aliud Delictum separatum à crimine, super quo fuit Delegatus; debet scribere ad Delegantem, ad hoc, quod super tali crimine vel ipse inquireat, vel inquirendi facultatem sibi deleget. Et quia, ut loco citato diximus, casu quo sibi amplietur Delegatio, debet nouum Processum separatum à primo incipere, eius formam damus, & est, ut sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum R.P.Fr.N. Delegatus ab A.R.P.N. Ministro Prouinciali Processum instrueret contra Fr.N. diffamatum, siue Accusatum, siue Denunciatum de &c. Et hic exprimat *Delictum*, super quo fuerit formatus *primus Processus*. Habuit indicia, quod præfatus Fr.N. Reus commiserit aliud *Delictum*, puta &c. Et hic exprimat *nouum Delictum*, de quo fuit indiciatus. Proinde scripsit ad eundem A.R.P. ipsum informando, prout de iure tenetur, de prædictis. Qui memoratus A.R.P. Minister commisit R.P. Commissario, ut etiam de hoc nouo crimine inquireret; ut patet ex eius Epistola data die &c. quæ incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor. Et hic inseritur signata &c.

In eius ergo executionem decreuit prædictus R.P. Commissarius de veritate prædicti Delicti inquirere, Testes examinare, & alia, prout de iure perficere, Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

XLIX. Forma incipiendi Processum ad instantiam Episcopi, siue alterius Iudicis, qui transmisit Acta coram se facta contra Regularem.

Plura diximus, de ijs, quæ facere debet Iudex Regularis, casu quo Episcopus, siue alius Iudex incompetens processerit contra Regularem, & Acta transmisserit ad Iudicem Ordinarium Delinquentis. Videantur, quæ circa hoc scripsimus Par.I. Tit. Testes. num. 119. & seqq. pag. 567. Et quia docemus, quod Iudex Ordinarius non debet uti Actis factis coram alio, utpotè nullis, sed tenetur nouum Processum instruere, illius Formam damus.

Pars II.

In nomine Domini. Amen. Cum ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. N. Episcopo Ciuitatis N. per suum Cancellarium missa fuerint ad A.R.P.N. Prouincialem quædam Acta criminalia facta in Curia sua contra Fr.N. & nomine eiusdem Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi à prædicto D. N. Cancellario FVISSET FACTA INSTANTIA prædicto P. Prouinciali, ut ad normam Sacri Concilij Tridentini, ipse puniret præfatum Fratrem N. probatum coram se Reum de &c. Et hic apponatur *Titulus Delicti*.

Siue fuisset facta instantia prædicto Patri Prouinciali, ut executioni mandaret Sententiam latam per suum Dominum Vicarium Generalem, prout in dictis Actis continetur, contra memoratum Fratrem N.

Siue cum à D. N. Prætoris, siue Potestate loci &c. ad A.R.P. Prouincialem missus fuerit quidam Processus coram se factus, in quo apparet probatum, quod Frater N. &c. commiserit &c. Et hic apponatur *Delictum*, instando, quod ipsum, pro modulo culpæ, puniat.

Idem P. Prouincialis volens suo muneri satisfacere creato Me infra scripto coram infra scriptis in Notarium in solita forma, præstito iuramento fidelitatis, tacto pectore, more &c. decreuit ad Inquisitionem veritatis ad normam iuris deuenire. Acta sunt hæc Anno Mense Die loco &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

A D N O T A T I O.

L. *Aduertendum, quod si Episcopus processerit contra Regularem in casibus, in quibus procedere potest tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, Processus est validus. Vnde si instet apud Iudicem Regularem, ut ipse exequatur Sententiam à se latam contra Reum, Iudex Regularis eam tenetur exequi, quia legitima est. Si verò Episcopus de facto extendit iurisdictionem supra Regularem in casu, in quo eam non habet, Iudex Regularis debet de nouo Processum*

sum instruere, quia Processus, qui factus ab Episcopo fuit, nullus est. Et in hoc regulando attendat ad ea, quae scripsimus citat. Tit. Testes, à num. 119. pag. 567.


LI. Forma Decreti faciendi à Iudice siuè Ordinario, siuè Delegato, ante Visitationem Corporis Delicti.

Habita sufficienti notitia Delicti, & Delinquentis, siuè ex indicijs habitis in Visitatione iudiciali; siuè ex Fama; si-

uè ex Delicto incidenter confessato, seu à Testibus detecto; siuè ex Denunciatione, aut Accusatione, aut Querela, aut Exceptione, debet Iudex interponere Decretum, ut sequitur.

His, ut præmittitur habitis A. R. P. Minister, siuè R. P. Commissarius Delegatus ad ulteriora procedere, prout de iure decreuit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister, siuè Commissarius.
Ego N. Actuarius.



SECTIO TERTIA.

In qua traduntur formæ probandi Corpus Delicti.

I. *Suppositis, quæ diximus, Par p. Tit. Corpus n.7. p.408. sciendum est, quod Delicta facti transeuntis probantur per Testes, per quos insimul probatur Delinquens; cum tali casu non separetur Delinquens, à Delicto; proinde si Delictum, de quo inquiritur, sit huius generis, ut in Contumelia, Blasphemia, Fornicatione &c. Iudex procedit ad examen Testium, prius inquirendo de Delicto, mox de Delinquente.*

Delicta autem facti permanentis aliquando relinquunt vestigia perpetua, vel longo tempore durantia; aliquando verò durant modico tempore, ita ut Iudex non possit de illis oculariter certificari, ut contingit in liuore in facie causato à percussione, qui in termino bidui, vel tridui non amplius apparet.

In hoc casu Iudex, qui venit post aliquot dies ad formandam Inquisitionem, non potest, visitando illud, & oculariter inspiciendo, facere constare de Corpore Delicti, quia eius vestigium disparuit, unde cogitur, probare illud per Testes, qui liuorem, vel cicatricem &c. viderunt.

Sed quando vestigium, seu Corpus Delicti adhuc viget, debet Iudex illud visitare, & describere, quod vulgò dicitur; Visum, & repertum; & forma potest esse, ut sequitur.



Onsequenter A.R. P. Minister Prouincialis volens de Corpore Delicti certificari; associatus à me infra scripto, & duobus infra scriptis Testibus ad hoc specialiter vocatis, se contulit ad visitandū Corpus Delicti; & Visum, & repertum fuit quod &c. (*& hic describatur locus loci, in quo est Corpus Delicti, & omnes circumstantiæ, quæ in eo apparent, & sensui subiiciuntur; ut si agatur de Vulnerato debet describi; quod decumbebat in lecto, & remotis fasciis per Chirurgum, vulnera resecta sunt, quorum vnum erat in tali parte Corporis, talis figuræ, tantæ*

longitudinis &c. factum punctim, cæsim ictu sclopi, vel contusione &c. aliud in alia parte Corporis talis figuræ &c. Pariter si agatur de fractura ostij, Armarij, capsæ &c. in furto &c. de incisione arborum fructiferarum, incendio &c. in summa, omnes circumstantiæ debent exactissimè obseruari, & adnotari, & facta descriptione, debet concludi; Acta sunt hæc Die, &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

II. *Aliquando vulnera sunt in tali statu, quod sine periculo non possunt discooperiri; & aliquando sunt quasi sanata, & consolidata, aut sola stigmata, seu cicatrices apparent, unde non potest Iudex oculariter certificari de magnitudine, & qualitate eorum. Tali casu describi debet, quod Repertus, est Vulneratus decumbens in lecto habens caput; brachium, crus &c. fasciis alligatum, & cum, ad dictum Chirurgi, non possent, sine graui periculo, discooperiri, decreuit Iudex, post examen Vulnerati, interrogare Chirurgum, & ab eo vulnerum qualitatem scire. Pariter si sunt quasi sanata debet describi status vulnerum, prout videntur à Iudice cum suis qualitatibus mox examinari debet Chirurgus, ut referat, quomodo fuerunt à principio; formam autem examinandi Chirurgum dabimus infra. Similiter si inuentum est Cadauer Fratris cogniti describi debet, quod Fuit repertum Cadauer Fratris N. iacens in tali loco &c. tali situ, indutum tali modo &c. tali panno, &c. cum talibus vulneribus &c. siue contusionibus in tali parte corporis &c. & erat iacens in tali positione &c. oculis semiclausis, ore diducto &c. & inuenta sunt circa eum talia, aut talia vasa, seu instrumenta, ut culter talis formæ &c.*

exactissime omnia debent adnotari. Si verò Cadaver est, alicuius incogniti, debet exactissime describi eius physionomia per enumerationem partium Corporis, vt staturæ mediocris &c. Capillos habens nigros, & crispōs &c. Barbam &c. nasum &c. os amplum &c. & si habet aliquod peculiare, vt naevum in fronte, collo, gena &c. maculam, vel antiquam cicatricem &c. ita, vt punctualiter omnia adnotentur, vt per ea, possit ignotus agnosci, si talia signa relata fuerint illis, qui viuentem cognouerunt,

ADNOTATIO II.

III. Aduertendum secundò, quod, vt diximus; Part. prim. Titul. Corpus num. 9. pag. 408. ad plenè probandum Corpus Delicti, oportet quod probetur, fuisse malo dolo, & cum scelere patratum; proindè, si ex visitatione Corporis Delicti apparet insimul scelus patratum, (vt si inueniretur quis strangulatus, manus habens vinculatas,) per solum Visum, & repertum, &c. probatum remanet Corpus Delicti. Si verò Delictum, non est, ex se manifestans scelus, debet Iudex vti coniecturis, & præsumptionibus prout diximus Titul. Corpus numer. 9. pag. 408. & hoc est in casu, in quo Iudex ipse potest eas ex se formare; puta ex situ, aut loco, in quo inuenitur Corpus, sanguine sparso; qualitate hominis dum vixit, vt si erat melancholicus, lunaticus, maniacus &c. non habebat rixas, inimicitias &c. ex quibus potest conijci, quod, vel ex desperatione sibi mortem conscruerit; vel casu cecidit; vel se precipitauit in puteum, &c. & aduertat Iudex, quod coniecturæ magis esse debent, pro nò Delicto, quam è contrà. Si autem coniecturæ requirant specialem peritiã, ad eas rectè formandas (vt si reperiatur mortuus sine vulneribus, & conijci, debeat, an fuerit ex veneno, aut apoplexia) requiruntur Periti, qui examinati ferant iudicium secundum propriam Artem, & isti examinandi sunt, vt per eos probetur Delictum, vel non.

IV. Forma examinandi Peritos ad faciendum constare de Corpore Delicti.

Cum Periti debeant examinari, & deponere cum iuramento; necessarium est, (si sint Sæculares, aut Clerici minimè subiecti Iudici Regulari,) inter Nos, petere licentiam à suis Superioribus, vt possit Iudex

legitimè interrogare eos, aliter eorum depositio est nulla, vt habetur in Textu Tit. Testes, S. II. p. 551. licet alij Iudices Regulares possint absque tali licentia illos examinare, vt probauimus. Titul. Testes nu. 84. p. 552. Licentia ergo petenda est, in scriptis, & inferenda in processu, & peti potest hoc modo.

V. Forma petendi Licentiam à Iudice extraneo, vt possint eius Subditi examinari à Iudice Nostro.

Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Si est Episcopus; vel A. R. P. Si est Superior Regularis; vel Illustrissime Domine, si est Prætor Ciuitatis &c.

Necessarium est, Fratri N. Ministro Prouinciali Fratrum Minorum Regularis, siue Strictioris Observantiæ pro expeditione cuiusdam Causæ suæ Religionis, quæ coram ipso actitatur, examinare nonnullos Subditos Dominationis vestræ &c. Quapropter supplicat, vt dignetur opportunam ad hoc facultatem concedere. Quod totum &c. Quam Deus &c.

Habita igitur facultate debet Iudex extraiudicialiter accersere duos Peritos, qui sint in Arte sua cæteris excellentiores, & circa hoc videnda sunt quæ scripsimus. Par. pr. Titul. Corpus. num. 17. & nu. 53. & seqq. p. 429. & ipsis committere, vt visitent Corpus Delicti, & in scriptis referant iudicium suum. Quod si rogati, vt visitent Corpus Delicti, & referant in scriptis, & subijcian- tur examini, nolint hæc facere, recurrendum est, ad eorum Superiores, vt eos cogant, sicut dicemus infra de Testibus extraneis cogendis Sect. IV. num. LXII. Mox ipsos examinet, & examen eorum ita potest describi, & Processus continuari.

Cum A. R. P. visitasset Cadaver prædictum, & ex se conijcere non potuisset, an morte naturali an verò violèta fuerit peremptus supradictus Fr. N. repertus mortuus, voluit à Peritis, prout de iure est, Consilium petere. Petita ergo Licentia debita, (vt constat ex supplici Libello per eum dato, & per Superiorem, cui de iure, decretato, quod hic inferitur signatum &c. & incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor. Accersiri fecit D. D. N. & N. Doctores Phisicos, & Professores Medicinæ, & ipsis iniunxit, vt Cadaver visitarent, & iudicium, & rationem iudicandi in scriptis referrent. Quod cum perfecissent, vocatus, coram A. R. P.

A. R. P. Ministro Prouinciali prædicto, fuit D. N. vnus ex iuradictis Phificis, & ei dato Iuramento de veritate dicenda fuit interrogatus.

An visitauerit prædictum Cadauer; & quid iudicet de eo? &c.

An præsumi possit sublatum fuisse per venenum? &c.

Respondit &c. Et præsentauit iudicium suum in scripto, quod ad mandatum A. R. P. Ego Actuarius inter Acta recepi, & hic inserui signatum &c. incipit &c. & desinit &c. *Et ponatur tenor.* Et lecto sibi suo examine cum nihil vellet addere, vel minuere, ei se subscripsit, & pro tunc fuit dimissus saluo iure &c. Acta sunt hæc Die &c.

Ita est Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Medicus.

Ego N. Actuarius.

Et simili modo potest describi examen alterius Medici, sicut, & in alijs omnibus casibus, in quibus Periti sunt adhibendi, vt in recognitione Scripturae, an fuerit falsificata; an sit scripta manu eius, cuius dicitur &c. in iudicanda quantitate damni dati; in æstimando valore rerum furatarum; siue earum ob quas aliquis supponitur proprietarius, & ceteris Casibus &c. Verum est, quod si Periti nesciunt scribere, oportet, quod Iudex eos exactius examinet, & faciat omnes illas interrogationes, per quas clarius Corpus Delicti potest apparere fuisse cum scelere factum.

ADNOTATIO.

VI. Aduertendum, quod si detur casus, quod aliquis fuerit venenatus, & grauius decumbat, vel decubuerit; & Iudex procedat, debet examinare Medicos eo modo, quo examinandos diximus, in Casu Cadaveris inuenti; & curare debet, vt in relatione scripta, quam faciunt, dicant an venenum possit esse ingenitum, vel arte paratum; vel à cibo assumpto causatum; si congelans, corrosiuum, inflammatiuum strangulans &c. Et de omnibus reddant Causam sui dicti. Quod si scripto, non se sufficienter explicauerint, debet eos examinare congruis interrogationibus, vt plenè informetur.

VII. Forma examinandi Chirurgum casu quo vulnera non possint discooperiri; aut fuerint quasi sanata.

Cum, vt supra dictum fuit, non potuisset A. R. P. oculariter certificari de vulneribus inflictis P. F. N. supradicto decumbenti, ex eo quod, vt dixit Chirurgus, non poterant, absque graui periculo discooperiri, ad habendam plenam notitiam illorum, cum suis qualitatibus. *Vel si vulnera sint quasi sanata dicitur;* Cum ex cura adhibita vulneribus P. F. N. visitati ab A. R. P. vt supra dictum est, ipsa sint quasi sanata, vnde ex oculari inspectione non potuerit idem A. R. P. informari de grauitate illorum à principio: ideo ad habendam plenam notitiam eorundem cum suis qualitatibus vocari coràm se fecit D. N. Chirurgum, qui ea curat, siue curauit; & dato ei iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tactis scripturis fuit.

Interrogatus. An curet, siue curauit Fratrem N. vulneratum? &c.

Quot vulnera habeat? &c.

In qua parte Corporis? &c.

Cuius latitudinis, latitudinis, & profunditatis? &c.

An fuerint facta ferro pungente, aut secante; vel ictu sclopi, aut pistoletti; vel tunsiōne ligni, lapidis, aut alterius Corporis duri? &c.

An fuerint facta à Vulnerato ex se, vel ab alio? &c.

An casualiter, & contra voluntatem eius, qui indixit, an voluntariè, & ex instituto? &c.

An fuerint facta armis venenatis? &c.

An sint, siue fuerint à principio mortalia? &c.

Reddat Causam, quare iudicet esse mortalia, vel facta armis venenatis, vel facta data opera, & non casu? &c.

An sit Amicus, vel Inimicus Vulnerati? &c.

Et lecta sibi prius sua depositione, cum nollet ei aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est, saluo iure &c. Acta sunt hæc Die Mense Anno Ego N. Chirurgus deposui; vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

VIII. Forma examinandi Vulneratum.

Suppositis, quæ diximus Titul. Corpus. num. 25. pag. 416. (ad quæ Lectorem remittimus) ante, vel post examen Chirurghi, vel Medici, debet examinari Vulneratus, aut Venenatus: examen autem potest describi, vt sequitur.

Consequenter idem A. R. P. Minister Prouincialis accessit ad Cellam in qua iacebat vulneratus Fr. N. supradictus, & exhibito ei iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tacto &c. fuit.

Interrogatus. Quomodo reperiatur vulneratus, & à quo tempore? &c.

Quis ipsum vulnerauit, & ob quam causam? &c.

Quo instrumento, quo loco, quibus auxilijs, & in qua Corporis parte? &c.

Qui aderint, vel audire potuerint tanquam proximiores? &c.

Si dicit se nescire Percussorem.

Interrogetur. An aliquam inimicitiam habeat? &c.

An verbis, aut factis aliquem offenderit? &c.

An alius sibi fuerit minatus? &c.

Si inimicitia alijs nota sit; quibus; & quomodo id sciuerint? &c.

An aliqui fuerint præsentés, quando rixati sunt, & qui? &c.

Si nolit reuelare Vulnerantem ex timore, ne illi amplius noceat; aut etiam ex amore Dei dicens. Se illi ignoscere, vt bonus Christianus, & nolle, quod aliquam punitionem patiatui sui causa ille, qui eum vulnerauit, debet moneri, vt veritatem fateatur, quia aliàs peccat mortaliter, & erit Reus periurij, nec sibi debet nocere in anima, nec proximo noceat in Corpore. Et debet non semel, sed bis, & ter moneri, & protestando illi, quod si non reuelat deuenietur ad iuris, & facti remedia, quibus reuelare cogetur. Quod si persistat in contumacia non reuelandi, ipse debet adigi per Torturam, vt manifestet Reum: & formam dabimus infra quandò dicemus de Testibus cogendis per Torturam. Et examen debet concludi clausula paulò supra dicta; puta. Et lecta sibi prius sua depositione, &c. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. deposui vt supra.

Ego Minister &c.

Ego N. Actuarius.

IX. Forma examinaudi Testes adhibitos Visitationi Corporis Delicti.

Examen Testium assumptorum ad Visitationem Corporis Delicti ordinatur in Textu; sed est potius solemnitas, quam necessitas. Tamen, vt tutius procedatur, vt notat etiam Passerinus Prax. criminal. cap. 2. numer. 62. cum Conciolo Resolut. crimin. 4. verb. Corpus Delicti; melius est, eos examinare, & examen potest esse, vt sequitur.

Consequenter vocatus coram supradicto A. R. P. Ministro fuit P. F. N. Testis ex Officio assumptus, & ei delato iuramento de veritate dicenda, prout, iurauit, tacto pectore, more Sacerdotis, fuit.

Interrogatus. An interfuerit Visitationi alicuius vulnerati; siuè in lecto decumbentis; siuè alicuius ostij, armarij, capsæ &c. fractæ, aut per violentiam apertæ &c. siuè arborum succisarum &c. & dicat quid, vbi, & quandò?

Respondit; fui præsens Visitationi, quam vestra Paternitas fecit de Fr. N. vulnerato; siuè ægroto; siuè ostio fracto &c. siuè arboribus cæsis &c. vocatus à V. P. in Testem, subscripsi descriptioni talis Visitationis factæ à P. N. Secretario vestro.

Interrogatus. An recordetur eius, & eorum, quæ vidit, & si benè ea obseruauit; & dicat quid viderit?

Respondit. Attentè obseruauit omnia, sicut etiam descriptionem factam à supradicto P. Secretario, quæ fuit punctualiter facta, & nihil in ea omissum de ijs, quæ visa sunt.

Interr. An si illam legi audiret, & suam propriam subscriptionem videret illam agnosceret?

Respondit. Optimè cognoscerem. Tunc ad mandatum A. R. P. ostensa per Me Actuarium fuit descriptio superius facta, & manu ipsius Testis roborata, quam cum legisset dixit.

Hæc est descriptio, de qua dixi, & hæc est mea subscriptio, & omnia contenta in tali descriptione vera sunt, quia à me fuerunt visa, & descripta sunt, vt re vera fuerunt.

Et lecta sibi sua depositione, cum nollet ei, aliquid adere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus fuit saluo &c.

Ego N. Testis deposui, vt supra.
Ego N. Minister Proincialis.
Ego N. Actuarius.

Et simili modo examinari debet secundus Testis, &c.

X. Forma probandi Corpus Delicti in Casu Deflorationis.

Suppositis ijs, quæ diximus. Par. pr. Titul. Corpus num. 38. & seqq. pag. 423. de signis Virginitatis, & de difficultate probandi Corpus Delicti in casu Deflorationis; damus formam, iuxta quam debet describi Visitatio facienda per Obstetrices, vt ordinat Textus, quæ potest esse, vt sequitur.

Consequenter A. R. P. Prouincialis volens per peritas Obstetrices informari de constantia Corporis Delicti, petijt debitam licentiam in scriptis à D. Prætoze Ciuitatis, siue Oppidi N. qui libenter eam concessit, vt patet ex Libello dato, & decretato, qui hic inseritur signatus &c. & incipit &c. & desinit &c. & ponatur tenor illius. Et vocare fecit N. & N. publicas, & peritas Obstetrices, & illis iniunxit, vt visitarent Puellam N. filiam N. Et facta ab ipsis Visitatione, vocata fuit N. de N. vna ex prædictis Obstetricibus, & sibi dato iuramento de Veritate dicenda, & monita de grauitate periurij, & Causæ, de qua agitur, iurauit tactis Sacris Scripturis, mox fuit.

Interrogata. An Visitauerit Puellam N. &c.

An repererit eam Virginem, an vitiatam?

Ex quibus signis cognouit fuisse vitiatam? &c.

An potuerit ex se vitari, aut alio modo, quam per congressum virilem? &c.

A quantò tempore iudicet fuisse corruptam? &c.

A quibus signis cognoscat; & dicat causam quare sic iudicet? &c.

Quibus habitis A. R. P. eam monuit, vt hoc sub secreto teneret, peccaret enim mortaliter, si proderet famam Puellæ, & etiam Religionis: imò iniunxit, vt si aliquos audiret de hac re loquentes, dicat, se Visitasse Puellam illam, & esse falsum, & sine fundamento, quod de ea dicitur. Et lecta sibi sua depositione, cum nollet aliquid addere, vel minuere, nesciens scribe-

Pars II.

re, signum Crucis appofuit, & dimissa est, saluo iure &c. Acta sunt hæc Die ... &c.

†

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Et pari modo examinanda est secunda Obstetrix.

XI. Forma probandi Corpus Delicti in Casu Furti.

Si furtum Factum fuit cum fractura ostij, armarij, capse &c. probatur per Visitationem factam à Iudice de fractura &c. & circa hoc nulla est differentia in Forma describendi Corpus Delicti in Furto, ac in Visitatione Cadaveris Venenati, aut Vulnerati, vt diximus supra. Si verò Furtum factum est sine fractura, & nullum reliquit vestigium post se, Corpus Delicti probatur per Testes, qui viderunt rem in tali loco, vbi conseruari solita erat, & tali tempore; mox viderunt eam ibi non esse, & viderunt, & audierunt Officialem, siue Custodem, aut Vsuarium illius rei, (quandoquidem, apud Nos, dominium vllum reale non datur) contristatum, & conquerentem de re sibi furata; & circa hoc nulla est forma specialis probandi Furtum per Testes, diuersa ab ea, in qua probatur quoduis Delictum, quod vestigium post se non relinquit. Sed potest dari Casus, quod aut ex Officio, aut ad instantiam Partis fiat Inquisitio contra aliquem, qui solitus furari, multa parua Furta fecit, quæ vel in cella, vel alibi ipse occultauit; consideratis autem rebus singulis, ipsæ per se non sunt sufficientes ad hoc, quod possit de ijs fieri Processus, ratione paruitatis materiæ; sed collectis simul omnibus, constituunt materiam sufficientem ad Furtum graue, ob quod potest Reus constitui. Tali ergo casu debet Iudex, visitatis rebus furatis, adhibere iudicium Peritorum, vt secundum communem existimationem, iudicent de valore illarum. Quod si valor rerum furatarum non excedat duos aureos, puta viginti Iulios Romanos, non est locus Inquisitioni, quia, vt ex l. Si oleum. iunct. gloss. ff. de Dolo. post Filliuc. obseruat Bict. quæst. 123. num. 14. summa duorum aureorum, licet sufficiat ad peccatum mortale; tamen, pro Foro Fori, in iure dicitur modica. Si verò excedat, potest procedi, & describi prout sequitur.

F

Cum

Cum A. R. P. Prouincialis visitasset Cellam Fratris N. Denunciati, siue Accusati: siue Diffamati de Furto; siue proprietate, & reperisset in sporta, capsa, armario, seu subtus lectum stramineum &c. siue in Officina, quam dictus Fr. N. habet in cura sua, vt Coquina, Cellauinaria, Sacristia, siue Officina Sutoria, quæ vulgò dicitur *Communitas* &c. multas res, quæ sunt vltra vsum Religiosum, & seruabantur absconditæ, eas coràm se, & infrascriptis Testibus, statuere fecit, & reperta sunt.

Primò. 20. Candelæ cereæ talis, & talis qualitatis, & ponderis &c. Secundò. frusta intortitorum, & aliarum candelarum, & massa informis ceræ, quæ omnia ponderabant &c. Tertio. Quatuor mappule lineæ, quasi nouæ. Quarto. Vna tobalea linea subtilis, quæ inseruit pro Altari in festiuitatibus. Quintò. Quatuor sudaria linea noua, quæ seruiunt in Tonstrina. Sextò. Duo sudaria lanea noua. Septimò. Duo paria sandaliorum nouorum. Octauo. Sex frusta corij bouini pro soleis fabricandis, quæ ponderant &c. Nono. Duæ iconulæ pictæ super lamina cuprea, ornatae hebano, cum crystallo supraposita, in quarum vna est effigies B. M. V. Annunciatae; in alia est imago D. Antonij de Padua &c. & sic describantur singillatim omnia inuenta minutim ea adnotando &c. Quibus Visitatis, iussit custodiri apud me Actuarium ad effectum &c. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter A.R.P. Prouincialis, qui supra, ad se plenè informandum de valore supradictarum rerum, & ita ad sciendam grauitatem Furti commissi, decreuit adhibere iudicium Peritorum, prout de iure; & petita, & obtenta licentia à D. Potestate Ciuitatis, seu loci &c. prout petijt, & obtinuit, vt apparet ex Libello dato, & decretato, qui inseritur signatus litera &c. & incipit &c. & desinit &c. & ponatur tenor (porrò Forma Libelli data est supra in hac Sectione num. V.) vocare fecit D.D.N. & N. publicos Æstimatores, & iussit, vt Visitarent supradictas res furatas, & iudicium suum in scriptis referrent circa valorem singularum rerum. Quod cum perfecissent, vocati fuerunt coràm eodem

A.R.P. & dato singulis eorum iuramento de veritate &c. prout præstiterunt, tactis sacr. Scripturis, præsentauerunt iudicium suum in scriptis, signatum ab ambobus, & hic inseritur signatum litera &c. & incipit &c. & desinit &c. Acta sunt hæc Die Anno &c.

A D N O T A T I O

XII. *Aduertendum, quod non est necessè, quod in estimatione valoris rerum furatarum Periti reddant Causam sui dicti, quia talis estimatio non innititur principio alicuius Scientiæ, siue Artis, sed solum communi opinioni, iuxta quàm valor rei estimatur; & in hoc casu peritia Æstimantis est locorationis in iudicando. Insuper sitales Periti nesciunt scribere, debent singillatim examinari, & proferre iudicium de vnaquaque resurata.*

XIII. *Forma probandi Corpus Delicti in Casu Scripturæ falsificatæ; Monetæ adulteratæ; Armorum prohibitorum, Mixturæ venenatæ, & similibus.*

Quia in Casibus propositis non apparet ad euidenciam de dolo malo, necessarium est, quod Iudex adhibeat Peritos, & iuxta eorum iudicium reguletur. Porrò Periti debent esse iuxta illud, de quo debent iudicare; puta si agitur de Scriptura falsificata, debent esse Magistri Scriptorum; si de Moneta adulterata, Aurifices; si de mixtura venenosa Medicus, & Aromatarius; si de Armis prohibitis Fabricator armorum. &c. Porrò isti debent examinari iurati, & oretenus, siue scripto, iudicium suum præsentare, post petitam Licentiam ab eorum Superiore. Sed quia hæc omnia regulanda sunt sicut examen Medici, Chirurghi; siue Peritorum circa valorem rerum furatarum, de quibus supra dedimus Formas, non repetimus, sed ad earum exemplar Iudex se potest, in facti contingentia, regulare.

XIV. *Forma probandi Corpus Delicti, quando Corpus ipsum est extrà locum Iurisdictionis Iudicis Regularis; siue de eo amplius non apparet.*

Possunt dari Casus, quod Corpus Delicti sit extrà Conuentum, aut de eo amplius

non appareat, ex eo quod, post delictum transijt longum tempus. Etenim potuit Regularis vulnerasse, aut occidisse Laicum, aut Clericum, Sacularem, videntibus Testibus: siue occidisse secretò, & iam fuisse à multo tempore tumultatum, & resolutum, & Delictum aliqua via inopinata patefieri ex post. Potest item Regularis adulterasse Librum publicum; Instrumentum, Apocham, siue Syngrapham cautoriam, siue Obligatoriam; siue composuisse, & affixisse Epitbesim (Pasquinata) siue Libellum famosum, & ipsum vulgasse contra Virum, aut Mulierem honestam, Libellus autem, siue Scriptura alia quævis falsificata, esse apud Iudicem Laicum, itò ut non possit Iudex Regularis facere de eo constare per Visum & repertum. Tali casu posset Iudex Regularis petere Licentiam à Iudice Saculari, & Corpus Delicti visitare, & ipsum describere, sicut supra dictum est. Tamen hoc compendiosius fiet, si Corpus Delicti iam recognitum, & probatum in Foro Saculari, compulsetur authenticè, & inseratur in Processu Iudicis Regularis. Suppono enim, quod Iudex Sacularis constare fecerit de Corpore Delicti in Foro suo per Visum, & repertum; & quia probatum in vno Tribunali est publicum iuris, & probatum remanet pro omnibus Tribunalibus, ideo ad hoc, quod constet de Corpore Delicti in Tribunali Regulari, sufficit, quod in Processu inseratur transumptum authenticum probationis illius factæ in Foro Saculari. Debet ergo Iudex Regularis dare Libellum Iudici Saculari, ut per Actuarium suum compulsari faciat probationem Corporis Delicti, & transumptum authenticum, & legalizatum sibi concedat, tenor verò Libelli potest esse sequens.

Illustris. & Reverendis. D. si est Episcopus siue Illustrissime, siue Perillustri Domine, iuxta conditionem Iudicis Sacularis.

Pro quadam Causa Regulari, quæ coram se aditatur, necessarium est Fratri N. Ministro Prouinciali &c. iustrare Processum factum in Curia Dominationis Vestræ super crimine &c. & describatur Delictum, de quo agitur summarè; & à Processu compulsare nonnulla ad solum Tribunal facientia; ac insuper examinare nonnullos Subditos. Dom. V. Supplicat proindè, vt dignetur opportunam ad prædicta facultatem concedere; & ordinare Actuario suo, vt det commoditatem Oratori iustrandi Processum memoratum; &

Pars II.

tribuat transumptum authenticum eorum omnium, quæ Orator conducere iudicabit in Causa, quæ coram se aditatur. Quod totum &c. Quam Deus &c.

Porro descriptio in Processu facienda potest esse, vt sequitur.

Cum A. R. P. Minister Prouincialis vellet, prout de iure, de constantia Corporis Delicti, de quo Accusatus, siue Denunciatus, siue Diffamatus est prædictus Fr. N., inquirere, sciretque super eodem Delicto fabricatum esse Processum in Curia Illustrissimi D. Episcopi; siue D. Potestatis &c. decreuit, ab eo petere Copiam authenticam probationis prædicti Delicti & facultatem iustrandi suprascriptum Processum, ad effectum se plenè informandi circa factum &c. quod totum gratiosè obtinuit, vt apparet ex memoriali dato, & decretato, quod hic inferitur signatum litera &c. & incipit &c. & desinit, & ponatur tenor initij, & finis Memorialis &c. In cuius executionem D. N. Actuarius Curie Episcopalis; siue D. Potestatis, viso Decreto ad calcem suprascripti Memorialis, rogatus à præfato A. R. P. Ministro Prouinciali, attulit Processum fabricatum in Curia sua super &c. Et ponatur Titulus Cause, super qua fabricatus fuit Processus, & in Camera residentie eiusdem A. R. P. permisit ab eodem legi, & ad placitum iustrari. Quo facto, prædictus Actuarius, ad instantiam memorati A. R. P. Ministri, fecit transumptum authenticum Visitationis, Recognitionis, & Probationis Corporis Delicti descriptæ in eodem Processu & Copiam authenticam, & solemniter legalizatam præsentauit eidem A. R. P. Ministro, qui iussit eam inferi inter Acta, prout inserta fuit signata litera &c. & incipit &c. & desinit &c, & ponatur tenor, &c. Acta sunt. hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O I.

XV. Aduertandum, quod si Corpus Delicti probatum remanet, ex sola Visitatione facta à Iudice, siue Notario criminali per Visum, & repertum &c. sufficit habere Copiam prædictæ Visitationis, quia per eam plenè remanet probatum Corpus Delicti. Sed si ad eius probationem adbiti sunt Periti, siue alij Testes, ex quorum iudicio, seu Testi-

monio probatum remansit Corpus Delicti, quod ex se non erat evidens, debent per extensum inferi in copia compulsata iudicia Peritorum. Testimonia Testium, & omnia alia, per quæ probatum remansit Corpus Delicti. Aliter Processus esset defectiuus, quia in eo non appareret concludenter probatum Corpus Delicti, quod est illius principale fundamentum, quo subducto totum edificium processuale ruit.

ADNOTATIO II.

XVI. Aduertendum secundò, quod si Corpus Delicti esset in potestate Iudicis Sæcularis Ecclesiastici, siuè Laici, ut si esset aliqua Scriptura falsificata à Regulari, quæ reperiretur in Archiuio Iudicis Sæcularis, qui tamen eam reputat legitimam; Iudex autem Regularis habet indicia, quod ipsa sit falsa, ad probandum Corpus delicti, debet hic petere facultatem ipsam Scripturam lustrandi non solum per se, sed etiam per quosuis, quos iudicauerit necessarios ad causam pendentem in Tribunali suo, ut sequitur.

Illustrissime, & Reuerendissime, siuè Perillustris Domine &c.

Pro Causa quadam pendente coràm se, necessarium est Fratri N. Ministro Prouinciali Prouinciæ N. lustrare, non solum per se, sed etiam per alios Peritos, quos iudicabit necessarios Scripturam &c. & hic exprimat Scriptura desiderata, siuè aliud sit Corpus Delicti nondum probatum tanquam tale in alio Tribunali, quæ conseruantur in Archiuio Dominationis vestræ.

Supplicat proindè, ut sibi, & alijs ad hoc necessarijs, copia fiat prædictam Scripturam lustrandi, & eam iudicialiter recognoscendi, rogatque Illustr. D. V. ut iubeat Actuarius suo, ut copiam authenticam Scripturæ prædictæ Oratori indulgeat; & opportunam eidem tribuat facultatem examinandi Peritos, ac alios Subditos Illustriss. D. V. in ordine ad eandem Scripturam. Quid totum &c. Quam Deus &c.

Habito autem Decreto fauorabili, debet visitari Scriptura coràm Testibus, & de illa facere descriptionem per Visum, & repperitum. Tamen aduertendum est, quod aut falsitas est, ex se manifestè evidens ex ventre Scripturæ; aut probanda est, per iudicium Peritorum. Si primo modo (ut si videretur

Scriptura roborata Sigillo, aut falso, aut falsificato, puta ablato, ab alia Scriptura; & in hac affixo; siuè diceretur facta à Prouinciali alicuius Prouinciæ, Sigillum verò appositum non esset illius Prouinciæ, sed alterius &c.) sufficit describere admissim qualitatem Scripturæ, & sigilli, ex qua emergit euidentè falsitas; sicut esset si sigillum esset impressum matrice sulphurea, vel ex cera Hispanica, formata per fusionem Sulphuris liquefacti super Sigillo vero, tunc enim Sigillum impressum euaderet concauum, & tamen deberet esse conuexum, si fuisset impressum Sigillo verò, ut communiter fit. Tali ergo Casu adnotata prædicta qualitas, ex se probaret falsitatem, & ea descripta sufficeret examinare Testes adhibitos ad Visitationem iuxtà Formam datam supràmum. IX. Si autem falsitas probanda esset per iudicium Peritorum, debent examinari formiter Periti, iuxtà Formam, quam dedimus supra circa probationem Scripturæ falsificatæ num. XIII. Et Copia Scripturæ falsificatæ compulsata, authenticè debet inferri in Actis, ut dictum est.

XVII. Forma Decreti faciendi post probationem Corporis Delicti.

Probato Corpore Delicti secundum quamuis Formulam, ex suprædictis, iuxtà Casuum contingentiam, debet Iudex interponere Decretum de procedendo ad vltèriora, si Corpus Delicti probatum plene fuit; si verò Delictum non remanet concludenter probatum, debet decernere, non esse vltèrius procedendum. In primo Casu Decretum debet esse, ut sequitur.

Cum ex hucusque Actitatis probatum remaneat Furtum fuisse commissum, &c. siuè N. fuisse Occisum; Vulneratum; Venenatum &c. siuè Delictum &c. fuisse commissum; A. R. P. Minister Prouincialis decreuit, prout præsentì Decreto decernit, ad vltèriora procedere, inquirendo de Delinquente, Testes examinando, & alia præstando prout de iure. Acta sunt hæc Die Mensè

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Si verè Corpus Delicti non remanet probatum concludenter, Decretum debet esse, vt sequitur.

Cum ex hucusque A&titatis, non remaneat plenè probatum Corpus Delicti, post omnem diligentiam adhibitam; decreuit A. R. P. Minister, prout præfenti Decreto decernit, leuare manum à Pro-

cessu, & de eo ampliùs, non inquirere, donec pleniores probationes Delicti possint haberi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.



SECTIO QUARTA.

In qua traduntur omnes Formæ examinandi Testes.

I. Quæ vniuersaliter sint seruanda in examine Testium.



Vtrà ea, que tradita sunt. Par. prima toto Titulo de Test. pag. 515. &c. ad quem locum Lectorem remittimus iuuat summarie tradere aduertentias, quas debet curare Iudex, ut eautè, &

legaliter procedat in hoc puncto essentialissimo, & difficili. Primò igitur debet considerare si Testis est assumptus ex Officio, an productus à Parte. Si est assumptus ex Officio, ut accidit in omni Inquisitione generali, speciali, aut mixta, debet adnotari in descriptione examinis, hoc modo. Vocatus fuit Fr. N. Testis ex Officio assumptus &c. Si verò est productus à Parte, ut euenit quando proceditur per Accusationem, Denunciationem, siue Exceptionem, debet adnotari sic, Vocatus fuit Fr. N. Testis productus ab Actore &c.

II. Secundò. Considerare debet aetatem Testis. Si enim Testis est impubes non posset examinari sub iuramento, cum non sit doli capax, ut iura dicunt l. Qui iurasse. ff. de Iureran. cap. p. 4. quæst. 3. cap. Paruuli. 22. quæst. 4. Verum est, quod quando crimen est atrocissimum, difficilis probationis, aut cum aliter veritas haberi non potest, & impubes est, doli capax, & scit, quid sit iuramentum, & quod crimen sit periurium, potest, secundum Doctores, Baiard. ad Clar. quæst. 24. num. 108. Guazzin. Defens. 30. cap. 111. n. 11. Conciol. V. Minores. Refol. 2. nu. 12. apud Passerin. Prax. crimin. cap. 3. numer. 89. fol. 459. sibi dari iuramentum. Proinde initio examinis debet adnotari ipsius ætas, & ex laudabili consuetudine (licet non sit necessarium) exprimitur etiam tempus Religionis sic. Vocatus fuit &c. Testis, &c. ætatis annorum &c. prout dixit; Religionis verò &c.

III. Tertio. Consideranda est conditio Testis, si est Sæcularis, aut Religiosus Sub-

ditus Iudicis, aut extraneus; masculus, aut femina; constitutus in Dignitate, aut Priuatus; Nobilis, aut Plebeius, Sacerdos, Clericus, aut Laicus Conuersus; integræ Famæ, an Infamis ob crimen, seu ob exercitium; & eius conditio adnotari debet in Processu, & admitti, vel non, iuxta exigentiam Cause, & ea quæ diximus Par. p. loquendo de Testibus Inhabilibus, quando sint admittendi, vel non. Proinde sic adnotaretur.

Vocatus fuit &c. Testis &c. Sacerdos, Prædicator, Nouitiorum Magister &c.

IV. Quarto. Aduertendum est, quod in Inquisitione mixta, quando nempe Delictum certum est, ignoratur autem Delinquens, scit autem Iudex extraiudicialiter, quod circa Delinquentem sunt aliqui Testes de Visu, & aliqui de auditu; bonum est prius examinare illos, qui sunt de auditu. Si quidem isti sunt ad modum Denunciantium, unde Iudex habet firmiter fundamentum deueniendi ad specialem Inquisitionem contra Reum.

V. Quintò. Antè examen Testium, omninò necessarium est, quod ipsi detur iuramentum de veritate; & iuxta conditionem Testis datur iuramentum per tactum pectoris, si est Sacerdos, aut per tactum Sacrarum Scripturarum si sit Clericus, aut Laicus tam Regularis, quàm Sæcularis. Testis enim non iuratus nihil probat; & in Processu adnotandum, est, quod tale iuramentum præstitit, non enim præsumitur, quod iuramentum sit præstitum, (cum hoc sit, quid facti; quod non præsumitur, nisi probetur,) & ideo constare debet in Processu, quod præstitum sit.

VI. Sexto. Antè examen Testium optimum est, quod Iudex scribat omnia capita, super quibus, iure potest interrogare, excerpta ex Actis, aut extraiudicialiter scita, & illa præ oculis habere (abscondita verò Testi,) & hoc, ne ex obliuione, aliquod omittat, & ut possit ordinate interrogare. Porrò examinato vno Teste, non debet statim examinare alium, sed bene ponderare dicta, & circumstantias loci, temporis, modi, occasionis &c. circa Delictum, ut possit opportunis interro-

zationibus à Testibus subsequenter illa exquirere, & hoc modò Delictum concludenter probare. Et ideò debet adnotare, in charta, (& ante se eam tenere,) omnes circumstantias ad rem facientes, ut super illis interroget; & si secundus, aut alius Testis discordat à primò, & circumstantie tangant substantiam Delicti, potest dicere Testi, ut benè recogitet, & dicat veritatem, quia factum illud fuit sibi aliter representatum. Et debet facere Iudex, quod Testis clarè, & distinctè det responsionem ad interrogata; & si dat responsiones obscuras, æquiuocas, vel intricatas, curare, ut eas explicet. Quod si aduertit Testem, pro, vel contra Reum veritatem occultare tergiuersando, potest Iudex eum inuoluere, & fatigare interrogationibus etiã parùm facientibus ad punctum; & inter eas denuò interrogare de aliqua substantiali circumstantia Delicti, & si respondendo euadit varius, aut contrarius sibi in eo, quod prius dixerat, potest ipsum redarguere, dicendo. Quomodo nunc ita dicis, dum suprà dixisti ita, & ita? Pariter si deponit inuersionem, aut extraordinaria, & aliena à communiter accidentibus, aut parùm, sibi ipsis coherentia, potest itidem, suscipiendo partes Rei, opponere Testi sic; Quomodo potuit hoc, esse stante tali circumstantia, quam asseruisti? Sicque fiet, ut Testis tollat inuersionem, conciliet ea, quæ pugnare inter se videbantur, & concludentius reddatur ipsius Testimonium.

VII. Septimò. Super omnia cauere debet Iudex à suggestionibus, siuè interrogationibus suggestiuis, de quibus diximus. Part. p. Tit. Testes num. 75. & 76. pag. 548. ipsæ enim reddunt Processum nullum, ut demonstrauimus, Tit. Reus num. 17. pag. 664. & ideo nunquam interroget in specie de Delicto, aut Delinquente in Inquisitione Generali; neque in specie de Delinquente in Mixta, nisi sit indiciatus in Processu de Delicto determinatè, & expressè, sufficienter.

VIII. Octauo. Aduertat Iudex, ut Testis deponat ex se de loco, tempore, & cæteris circumstantiis, & super omnia reddat Causam dicti, & Scientiæ suæ; dictum enim, non assignata Causa scientiæ, nullius est valoris, & non probat, nisi in eodem dicto implicitè contineatur Causa scientiæ, ut si diceret. Vidi Caium currentem post Seium, & ille armatus cultro Seium in pectore vulnerauit, me uidente; hoc enim Casu Testis asserens de visu reddit Causam sufficientem Scientiæ suæ, & esset superfluum inter-

rogare, nisi Delictum tale sit, quod absque Complicibus consummari non potuit, aut ex Actis appareat, quod multi fuerint Delinquentes, Testis autem de vno solo deponat.

IX. Ultimò. Tenetur Iudex fideliter excipere, & in Actis reponere omnia dicta Testis tam pro, quàm contrà Reum. Et Iudex Regularis non debet praticare, quod passim fit in Tribunalibus Sæcularibus; in istis enim, ante examen, Actuarius extrajudicialiter interrogat Testes, & si inuenit illos deponere ad fauorem Rei, etiam pro veritate, ipsos non admittit ad deponendum iudicialiter, sub quæsto colore, ne destruant intentionem Fisci; & sic frequentissimè Rei grauantur, aut Innocentes redduntur Rei, cum enormi læsione Iustitiæ; & hoc ideò, quia multi venantur Delicta, non ut corrigant, aut puniant ad bonum publicum, sed ut pecuniam emungant ad commodum priuatum. Hoc fugere debet Iudex Regularis tanquam pestem. Testes quosuis pro informatione Curie debet equaliter admittere, nisi lege prohibeantur; & eorum dicta siuè, pro, siuè contrà Reum equaliter excipere, imò, ut suprà dictum est, debet fauore Rei redarguere Testes deponentes contrà eum, tum ut satisfaciat communi dicto Criminalistarum, Iudex debet esse pro Reo; tum ut hac via plenius instruatur, & magis pateat veritas. Testes autem producti ad Defensam, cum possint esse subornati, benè possunt detegi alia via, si falsi sunt, prout diximus Parte prima Titulo Testes; absque eo, quod prius extrajudicialiter audiantur. Tandem Forma vniuersalis præponenda examini cuiusuis Testis est, ut sequitur.

X. Vocatus coràm A.R.P. Ministro Prouinciali fuit P.N. Concionator Lector, Confessarius &c. siuè Frater N. Clericus Subdiaconus &c. siuè F.N. Laicus Conuersus ætatis annorum &c. prout dixit, Religionis verò &c. Testis ex Officio assumptus, siuè à Parte productus prout in Actis &c. cui delato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit, tacto pectore, more Sacerdotali &c. siuè tactis Sacris Scripturis fuit monitus &c. & ad sibi factas interrogationes respondit, ut sequitur &c.

XI. Forma examinandi Testes, quando Delictum est per eos probandum.

Dupliciter potest accidere, quod Delictum per Testes probandum sit; puta in Inquisitione

frione Generali, & in speciali. De primo, dictum fuit supra, Sectio prima numero XII. quando dedimus formam Inquisitionis Generalis, siue Visitationis Iudicialis. De secundo autem dico, quod dupliciter potest contingere, puta, uno modo, quando Delictum, & Delinquens sunt ita coniuncta, quod unum absque alio non potest probari; ut accidit in iniuria, aut contumelia verbali, in Percussione, Furto, Fornicatione, quando nempe nullum vestigium relinquitur post Delictum. Tali Casu probatur simul Delinquens, & Delictum: sed Iudex, examinando Testes, debet prius interrogare de Delicto Generalissime. An sciat aliquod Delictum fuisse contra Legem Diuinam, aut Regulam commissum?

Quodnam fuerit Delictum commissum?

Quo loco, quo tempore, & quibus presentibus?

Qua occasione, & quomodo hoc sciat Testis?

Et postea querere. A quo fuerit commissum tale Delictum?

Quomodo id sciat? &c.

Alio modo quando Delictum est, separatum a Delinquente, quia Delictum relinquit vestigium post se; & hoc iterum potest dupliciter accidere; puta quando vestigium ita diutius perseverat, ut a Iudice visitari possit; & tunc probatur Delictum per Visum, & repertum, de quo diximus supra Sect. III. numero I. & ideo hic non repetimus.

Et quando vestigium nullum relictum est post Delictum, puta in Furto facto sine fractura &c. vel vestigium disparuit antequam Iudex potuerit illud visitare, ut in percussione, quae relinquit contusionem, siue liuorem post se, sed interiecto tempore, & adhibita curatione, penitus disparuerunt, & de hoc casu nunc loquimur. Poterit ergo examinari Testis, ut sequitur.

XII. Vocatus fuit N. Testis &c. ut supra num. X.

Interrogatus. An sciat, vel suspicari possit causam suae vocatiouis?

Si dicit se plus, minus imaginari eam; subiungat Iudex. Dic eam. Si vero, ut plurimum, & ordinariè responderit se nescire eam subsequatur Iudex.

In quo Conuentu maneat de familia?

A quo tempore?

Quod Officium habeat?

An omnes Religiosi morigeratè vi-

xerint in toto hoc tempore?

An aliquod scandalum intra, vel extra claustra commissum fuerit?

Quale scandalum fuerit?

Caueat Iudex, ut Testis praecise ad interrogata respondeat; ideo dum ipse querit de Delicto, & non de Delinquente, non acceptet responsionem Testis, qui deponit de Delinquente ante Delictum; sed dicat; Non quero a Te quis deliquerit, sed quero de Delicto, ideo respondeas ad interrogata. Si dicit Testis Furtum fuisse commissum; Puellam, aut Viduam impraenatam; Fratrem, aut Saecularem fuisse percussum, &c. sequatur Iudex.

Quomodo hoc scit?

Vbi erant res furatae antequam furripentur?

An eas ipse viderit ibi?

Quomodo, & qua de Causa asserat eas fuisse furatas?

An viderit vulnus, liuorem, contusionem, ex percussione?

Quantum lata, longa, plus minus fuerit?

In qua parte Corporis fuerit?

An multum sanguinis effluerit?

Quantò tempore curata fuerint?

An qui dicitur percussus, potuerit, ex Casu, aut alio modo sine dolo ita vulnerari?

Quare hoc dicat?

An sciat, qui furatus sit, impregnavit, percussit?

Quomodo hoc sciat?

Quo tempore, & loco, siue a quibus audiuerit nominatim?

An alij viderint, aut audierint, & qui?

An habebat inimicitiam, seu rixam cum eo, quem dixit deliquisse?

Et sic duos, aut tres Testes potest Iudex examinare ad probandum Corpus Delicti, ut eo probato, possit ad ulteriora procedere. Et examinato Teste, debet sibi legi ab Actuario facere eius Depositionem, & percontari, an velit ipsi addere, vel minuere aliquod, & eam faciat subscribere propria subscriptione, vel saltem signo Crucis, si Testis nesciat scribere; & tandem imposito sibi silentio circa examen factum, illum dimittat, sibi reservato iure illum, si oportuerit, examinandi toties, quoties. Porro supradicta possunt comprehendendi per sequentem formulam.

XIII. Forma conclusionis examinis Testium seruanda in omni, & quocumque examine.

Quibus habitis, & si, & in quantum acceptatis, R. A. P., per Me Actuarium, legi clarè, & intelligibili voce, fecit prædicto Testi suam depositionem: cui cum nolisset aliquid addere, aut minuere, se subscripsit; siue signum Crucis propria manu apposuit, cum nesciat scribere; & factò sibi formali præcepto, vt cum nemine loqueretur de depositis in dicto examine, dimissus est, saluo iure &c. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Testis deposui &c.
Ego N. Minister &c.
Ego Fr. N. Actuarium.

Quod si Testis velit examini aliquid addere, aut minuere, debet dici. Et cum suam depositionem audisset, dixit. In tali loco &c. vbi dixi &c. addatur hoc &c. siue minuatur hoc &c. melius enim recordor, quod fuit ita, & ita &c.

ADNOTATIO I.

XIV. Aduertendum, quod omnia interrogatoria Iudicis debent scribi latinè, & per extensum; depositiones verò Testium lingua vernacula, non quidem barbara, (quandoquidem per solitas literas Alphabeti non potest aliquando scribi,) sed ea phrasi, quæ proximè accedit ad idiotismum vernaculum, potest tamen commodè ita scribi; vt etiam à non barbaro possit legi, & intelligi: cum hoc, quod Actuarium sensum à Teste, (maximè idiota,) barbara loquela, expressum nullo modo alteret augendo, aut minuendo vim dicti, pro, aut contra Reum, dum phrasim barbaram conuertit in magis intelligibilem. Excipienda sunt ab hoc, verba illa, quæ continent in se delictum; illa etenim quamuis barbarissima, debent eadem describi, & nulla paraphrasi variari; hæc enim, aut nunquam, aut difficillimè potest reddere verba, quæ æqualem emphasim habeant cum prolatis à Reo, vt patet in blasphemia, & contumeliosis verbis, quæ, grauitatem iniuriæ contra Deum, & proximum variant, iuxta varietatem Regionum, in quibus proferuntur.

ADNOTATIO II.

XV. Aduertendum secundò, quod licet communis vsus sit, quod in Inquisitione mixta, (quando nempe Delictum scitur quidem communiter à pluribus Testibus, non tamen reliquit vestigium post se, per quod possit à Iudice probari per Visum, & repertum,) postquam Testis deposuit super Delicto ipsum probando, Iudex interroget super Delinquente in specie; tamen practica hæc non est vndequaue laudabilis. Quia certum est, quod prius probandum est concludenter Delictum, antequam de Delinquente possit inquiri. Dum ergo primus, aut etiam secundus Testis examinatur super Delicto, ipsum adhuc probatum non est plenè, ita vt ad Inquisitionem specialem contra Delinquentem possit deueniri. Legalius ergo fiet, si Iudex non inquirat super Delinquente, nisi postquam secundus Testis ad minus, concordauerit plenè, cum primò, & legitime probauerint Corpus Delicti; & tunc tunc poterit deuenire ad Inquisitionem Delinquentis; & sic demò examinare primum Testem, & præcisè ipsum interrogare super Persona Delinquentis, de quo in primo examine, (suppono,) quod nihil deposuerit.

ADNOTATIO III.

XVI. Consueuerunt pariter Criminaliste communiter, dando Formulas examinandi, tum Testes, tum Reos, describere Lingua Italica eorum responsiones, & ab ijs erutas interrogationes Iudicis subiungere; vt videre est, apud Bictum, Ambrosinum, Berti, Passerinum, & etiam Formularium nostro Textui adnexum. Sed hoc tum inutile, tum incommodum est. Inutile quidem, quia, in facti contingentia, Testis, aut Reus, non respondet, vt ibi dicitur; vnde Iudex, (præsertim si est leuis armatura, vt frequenter accidit,) qui accuratè, antè examen, legit totam illam seriem responsionum, & interrogationes faciendas, ex illis præmeditatus est; dum audit responsiones datas ab Examinato non coherere illis, quas legit in Formulario, se reperit intricatum, videns, quod interrogationes, quas prius parauerat, non faciunt ad intentum. Ideo in Formulario Nostro non apponimus, nisi puras interrogationes necessariò faciendas à Iudice, ad hoc, quod altiùs illas meditetur, memoriæ infigat, aut etiam scriptas, vt supra diximus,

omitat.

antè se teneat, ut nihil mittat, quod ad legitimam probationem requiratur. Incommodum etiam aliquibus est; siquidem responsiones illæ, cum sint Italica à solis Italis intelliguntur; unde Germani, Belgæ, Galli, Hispani, & aliæ Nationes, quæ non callent linguam Italicam, tales responsiones, non intelligunt, & multos Ultramontanos audiui, qui de hoc conquesti sunt, ac si Auctores pro solis Italis, cum invidia aliorum, scripsissent. Quapropter debuissent saltem responsiones Examinatorum latinas reddere, ut etiam ab exteris intelligerentur. Sed quia etiam hoc inutile est, ut paulò supra diximus, ideo puras Iudicis Interrogationes apponimus, quibus accuratè perpensis, Iudex sufficienter manebit instructus de modo examinandi Testes, & Reos, & labor Noster omnibus aequaliter Nationibus, hoc modo, proficius euadet.

XVII. Forma seruanda, quando examen non potest vnico contextu perfici, sed ex aliqua causa interrumpitur.

Si ex prolixitate examinis tum Testis, tum Rei, non potest illud vnica vice expediri; aut etiam ex alio impedimento Iudicis non valet continuari, debet ita concludi.

Quoniam ab horæ tarditatem, siue ob vrgentissimum negotium, quod superuenit A.R.P. Ministro Prouinciali, non potuit hoc examen completè expediri; mandauit idem A. R. P. examen pro tunc terminari, animo tamen ipsum opportuno tempore continuandi; & perficiendi. Et lecto ipsi Testi supradicto examine, & acceptatis si, & in quantum ipsius depositionibus, subscribi ab eodem fecit, & dimissus est saluo iure &c.

Ego Fr.N.affirmo, vt supra.

Ego N.Minister Prouincialis.

Ego N.Actuarius.

XVIII. Forma continuationis examinis interrupti.

Die Mense Anno ... &c. & loco &c. præfatus A. R. P. Prouincialis &c. volens continuare examen Fratris N. Testis, quod fuit interruptum ex causa supra recensita, vocari illum denuò coram se fecit, & ipsi iuramentum de veritate &c. dedit prout iurauit &c. tact. &c. & fuit.

Interrogatus &c.

Si examen adhuc compleri non poterit, concludatur per Formulam datam numero XVII. Quoniam ad horæ &c. Si verò completum fuerit debet terminari sicut dictum est num. XIII. Quibus habitis &c. Et aduertendum, quod, ut supra dictum est, antequam concludatur examen, debet integrum legi ipsi Testi, ut possit illi addere, aut minuire, quod vult. Verum est, quod si inter primum, & secundum examen interiectum est, aliquod tempus, in quo Testis potuerit à Parte subornari; & in secundo examine, retractat dicta in primo (sub specie corrigendi dicta) ad fauorem Fisci; Iudex debet diligenter eum examinare super causa correctionis, & fatigare eum interrogationibus etiam parum ad rem facientibus, ut Subornationem detegat, & contra illum, & subornantem procedat, sicut dictum est, Par. p. Titul. Testes num. 112. pag. 565. Potest etiam dari casus, quod Testis, non completo primo examine, grauitè decumbat; aut necessiterur ob negotium graue aliò pergere per aliquot dies. Scrupulizant verò nonnulli Iudices interea examinare alios Testes, & credunt, piaculum legale esse, inserere in Processu aliud examen, si inceptum non terminetur absque interruptione. Sed isti trepidant timore, vbi non est timor. Possunt enim alios quosuis Testes examinare, & alia Acta necessaria facere (dummodò sunt antè Rei constitutionem,) & inde reassumere, & complere examen olim interruptum; nullo enim iure (sub pœna nullitatis Processus) cauetur, quod examen Testium, aut Rei, debeat esse continuatum. Pariter opinantur multi Iudices parum versati, quod si Testis vna vicè completè examinatur, nequeat alijs vicibus examinari. Hæc itidem erronea opinio est, quia potest Iudex toties, quoties expediens iudicat, Testes, & Reum examinare, nullo enim iure aliter coarctatur. Tandem aduertendum, quod si Testis in vno, & eodè, examine siue pro Fisco, siue pro Reo est varius, vacillans, aut sibi contradicit, Iudex debet sibi obijcere variationem, vacillationem, siue contradictionem, & eam redarguere dicendo; supra siue in tali examine sub die tali &c. dixisti hoc, sic, & sic &c. quomodo nunc dicis sic, & sic; hoc, & hoc &c. Si Testis reddit bonam rationem, & causam legitimam; vel contradictionem concordat, benè quidem. Sin minus debet illum torquere, ut dicemus infra nu. LVIII.

XIX. Forma examinandi Testes in Inquisitione mixta, dum Delictum est euidens, ignoto Delinquente.

Vocatus fuit &c. *vt supra numero X.*
Fuit interrogatus. An sciat, vel præsumat causam suæ vocationis?

Vbi erat de familia Die Anno & Nense tali &c.

Qui nam erant secum de familia in tali Conuentu?

An tali tempore commissum fuerit aliquod Delictum, & quod?

Quomodo tale Delictum scierit; si ipse vidit, an ab alijs audiuit?

A quibus audierit?

Quo tempore?

Quo loco?

Quibus præsentibus?

An sciat, aut audierit, à quo tale Delictum fuerit commissum?

An suspicetur de aliquo Fratre particulari, quod illud commiserit?

Quia verò plurimum potest variari series interrogationum faciendarum iuxta varietatem Delictorum, singula enim Delicta speciales exigunt interrogationes, quas si vellemus omnes in hac Formula comprehendere, generaretur confusio, ideo præmissis interrogationibus generalibus hinc supra descriptis, quæ in omni Delicto quadrant; subiungimus eas, quæ in particularibus occurrere possunt, vt clarius procedamus. Si verò est Inquisitio mixta alio modo, puta generalis, quoad Delicta, & specialis quo ad personam, potest fieri examen Testium prout dicimus infra Sect. XI. numero XIII. Vide ibi.

XX. Forma examinandi Testes in Causa Vulnerati, siuè Occisi reperti dum Delinquens ignoratur.

Præmissis interrogationibus paulo supra num. XIX. adnotatis, subsequatur.

Interrogatus. An sciat Fr. N. vulneratum, siuè occisum habuisse inimicitiam cum aliquo?

An sciat causam talis inimicitiae?

Quomodo illam sciuerit?

Quæ signa inimicitiae inter eos viderit?

An fuerint postea reconciliati?

Pars II.

Ex quo tempore redierint amici?

An post reconciliationem denuò repullulauerit inimicitia?

An audierit Fr. N. inimicum vulnerati, aliquando minitatum illi fuisse in præsentia, siuè in absentia ipsius, loquendo cum fratribus?

An credat dictum Fr. N. potuisse ob talem inimicitiam vulnerasse, aut occidisse prædictum Fr. N.?

Quare ita credat?

An solitus sit Fr. N. minas exequi?

Quomodo hoc sciat?

An aliàs dictus Fr. N. percusserit; aut percutere tentauerit aliquem alium?

An solitus sit incedere armatus cultro, aut tenere arma in cella, aut alibi abscondita?

Cuius famæ sit Fr. N. quem suspicatur vulnerasse, aut occidisse?

An alij Fratres possint scire eadem, quæ ipse deposuit?

Quinam sint isti Fratres?

Quomodo sciat eos talia scire?

An sit Amicus, vel Inimicus Fr. N. quem suspicatur fuisse Delinquentem?

An alij Fratres idem suspicentur?

Qui nam sint illi Fratres?

Quomodo, & quando, & coram quibus audierit, eos esse idem suspicatos?

An de hoc sit Fama in Conuentu?

A quo orta fuerit talis fama?

A quibus singulariter, quando, & coram quibus, & qua occasione audierit?
Et concluditur examen per conclusionem.

Quibus habitis &c. *vt supra num. XIII.*

XXI. Forma examinandi Testes in Causa Furti manifesti dum Delinquens nescitur.

Vocatus fuit &c. *vt supra num. X.*
& *præmissis interrogationibus generalibus vt supra notatis num. XIX.* Interrogatus. An habuerit aliquod indicium, ob quod suspicatus sit Fr. N. commisisse tale Furtum?

Cuius conuersationis, & vitæ sit talis Frater?

An aliàs penitentiatus fuerit de Furto?

An audierit illum aliàs furatum fuisse alicui Fratri particulari aliquam rem è cella?

Quomodo, quando, & coram quibus audierit?

Cuius Famæ sit talis Frater.

A quibus singulariter audierit talem reputari Furem, qua occasione; loco; tempore, & quibus contestibus?

An prædictus Frater habeat, aut habere solitus sit res pretiosas, quæ sinè pecunia haberi non possunt, vt iocalia muliebria; medaleas argenteas, coronas electrinas (*d'ambra*) strophiola serica, aquam vitæ moschatam, chocolatam pretiosam cum ambra, sandalia curiosa, sudaria lineas subtilia &c. aut pecuniam numeratam?

An Frater ille habeat Consanguineos, aut Amicos diuites, à quibus possit prædicta habere?

An habeat amicitiam cum aliqua Muliere malæ famæ paupere, aut non multum diuite?

An sciat Fr. N. dedisse aliqua munera huic Mulieri quæ, & quandò?

Quomodo sciat, aut à quibus audierit prædicta?

An frequentet domum illius Mulieris, cum admiratione, & scandalo Fratrum, & Sæcularium?

Quomodo hoc sciat?

An fuerit correctus à Superioribus de tali fræquentia, pœnitentiatus, aut monitus, quomodo, quando, & à quibus?

An postquam commissum est tale Furtum sciat Fratrem N. aliquid portasse, aut per Tertiarium, siue alios Fratres misisse aliquam sportam, siue peram, siue inuolucrum confutum (itâ vt portantes videre non possent id, quod portabant,) extra Conuentum ad aliquem, & ad quem & quando, & per quos Fratres, & quomodo hoc sciat, aut quibus audierit?

An ipse Testis fuerit Socius Fratris N. quandò iuit ad domum illius Mulieris, quoties, & quandò fuerit; & quid ibi viderit?

An sciat Fratres, qui aliàs fuerunt Socij eius, dum iuit ad talem Mulierem, & quinam fuerint?

An audierit illos Fratres murmurasse de aliqua actione talis Fratris, quam ibi viderint?

An Fr. N. quem suspicatur furatum fuisse sit vorax, gulosus, non contentus communis victus, & potus, sed comedere in camera solitus sit pullos, capones, perdices, turdos, & alia comestibilia pretiosa, vinaque generosa, vt Hispanicum, Cretense, Hungaricum, Rhenanum &c.

& quomodo hoc sciat?

An sciat quis nam tales cibos ipse emat, mittat, portet &c.?

An sciat F. N. tenere pecuniam depositam apud aliquem, aut aliquos, & quos, & quomodo sciat?

Si Furtum factum fuerit absque fractura, sed clauibus adulterinis, siue alijs instrumentis; siue ingrediendo per fenestra &c.

An sciat, vel audierit Fr. N. habere penès se, aut quæsiuissè à Fabro ferrario commodatas claues veteres, aut instrumenta idonea ad aperiendas feras, quæ dicuntur Italicè *Grimaldelli*; Germanicè *Grumb eüssen*; Hispanicè *Gançuas*, & Gallicè *Rossignols*?

An ipse F. N. teneat in camera limas, forcipes, incudem, & alia instrumenta fabrilia, & laborare claues sciat; & quomodo Testis sciat hoc?

An post Furtum secutum ipse Fr. N. visus sit ultra solitum conturbatus, & taciturnus, & fugere conuersationes Fratrum, maximè, quandò loquebantur de tali Furto?

An possit Testis imaginari causam talis mutationis in illo, & illam dicat?

An cæteri Fratres talem mutationem vultus, & fugam à Fratribus obseruaerint in Fr. N. & super hoc inter se locuti sint, & vbi, & quando, & quibus præsentibus? &c.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. vt sup. nu. XIII.

XXII. Forma examinandi Testes in Causa Libelli Famosi affixi, siue dispersi, vt vulgaretur.

Vocatus fuit &c. vt supra num. X. & præmissis interrogationibus generalibus, vt supra num. XIX. possunt fieri interrogationes super inimicitia posita infra numero XXXVII. in principio, tales enim compositiones Infamatoriae non possunt fieri nisi ab inimicis. Iudex autem in hoc casu debet benè ponderare qualitatem Libelli, scilicet an sit compositus ingeniosè, soluta oratione, vel versu, cum argutijs, salibus, seruata lege orthographiae &c. an potius sit compositio insulsa, simpliciter mordax, hoc est sine acutiè ingenij, referta probris, impurisque scommatibus &c. plena barbarismis in verbis, aut in scriptura, quandoquidem expræst, aut contextu sensuum, potest venari plus

ri, plus minus, Compositor; Scriptura enim potest, ex instituto Compositoris affectari, ut videatur composita ab ignaro; sed si ingeniosus est, in sensu verborum, aliquid acuminis semper apparet; & in hoc casu maxime sagax debet esse Iudex, ut ex indicijs coniectetur Compositorem. Factis ergo interrogationibus de inimicitia infamati per Libellum, ut supra dictum est, possunt fieri, ex contextu Libelli, sequentes interrogationes.

An illud, quod in Libello diuulgatur in infamiam eius, contra quem compositus est Libellus, esset publicum antequam vulgaretur Libellus, an verò à paucis sciretur; & à quibus; & quomodo hoc sciat?

An illi qui sciebant illud, omnes sint Amici Infamati, an inter eos sit aliquis, qui si non inimicus formalis, saltem non multum æquo animo sit erga illum?

An audierit hunc aliquando, siuè sepe, murmurasse de illa infamia, quæ continetur in Libello?

An iste sit mordax, & satyricus in sermone; aut aliquam cantiunculam, siuè dicterium in derisionem, siuè contumeliam alterius Fratris scripserit; siuè orationem recitauerit?

An delectetur narrare huiusmodi epitheses, (Pasquinata) alias factas à se, vel ab alijs contra alios Sæculares, seu Religiosos?

An iste sciat, aut solitus sit componere carmina, siuè rithmos?

An audierit hunc præcæteris Fratribus loqui de Libello famoso, de quo agitur, ipsum, siuè Auctorem eius laudare, aut alijs recitare præcisè verba Libelli, quæ ab alijs non perfectè sciuntur?

Et quandò, & quoties, & vbi, & coràm quibus audierit?

An sciat quisnam communiter apud Fratres existimetur Auctor talis Libelli, & quomodo sciat, & à quibus audierit?

An notitiam habeat characterum fratrum illius Conuentus, & specialiter illius Fratris, quem suspicatur Authorem illius Libelli?

An inter alias Scripturas cognosceret Scripturam illius Fratris?

Et si essent, debet Iudex illi ostendere quatuor, aut sex copias illius Libelli scriptas in charta (quantum fieri poterit equali, & simili,) à diuersis Scriptoribus, & inter eas poni Libellus originalis, & iubere, ut accuratè illas Scripturas videat, & recognoscat, & dicat quenam sit illa, quæ est scripta

à Fr. N. Porro potest hic actus describi, ut infra.

Tunc A. R. P. Prouincialis portare coràm illo fecit sex copias prædicti Libelli scriptas à diuersis, & inter eas positus etià erat Libellus ipse originalis, & iussit ipsi Testi, ut accuratè legeret, & obseruaret omnes illas copias. Quod cum fecisset, sæpius legendo, & relegendo modo vnam, modo aliam fuit.

Interrogatus. An inter illas Scripturas reperiatur aliqua scripta manu, & characteribus prædicti Fr. N.

Quomodo hoc sciat?

Et dictum ei fuit, ut manibus suis illam extrahat, & separet à cæteris, & coràm eodem A. R. P. statuatur. Et ipse manibus suis extraxit, & porrexit eidem A. R. P. vnam ex præfatis Scripturis, & dixit. Hæc est Scriptura; quam dixi exaratam manu Fr. N., est enim simillima alijs Scripturis factis ab eodem, mihi benè cognitis, cum eius manus sit mihi bene nota.

Hic Aduertendum, quod si Testis non presentat originale Libelli famosi (quod supponimus iam esse in actis, cum sit Corpus Delicti, de quo antecederet debet constare, (ut dictum est aliàs) non est curandum de eius testimonio, quia nihil concludit. Si autem presentat verum originale, debet scribi, ut equitur.

Scriptura autem illa est idemmet Libellus famosus originalis, qui in Actis insertus fuit, ut supra &c. & ad mandatum A. R. P. fuit cum alijs sex copijs oblatus prædicto Testi, ut dictum est. Et idem A. R. P. iussit, ut denuò inter Acta, suo loco, reponeretur.

Interrogatus. An alijs sint, qui notam habeant manum dicti Fr. N. & quanam sint?

An amore, aut odio deposuerit?

An habeat aliquod aliud super tali facto deponendum? &c.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis, ut supra numero XIII.

Quod si primus Testis deponit Libellum esse de manu alicuius, & reuera, ex sibi præsentatis à Iudice eligit originale Corpus Delicti, facto comprobatur cognitionem, quam asserit de nota manu, & potest Iudex deuenire ad examen aliorum, qui nominati sunt à primo Teste. Porro examen illorum potest esse, sicut quando examinatur aliquis in Inquisitione in specie, aut in Accusatione super Scriptura

scriptura, & Nos dicemus infra n. XXIX.
Videatur ibi.

A D N O T A T I O.

XXIII. Aduertendum, quod ultra Scripturam, possunt etiam alio modo ad iniuriam alicuius affigi ad eius cameram, siue alibi symbola infamatoria, siue pictura obscena, siue alio modo alicui iniuriose, ut affigere cornua postibus alicuius Viri, seu Mulieris honoratæ, stercorare ianuam; cornua brutorum, maxime Caprarum, projicere ante ianuam domus; effigiem Iniuriati, cornibus ad eius caput, deturpatam, penicillo, hematite, seu calamo pingere &c. Omnia hæc possunt esse manifesta ignoto Auctore. Tali casu possunt bene quadrare interrogatoria generalia, & etiam de inimicitia, sed non illa, quæ concernunt scripturam, & Nos supra dedimus. Oportet tunc ab alijs accidentibus loci, modi, occasionis, personarum, & accidentium præteritorum, inter Infamatum, & alios, venari indicia; neque enim de omnibus vniuersaliter interrogatorijs, quæ fieri possunt, Iudicem informare valemus, sed ex supradictis debet ex se formare ea, quæ magis ad rem expedire iudicauerit. Possunt pariter alia corpora Delicti diuersa à supradictis, ignoto Auctore, esse manifesta: ut succisio arborum fructiferarum, siue ad decorem; incendium alicuius Rei mobilis, siue immobilis; destructio alicuius fabricæ inceptæ; laceratio, siue deturpatio Imaginum Sacrarum, vel non &c. In his, & similibus conuenit Iudici sagaci, bene pensatis omnibus circumstantijs facti, excogitare interrogatoria ad rem facientia, & ad indicia eruenda: de omnibus enim exemplum dare impossibile est. Aduertant tamen bene Iudices, quod si contra res sacras esset facta iniuria, utpotè si esset truncatum brachium, caput, aut crus alicui statuae Christi, vel Sanctorum; deturpata, siue fracta tabula Altaris, siue alterius sacrae Imaginis; usurpata verba Sacrae Scripturae in Libello infamatorio, aut obsceno &c. visitato corpore Delicti, debet Iudex leuare manum à Processu, & de eo informare Sacrum Fidei Tribunal, (ad quod spectat priuatiuè Causa,) donec Inquisitor det facultatem, ut in foro Regulari procedatur.

XXIV. Forma concedendi impunitatem.

Accidit aliquandò, quod nullum potest haberi indicium, nec proximum, nec remotum, Criminosi; delicto alioquin grauissimo patente, ob quod maximum damnum potest euenire Religioni. Tali casu, potest Prouincialis, cum Diffinitorio, vel etiam Prouincialis solus (si periculum est in mora) impunitatem concedere Reo alicui, ut Coreos reuellet, dummodò nomine Generalis hoc faciat, ut diximus Par. I. Tit. Reus. num. 78. & seqq. pag. 686. Forma vero est, ut sequitur.

Fr. N. Ord. Minorum &c. Prouinciæ N. Minister Prouincialis, & Seruus, Dilectis plurimùm in Christo Patribus, & Fratribus prædictæ Prouinciæ, salutem &c.

Cum in nostro Conuentu N. maximum furtum fuerit commissum, & asportata vasa argentea, gemmæ, pecunia &c. Illustrissimi D. N. qui ea deposuerat, in quadam camera Conuentus, cuius clavis asseruatur à prædicto Domino; periculumque maximum imminet toti Ordini, si tale Furtum diulgabitur, & res furatæ non recuperentur, & ad hunc effectum Monitorium publicauerimus; ut qui informatus aliquo modo esset de Furto, & Fure, seu Furibus, reuelaret illos, & nemine comparente; fulminauerimus anathema contra Auctores, Complices, & Conscios tam enormis criminis non reuelantes; nec tamen per hoc aliquod, nec minimum, indicium circa prædicta habere potuerimus; considerauimus hoc euenire, eo quia conscij de tali delicto sint soli Complices, qui, metu pœnarum, seipfos prodere noluerunt. Ut ergo à tali timore soluantur, & consequenter securi à pœnis reuelare valeant, vbi reperiantur res furatæ, & Delinquentes, decreuimus nomine, & autoritate Reuerendissimi P. Ministri Generalis, ex ipsius licentia à Nobis præsumpta, impunitatem primo reuelanti concedere. Harum ergo serie Vobis omnibus, & vestrum singulis significamus publicamque Religiosam fidem spondemus, quod si aliquis iuridicè, & in forma probante, reuelauerit, vbi reperiantur res furatæ, ad effectum eas recuperandi, saltem in parte; & qui, & quot fuerint Fures; eosque in manus Curia nostræ, si nostri sint Subditi, peruenire fa-

faciet, ille, quantumvis Complex quoquo- modo fuerit in prædicto crimine (dummodo non fuerit principalis principalissimus) pro tali delicto, vllam prorsus pœnam, nec ordinariam, nec extraordinariam non subibit. Quod si post harum publicationem, vt præfertur, aliquis comparuerit, sed ante eius reuelationem Delinquentes, seu Delinquens fugam arripuerit, facta reuelatio, vtpotè facta cum dolo, & præmonitione insinuata Reo, vt fugeret, non suffragabit, ad consequendam supradictam impunitatem. Volumus autem, quod præsentēs literæ in singulis Conuentibus Capitulariter legantur, & earum exemplar ad valuas interiores Refectorij affigantur, vt omnibus pateant, & possint Complices delicti memorati; animari ad reuelandum, & suæ indemnitati prospiciendum. Dat. &c.

Ego N. Minister.

Locus † sigilli.

Ego N. Actuarius.

Prædictæ literæ scribi debent in lingua vernacula, vt etiam à rudibus possint intelligi, & publicari per omnes Conuentus Provinciæ, sicut legi solent aliæ literæ Circulares, & etiam in Processu registrari.

XXV. Forma examinandi Testes, quandò delictum est notorium, seu probatum; & Delinquens extraiudicialiter scitur.

Antequam in hoc casu examinentur Testes de visu, optimum est examinare aliquem de auditu, qui iudicialiter deponat, quinam fuerint præsentēs Delicto; hoc enim modo securior via sternitur Iudici ad examinandos Testes de visu, cum iam remaneant indiciatis, in Iudicio, quod fuerint præsentēs delicto.

Vocatus fuit &c. vt sup. num. X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conuentu habitet de Familia. & quod Officium habeat?

Qui sint Fratres in eodem Conuentu habitantes?

An audierit aliquod inconueniens, delictum, aut scandalum fuisse commissum?

A quibus, quandò, & quo loco, &

quibus præsentibus, & qua occasione audierit?

Quidnam sibi narrauerint?

An sciat quinam præsentēs delicto fuerint?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminatur examen per conclusiuam. Quibus habitis &c. vt sup. num. XIII.

Examinato vno, vel altero Teste de auditu, examinandi sunt Testes de visu, vt sequitur.

Vocatus fuit &c. vt sup. num. X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conuentu maneat de Familia?

Vbi erat die tali &c.?

An sciat tali die aliquod scandalum, aut delictum fuisse commissum, & dicat quid, & à quo, & quomodo, & vbi, & quibus præsentibus fuerit commissum?

Si agatur de percussione, vulneratione, aut occisione, siue mutilatione, interrogetur.

An sciat causam, ob quam iurgatus est Fr. N. contra Fr. N.?

Quæ verba dixerit vnum contra alium?

Quisnam fuerit prouocator?

Quis insurrexit prior aduersus aliū?

An ambo essent armati, & quibus armis?

An ex occasione rixæ acceperint lapides, ferrum, lignum &c.?

An viderit quandò vnus alium vulnerauit?

Quo instrumento vulnerauerit?

In qua parte corporis vulnerauerit?

Quot ictibus vulnerauerit?

An punctim, an cæsim, aut quomodo?

An cognosceret cultrum, ferrum, lignum, lapidem &c. quo vulnerauit, siue percussit?

An sciat vbi reperiaturo modo tale instrumentum?

Si affirmat, subsequatur.

Tunc A.R.P. iussit prædicto Testi, vt instrumentum illud perquireret, & coram se afferet; qui promptè obediens iuit ad illud sumendum, & reuersus præsentauit illi cultellum tantæ latitudinis &c. tantæ longitudinis &c. acutum, & affilatum &c. habentem manubrium &c. tintum sanguinem &c. siue baculum &c. siue pugionem, stilum, lanceam, baculum,

lum, saxum &c. & describantur omnes particularitates talis instrumenti exactè, & dixit, hoc est instrumentum, quo armatus dictus Fr.N. percussit Fr.N., prout deposuit.

Interrogatus. Vbi nam asservabatur tale instrumentum?

Quo modò sciat esse illud præcisè, & non aliud simile sibi?

An sciat quid postea secutum sit?

Quinam alij fuerint præsentès tali factò?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut supra num. XIII.*

ADNOTATIO.

XXVI. *Aduertendum, quod plerique Criminalistæ in eorum Formularijs tradunt, quod si in iudicio præsentetur cultellus, stilius, siue pugio, quo aliquis fuit vulneratus, debet delineari in Processu quantum fieri potest, addendo, seu coniungendo chartam folio Processus, si instrumentum non poterit unica pagina comprehendi. Sed hæc est scrupulosa solemnitas, quæ si non seruetur processum minimè vitiat. Concedo quidem, quod præsentatio instrumenti, quo maleficcium, fuit perpetratum, facta in iudicio, valde confert ad mouendum Reum ad confessionem, ut suo loco dicemus; & ideo, si habetur, debet Iudici præsentari, & omnis eius circumstantia describi, ut constet de eius identitate: Sed ad quid eius delineatio in processu, cum, ea constante, adhuc posset mutari vnum in aliud instrumentum, seruata eadem forma, latitudine, & longitudine, quæ sola possunt per lineas representari? Quid si Delinquens nullum instrumentum reliquit, quod in iudicio præsentari possit; aut ille usus est lancea, bidente, ligone, bipalio, aut veñte, sex, vel octo pedum longitudinis, fortè hæc essent etiam ipsa delineanda, sub nullitate processus? Minimè. Quare ergo delineandus cultellus, stilius, pugio, aliaque arma breuia? Certè nulla est lex, quæ necessitatem de hoc imponat. Siuè ergo fiat delineatio, siuè non, processus minimè reddetur vitiatus.*

XXVII. *Forma examinandi Testes super Furto, quando Delinquens est indiciatus.*

Vocatus fuit &c. *ut sup. num. X.*

Interrog. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conuentu habitet de Familia; & in quo Officio?

Qui sint Fratres secum commemorantes?

Tali tempore, in quo loco reperiebatur ipse Testis?

An tali tempore commissum sit aliquod delictum in Conuentu?

Quale delictum fuerit commissum, & à quo?

Quomodo hoc sciat?

An sciat res furatas?

An ipsas cognosceret?

Si affirmat, debet fieri recognitio, ut sequitur.

Tunc A. R. P. iussit afferri res, quæ fuerunt sublatae à Sacristia, Refectorio, Coquina; siue Cella alicuius Fratris &c. de quibus supra in Actis &c. & ipsis positis coram prædicto Teste dictum ei fuit, ut eas singillatim recognosceret, qui benè ipsis obseruatis dixit, optimè ego cognosco hoc, & hoc &c. quia sæpius hoc, & hoc vidi in Sacristia, Coquina, Cella &c. & hoc etiam vidi in cella Fratris N. qui illud in vsu habebat, & cum reperta sint hæc omnia abscondita à Fr. N. in cella sua, siue alibi dico, quod omnia hæc ab ipso furata sunt.

Interrogatus. Quomodo assèrat has res fuisse ab illo surreptas?

An omnia hæc potuerint vnica vice auferri à prædicto Fr. N. in illo inuolucro, quod Testis dixit vidisse asportari à Fr. N. à Sacristia, Coquina, Cella &c.?

Si erat de nocte, prout dixit ipse Testis, & quomodo potuit illud videre?

In quo loco erat ipse Testis, dum eum vidit?

An sciat Fr. N. fuisse visum ab alio, à quo, & quo loco?

Quomodo sciat?

Si res furatae non fuerint inuenta, & Testis dixerit se vidisse Furem quando surripuit.

Interrogetur. Quando vidit Furem asportantem Furtum, an viderit pariter, vbi ipsum abscondit?

An Fur exierit à Conuentu post Furtum, & cum quo Fratre, & quo iuit?

An viderit ipsum exeuntem?

An haberet tunc mantellum, aut sportam plenam subtus mantellum?

An Fr. N. habeat amicitiam suspectam cum aliqua Muliere paupere, & male famæ, ipsius domum frequentet; dederit illi dona; & quæ, & quomodo hoc sciat, & à quibus, & quando, & qua occasione audierit &c.?

An Fr. N. habeat Consanguineos pauperes; si ipsis vnquam aliquid dederit; & quid, & quando, & quomodo sciat; vel à quo, vel à quibus audierit?

An sciat Fr. N. vendidisse aliquid alicui de rebus, quæ furatæ fuerunt; aut ab alijs audiuit, & à quibus, & quomodo?

An Fr. N. habeat res pretiosas, & curiosas, vt iocalia muliebria; Coronas, Medaleas &c. sandalia, sudaria subtilia, strophiola serica &c. vel solitus sit in camera comedere cibos pretiosos, vna generosa &c.?

An ista potuerint sibi dari ab Amicis diuitibus, seu Consanguineis suis; & quare non?

De causa scientiæ omnium prædictorum?

An sciat, vel audierit Fr. N. tenere pecuniam apud se, vel Syndicum Apostolicum, aut alium Sæcularem, & per eos sibi comparari fecisse prædicta, de quibus deponit?

Quomodo, vel quando audierit?

Cuius famæ sit Fr. N. prædictus?

Quinam possint esse Contestes de supradictis?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminetur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. sup. num. XIII.

XXVIII. Forma examinandi Testes de Libello famoso affixo, seu disperso, quando Delinquens est indicatus.

Vocatus fuit &c. vt sup. num. 10.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Vbi habitet de Familia; à quo tempore; in quo Officio; & qui sint Fratres secum cohabitantes?

An audiuerit, seu viderit aliquam Religiosam, vel Sæcularem personam, fuisse cum scandalo infamatam; & quomodo sciat, aut à quibus, qua occasione, vbi, coram quibus, & quando audierit?

An viderit Libellum affixum; cornua pendentia à postibus, siue sparsa antè ianuam; seu ostium stercoratum &c.?

An sciat quisnam Libellum affixerit, composuerit, scripserit, disperferit?

Si dicit se vidisse illum, qui affixit, & vbi, & quando, & quomodo, habemus intentum. Si dicit vidisse Libellum affixum, sed nescire quis affixerit, sed vidisse Caium, qui illum scribebat.

Interrogetur. An legerit, aut legi audierat Scripturam, quam faciebat Caius; & quid continebat, & vbi, & quando, & coram quibus, & qua occasione legit, aut legi audiuit?

An si sibi ostenderetur Scriptura Caij, illam recognosceret?

Dicat à quo nam signo recognosceret; & describat quantum possit exactius chartam (& eius circumstantias) scriptam à Caio?

Si dicit se esse cogniturum à circumstantijs, quas asseruit; iubeat Iudex, vt producatur Libellus, qui iam supponitur esse in Actis, & fiat recognitio à Teste, & ita describatur.

Tunc A.R.P. iussit mihi Actuaria, vt ostenderem prædicto Testi Libellum famosum præinsertum in Actis, vt supra &c. Quo viso dixit idem Testis, ista est Scriptura eadem, quæ facta fuit à Caio.

Interrogatus de causa, & causis quare asserat esse eandem Scripturam, non verò aliam sibi similem &c.?

Si dicit se esse cogniturum, quia notam habet manum Caij; Iudex, ad se certificandum de hoc, debet aliquas copias Libelli scriptas à diuersis habere, & simul cum illis ponere Libellum originalem, & coram Teste omnia statuere, & reliqua perficere sicut diximus supra nu. XXII. Quod si Testis extrahit Libellum originalem ex alijs copijs debet Iudex examen eius concludere per terminationem. Quibus habitis, vt sup. num. XIII. Excindè alios Testes examinare de nota manu, vt infra dicitur.

Si dicit se non vidisse affixum, sed alium similem vidisse in manu Seij antè, vel post affixionem, & illum legisse, aut legi auduisse.

Interrogetur. An sciat quid continebat Libellus, seu Scriptura, quàm vidit in manu Seij?

Quo loco, vbi, qua occasione; quomodo, & coram quibus ostendit, vel legit talem Scripturam?

An dixerit Seius, quisnam composuerit illam; quis scripserit; vel à quo habuerit?

An sciat causam, quare *Seius* illam sibi ostenderit?

An *Seius* illam alijs publicauerit, & quibus?

Præter supradictas interrogaciones quadrare possunt etiam ad intentum illæ, quas dedimus supra n. XXII. Et hoc relinquatur sagacitati Iudicis, vt indaget indicia concludentia Delinquentem; & terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. vt sup. num XIII.

XXIX. Forma examinandi Testes de nota manu Scriptoris in recognitione alicuius Scripturæ.

Vocatus fuit &c. vt sup. num. X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat Fr. N. & à quo tempore cognoscat?

An habeat secum familiaritatem, seu correspondentiam?

An aliqua negotia sibi inuicem, & reciprocè commiserint?

An viderit multoties Scripturas, siuè literas ipsius Fr. N.?

An aliquando; quoties; & à quo tempore ille literas ad se scripserit?

An aliquas literas ipsius apud se habeat.

Si habet iubeatur illas in iudicio sistere; & sic describatur.

Tunc A. R. P. iussit prædicto Testi, vt literas sibi scriptas à prædicto Fr. N. afferret, & in iudicio præsentaret. Qui promptè obediens perrexit in cellam, & attulit quatuor epistolas subsignatas nomine Fr. N. & prima erat sub dat. Romæ die &c. & incipit &c. & ponatur tenor initij epistolæ. Secunda erat sub dat. &c. tertia &c. & quarta &c. & dixit Testis prædictus istæ sunt Epistolæ ad Me missæ à Fr. N. supradicto.

Interrogatus. An sciat prædictas Epistolas fuisse scriptas à memorato Fr. N.?

Quomodo hoc sciat?

An cognosceret inter diuersas scripturas manum, & characteres prædicti Fr. N.

Tunc A. R. P. iussit, vt afferentur multæ Epistolæ ad se scriptæ à diuersis, inter quas erat vna scripta à præfato Fr. N. siuè alia folia, siuè conciones, siuè aliæ scripturæ &c. & posuit ante prædictum Testem, ut tamè, vt non viderentur subsignatio-

nes, aut nomina eorum, qui Epistolas scripserunt; & ei dixit, vt seligeret Scripturam exaratam à Fr. N. prædicto; qui extrahens vnum folium &c. dixit, hoc est scriptum à Fr. N.

Si Testis aliud folium extrahit, non scriptum ab eo, quem ipse dicit, non curetur de eius testimonio. Et concludatur examen hoc modo.

Et cum præsentasset A. R. Patri Epistolam, quæ non erat scripta à Fr. N. supra dicto, sed à Fr. N. vt ostendit ex subsignatione ad calcem Epistolæ, cernens A. R. P. illius testimonium nihil concludere, ex imperitia manus Fr. N. supradicti, post lecturam sui examinis sibi factam, ipsum dimisit. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Testis affirmo vt supra

Ego N. Minister,

Ego N. Actuarius.

Si verò extrahit Epistolam, siuè Scripturam, exaratam manu eius quem ipse dixit; debet ab eo fieri recognitio Libelli famosi existentis in Actis. Et licet optimum esset multas copias diuersis characteribus exaratas habere, & inter eas inserere etiam Libellum originale, prout diximus supra nu. XXII. tamen hoc non est necessarium, cum iam Testis fecerit periculum de nota manu, vt dictum est. Debet ergo sibi ostendi Libellus, vt sequitur.

Tunc A. R. P. iussit, vt per Me Actuarium ostenderetur Libellus præinsertus in Actis, vt supra dictum fuit; quem cum attentè legisset, & accuratè obseruasset, fuit.

Interrogatus. Quid sibi videtur de illo Libello, & à quo iudicet esse scriptum?

Quarè ita iudicet?

An amore, aut odio deposuerit.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis, &c. vt sup. nu. XIII.

XXX. Forma examinandi Peritos circa Scripturam aliquam per comparationem literarum.

Recognitio scripturæ alicuius per Testes de nota manu, licet ab Auctoribus approbetur, tamen rerum magistra experientia docet, non multum illi esse fidendum; ita enim in malo profecit humana peruersitas, vt subtilissimo inuento ab aliquibus excogitata sit

fit ars, per quam ità imitari perfectè possunt characteres alieni, ut decipi possint etiam ij, quorum scriptura adulterata fuit, & in facti contingentia hoc vidi, ut recitauimus Par.I. Possunt ergo à fortiori decipi etiam Testes de nota manu; vnde imbecillis est reputanda eorum probatio. Maius habet fundamentum recognitio, quæ fit per comparationem manuum, sit a tamen rectè, & à verè Peritis fiat. Ad hanc verò necessarium est, quod in iudicio constet de Scriptura certa, cum qua debet fieri comparatio; Item quod Periti sint non Pictores, Delineatores, siue Architecti, aut Notarij; sed Magistri, qui scribere doceant, istorum enim propria est ars cognoscendi literarum, formam, & qualitatem characterum; ideam Scribentis, & etiam à Scriptura cognoscere, quomodò aptatus fuerit calamus, quo fuit facta Scriptura, puta an quadratè, an acutè &c. Tandem debent considerare Scripturam vtendo myoscopio, seu magna lente crystallina vtrinque conuexa, quæ res minutas ad visum notabiliter auget, ut facillè tunc sit, minutas alterationes, & varietates, quæ sunt in characteribus, animaduertere, quæ absque ope tali discerni nequeunt. Hoc vidi practicum in quadam Causa, in qua agebatur de quadam Epistola infamatoria, quæ dicebatur scripta à quodam Viro graui contra quendam Principem. Adhibiti ad recognitionem fuere Testes de nota manu, qui affirmarunt, esse scriptam manu illius, qui erat inquisitus. Vltra hos, pro Fisco, adhibiti fuere duo Copistæ, pro recognitione per confrontationem manuum; qui etiam ipsi idem affirmarunt. Sed isti egregiè fuere reprobatii per Reum prætentum in suis defensionibus. Iste siquidem adhibuit duos Magistros scripturæ excellentissimos. Isti ligaturam literarum variatam à vera, & genuina scriptura; sex literas specificè distinctas in totum dissimiles; obliquitatem linearum in Scriptura vera oppositam earundem rectitudini in Epistola illa obseruarunt, & ad oculum Fiscali, & Iudici demonstrarunt. Exindè sumpta magna lente crystallina obseruarunt Scripturam genuinam, & viderunt omnes characterum ductiones, (vt potè factas à calamo, qui prægnans atramento ipsum æqualiter, & abundè reddebat) esse æqualis crassitie, & manu expedita, & veloci formatas; in Epistola verò falsificata conspicuè apparebat inequalitas crassitie; modò abundantia modo defectus atramenti in eadem litera, & ductus characterum non veloci, & cum

Pars II.

libertate ducto calamo factus, sed pigro, & nutanti, ob necessitatem imitationis: & quod plus est, in quibusdam flexionibus characterum, vbi calamus pressus maius reddit atramentum, & latior euadit ductus, deprehenderunt latitudinem illam non esse factam à calamo æqualiter encaustum redidente, sed à pennicillo, qui talem æqualitatem reddere non valet. Et tandem monstrarunt nonnullos characteres ostendere aliquam sui partem formatam nigra hematize (vulgò lapis,) quæ antèquam obducti atramento essent, characteres erant figurati, & Falsarius partem illam non bene atramento obduccerat. Et hæc omnia absque lentè prædicta obseruari non poterant. Et sic Epistola fuit pronunciata falsificata.

In facti ergo contingentia Iudex accuratè suprædicta omnia seruet, nè, cum violatione iustitiæ, lædat proximum, ac animam suam; potest verò describi totum, vt sequitur.

Consequenter A. R. P. Prouincialis conquiri fecit per Me Actuarium apud diuersos Fratres, qui communicationem per literas habent cum prædicto Fr.N., an haberent apud se aliquas epistolas ad se scriptas à memorato Fr.N. Et reperti sunt nonnulli, nempè PP. NN. & N. Ad mandatum ergo eiusdem A. R. P. Ministri comparuit P. N. Prædicator &c. qui præsentauit vniam, siue duas epistolas &c. & sibi dato iuramento de veritate, prout iurauit &c. fuit

Interrogatus. A quo acceperit illas Epistolas?

An sciat à quo fuerint scriptæ?

Cuius manu fuerint exaratae?

Quomodò hoc sciat &c.?

Tunc A. R. P. iussit, vt prædictæ Epistolæ reciperentur inter Acta, & prima sub dat. Tusculi &c. die &c. incipit &c. & definit &c. Et ponatur tenor. Secunda sub data Romæ &c. die &c. incipit &c. & definit &c. Et ponatur pariter tenor, & sunt signatae numero, siue litera &c. & lecto sibi suo examine, cui noluit addere, aut minuere, dimissus est saluo &c. Acta sunt hæc Die Mensè &c.

Ego Fr.N. præsentauit, & affirmo, vt supra.

Ego Fr.N. Minister.

Ego F.N. Actuarium.

Simili modo describi debent comparationes aliorum Testium; presentatio Epistolarum;

larum; earundem receptio inter Acta, cum descriptione data, inijt, & finis illarum, & examine Testium, vt suprà dictum est. Vocari ex post debent Periti, & fieri confrontatio, & describi, vt sequitur.

Constituto eidem A.R.P. de certitudine Epistolarum, de quibus suprà, quod essent scriptæ à supràdicto Fr. N. decreuit A.R.P., prout præsentì Decreto decernit, quod per Peritos idoneos fiat recognitio præinferti Libelli, facta cõparatione eiusdem cum supra memoratis Epistolis. Proindè habita prius licentia à D.Prætore (vt constat ex memoriali ad se dato, & decretato) eos iuridicè interrogandi; coram se vocare fecit DD.N.& N. qui sunt publici Magistri scripturæ habitantes &c.& coram illis produci fecit Libellum, & scripturas, siuè epistolas memoratas, & rogauit, vt accuratè, attentè, & diligentissimè illas scripturas examinarent, & obseruarent, an essent scriptæ vna, & eadem manu. Et iudicium suum scripto referrent. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Consequenter comparuerunt DD.N. & N. coram A. R. P. Ministro relationem super recognitione scripturarum sibi demandata præsentaturi; & sibi dato iuramento, prout iurarunt tæst.&c. præsentarunt eidem A. R. P. Ministro iudicium suum in scriptis, dicentes se accuratè obseruasse, & sillabatim examinasse iuxta principia artis suæ illas scripturas, & suum ipsorum iudicium fecisse, prout continetur in illo scripto, quod in Actis præsentant, & incipit &c. & desinit &c. Et ponatur tenor &c.

Iudex debet per Actuarium coram Peritis legi facere iudicium ipsorum, & si in eo Periti recitent diligentiam adhibitam, & modos seruatos in obseruatione, vt paulò suprà diximus, & reddant causas, seu principia Artis suæ allegent, ob quæ iudicant, Iudex potest eos licentiare, & Actum terminare, vt sequitur.

Et lecto per Me Actuarium, ad mandatum eiusdem A. R. P. Ministri, prædicto iudicio, ipsis gratias egit, & eos dimisit. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Peritus affirmo, vt supra.

Ego N. Peritus affirmo &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

Si vero Periti in scriptura rationem sui dicti non assignant, debet Iudex quemlibet illorum examinare, prout sequitur.

Et lecto per Me Actuarium ad mandatum eiusdem A. R. P. Ministri prædicto iudicio, cum necessarium existimasset illos examinare ad effectum se plenius informandi, iussit D.N. Perito, vt dignaretur per parum temporis exire è camera illa, donec vocaretur. Qui exiit continuò; & A.R.P.D.N. Peritum, qui remanserat.

Interrogauit. Quam diligentiam fecerit in obseruatione memoratarum scripturarum?

Quare iudicet talem Libellum esse, vel non esse scriptum eadem manu cum epistolis?

An secundum principia Artis suæ iudicet causas à se adductas realiter concludere prout ipse iudicauit?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminetur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. vt suprà n. XIII.

Ego N. Peritus affirmo, vt sup.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Et pari modo examinetur alius Peritus.

XXXI. Forma examinandi Testes in causa suspecti consortij.

Vocatus fuit &c. vt suprà num. X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conuentu habitet; in quo officio; à quo tempore, & qui sint Fratres secum habitantes?

An fuerit extra Conuentum cum Fr. N., quo tempore, & quoties?

Ad quas domos ierit, cum prædicto Fr. N.?

An vnquam, & quoties fuerit ad domum mulieris N.?

Cuius status, aut conditionis, & famæ sit talis Mulier; an Nupta, Vidua, seu Virgo?

Quot annorum plùs minùs?

An sit nobilis, an ordinariæ, an vilis conditionis?

An diues, an pauper?

An viuat de redditibus, aut labore suo, aut quomodo?

An vicinia habeat eam in existima-

tionem bonam, vel malam, & de causa talis estimationis?

De causa scientiæ omnium prædictorum?

Cuius conuersationis, & famæ sit Fr. N. supra dictus?

Quomodo hoc sciat?

An sciat, quid negotij haberet Fr. N. cum Muliere prædicta?

An signa benevolentiae insolita viderit inter eos?

An Fr. N. ostenderit aliqua signa particularis domesticitatis cum tali Muliere, & quæ?

An sequestrauerint aliquando se Fr. N. & Mulier à prædicto Teste, ita ut eos non possent videre?

Per quantum temporis manserunt sequestrati antequam redirent?

Vbi nam se retraxerunt?

Quid dixerunt ipsi Testi antequam se sequestrarent?

Quando redierunt an essent colore in facie mutati, & quo modo?

Si sequestrati erant, sed in loco, ubi Testes eos poterat videre.

Interrogetur. Quinam erant gestus, motus corporis eorum, & præcipue oculorum, & quomodo situati erant?

An toties, quoties iuit ad illam domum, se pari modo sequestrauerint?

An Fr. N. dederit munera tali Mulieri, quæ, quoties, & quando, & quomodo hoc sciat?

An sciat illos inuicem ad se mittere literas, aut nuncios, & quid continebant, vel referebant literæ, seu nuncij, & de causa scientiæ?

An dicta Mulier frequenter veniat ad Conuentum, & vocare faciat prædictum Fr. N.?

Si sequestrata ab alijs secum loquatur in Ecclesia, Capella remota, siue in atrio Ecclesie, aut alibi, & quomodo hoc sciat?

An Fratres, seu Sæculares audierit murmurantes de tali familiaritate, frequentia, & amicitia; qui fuerint Fratres, vel Sæculares, à quibus audiuit; quid dixerint, vbi, quando, coram quibus; & quoties?

An sciat Fratrem, seu Sæcularem aliquem, seu aliquos, monuisse Fr. N. de tali amicitia?

An ex post refrænauerit se à tanta frequentia visitationum?

An ipse Testis correxerit Fr. N., vel Superiorem Localem monuerit de hoc?

An amore, vel odio deposuerit?

Qui sint Fratres, aut Sæculares, qui sint verosimiliter, vel certo, informati de depositis à se?

Quibus habitis &c. *ut sup. num. XIII.*

XXXII. Forma examinandi Testes in causa lapsus carnis opere consummati cum secunda persona.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num. X.*

Præmitti possunt interrogationes factæ supra num. XXXI. Tendunt enim ad eundem finem; & addi sequentes.

An Fr. N. cum Muliere N. sequestrauerint se ab ipso Teste?

In quem locum se retraxerunt?

An poterat illos videre?

An clauerint ostium post se, vel cortinam ostij expanderint, ne viderentur?

An ex curiositate ipsos, sine strepitu, secutus sit?

An per rimas ostij, vel parum diducta cortina ipsos viderit?

Quid facere eos vidit?

Si non potuit videre, quid audierit loquentes?

Quos sonos, aut strepitus audierit, seu voces?

Et in hoc sit Iudex diligens, ut Testis bene explicet omnes circumstantias, quas obseruauit, ut risus, suspiria, anhelitus, gemitus, strepitus ex concussione lecti, ex poppismatis &c. lamentationes &c. ista enim cum sint vehementissima indicia, concludunt delictum, cumalata cum cæteris.

Quando sunt reuerfi quales apparuerunt in vultu, & colore mutati, & quali?

An solus Fr. N. reuerfus sit, relicta sola muliere?

An reuera fit & illa secum, & quid dixerit?

An esset solito rubicundior; incomposito crine, rugosis vestibus &c.

Quo Die, & Mense fuit hoc?

An alij idem viderint, siue audierint?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut sup. num. XIII.*

XXXIII. Forma examinandi Testes in copula carnali attentata.

Vocatus fuit &c. vt supra numero X.
Interrogatus. An sciat causam suæ voca-
tionis?

Vbi habitet de familia; à quo tempo-
re; cum quibus; in quo Officio?

An extra Conuentum fuerit cum
Fr. N. quoties, & quando?

Tali die ad quas domos iuerunt.

In illa domo quæ mulieres habitent?

An omnes illæ sint honestæ famæ, &
quomodò sciat?

An vidisset illas omnes esse in domo,
an viderit tantum aliquam, & quam?

Cuius ætatis plus minus erat puella,
quam dixit vidisse?

An sciat illius nomen?

Cuius staturæ, capillorum, coloris,
faciei? &c.

*Et Iudex faciat exprimi à Teste omnes cir-
cumstantias corporales, ob quas illa potest
in individuo cognosci.*

An Fr. N. illam allocutus fuerit cor-
rà se Teste; quid illi dixerit; quid dederit?

Postquam Fr. N. illam abduxit in ca-
meram, siuè alium locum, an ipse Testis
ex curiositate clanculum post illos abierit,
& quid viderit?

Si non poterat videre; an saltem au-
dierit, quid dicerent, aut ex strepitu, vo-
ce, seu clamore potuit cognoscere, quid
facerent?

Quando audiuit puellam vociferan-
tem, an ipse Testis accurrerit; & quare
non?

An statim ad clamorem illum Fr. N.
sit reuersus ad Testem; & an esset turba-
tus; & quo vultu; an statim discesserit à
domo illa?

An ad clamorem vociferantis alij ac-
curerint, & qui?

An postquam discesserunt, ipse Te-
stis interrogauerit Fr. N. de Causa, cur
Puella clamauerit, & quid responderit
Fr. N.

*Prædictæ interrogationes possunt fieri
etiam si persona tentata fuerit honesta Vi-
dua, siue maritata, quæ delictum abnuerit.
Pariter etiam si Puella consensit in Stuprum,
sed, ex ætate nondum Viripotens, non potuit
ex dolore admittere congressum; & hoc etiam
schema interrogandi potest quadrare in cri-*

*mine nefando attentato, seu consummato;
faciendo tamen congruas interrogationes iux-
tà locorum, temporis, personarum, occasio-
nis, & cæterarum circumstantiarum exi-
gentiam; de quibus omnibus quadrantes, ad
singula facta, interrogationes extendere esset
impossibile, proinde Iudex, ex iam dictis, po-
terit ad rem necessarias interrogationes ex-
cogitare.*

Cuius famæ sit Fr. N.?

An aliàs fuerit de Carnis delicto pœ-
nitentiatus, seu monitus?

An amore, aut odio deposuerit?

*Et terminatur examen per conclusio-
nem. Quibus habitis &c. vt supra nume-
ro XIII.*

XXXIV. Forma examinandi Testes in Causa Conspirationis, siuè Coniura- tionis in Superiorem, siuè alium Reli- giosum.

Vocatus fuit &c. vt sup. num. X. In-
terrogatus. An sciat causam suæ voca-
tionis?

Vbi, & à quo tempore, & in quo Of-
ficio, habitet de familia?

Qui sint Fratres secum habitantes?

An audierit aliquem, vel aliquos
conquerentes de Superiore?

De qua re conquerebantur?

Vbi, quando, quoties, & coram qui-
bus audiuit?

Quæ verba dixerint in specie?

An ipse examinatus requisitus sit ab
ipsis, vt alicui memoriali subscriberet?

Qui nam fuerunt Requirentes?

Vbi, quando, & coram quibus, &
quoties, & quomodo requisierunt?

Quisnam eorum erat principalis, &
magis vrgebat, vt ipse subscriberet?

An legerit Memoriale, & quid conti-
nebat?

An alij, & qui, erant ibi subscripti?

Quare ipsi subscripserit?

An sciat causam, quare illi tale Me-
moriale formarint?

An sciat, vel coniectetur, quis fue-
rit Author talis Memorialis, & vt cæteri
subscriberent?

An sciant, illos in hoc conuenisse,
quomodo sciat, & vbi, & quando, & quo-
modo conuenerint?

An alij sint de hoc informati, & qui?
Et completur examen per conclusionem.

Qui-

Quibus habitis &c. ut sup. num. XIII.

XXXV. Forma examinandi Testes de Confessione extrajudiciali.

Vocatus fuit &c. ut supra num. X. Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat Fr. N.?

A quo tempore?

An sermonem secum habuerit?

Et ponatur Delictum, de cuius confessione extrajudiciali queritur.

Quo loco; quo tempore; qua occasione; quibus presentibus?

Quid dixit Fr. N. de tali Delicto; & quid sibi responsum fuerit à Teste, seu alio presente?

An dixerit causam, quare illud Delictum commisit?

An Fr. M. tunc esset ebrius, & non compos mentis; an tantum vino exhilaratus?

An solitus sit, se iactare de re, quam non fecit?

An de tali specie Delicti fuerit diffamatus, correctus, seu poenitentius alias?

An sub iuramento affirmaverit, se illud Delictum commisisse?

An ipse Testis, & cæteri, qui audierunt, crediderint, illum vera dixisse, & quare ita crediderint?

An amore, vel odio deposuerit?

Et completur examen per conclusionem.

Quibus habitis &c. ut supra num. XIII.

XXXVI. Forma examinandi Testes in Causa Apostasiæ.

Vocatus fuit &c. ut supra num. X. Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Vbi; cum quibus; à quo tempore; & in quo Officio habitet de familia?

An hoc tempore commissum fuisse aliquod Delictum ab aliquo sciat; & quod Delictum, & de causa scientiæ?

In quo loco ipse erat, quando vidit Fr. N. exeuntem de Conuentu?

Per quem locum exiuit?

Qua hora fuit?

Quid faciebat tunc in illo loco ipse Testis hora illa?

Si erat de nocte, quomodo poterat illum discernere?

An viderit, quando reuersus est in Conuentum?

An regressus sit per locum, per quem exiuit?

Quare non commonuit Superiorem, quando vidit illum exisse?

An sciat, alias exiisse tali pacto?

An sciat, ad quem finem exierit?

An talis Fr. N. habeat amicitias suspectas?

An sciat visum esse ab alijs Sæcularibus, seu Fratribus extra Conuentum, vel dum exiit, aut regressus est; & à quibus?

De causa scientiæ omnium supradictorum?

Cuius conuersationis, & famæ sit Fr. N.?

An amore, vel odio deposuerit. Et finitur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. ut sup. num. XIII.

XXXVII. Forma examinandi Testes de Inimicitia.

Quia inimicitia potest esse indicium delicti iam patrati, (ut de percussione, occisione, aut veneno dato, &c.) vel potest esse causa, ob quam repellatur Iudex Accusator, siue Testis à iudicio; diuerso modo debet fieri interrogatio pro primo, quam fiat pro secundo casu. Ad probandum ergo indicium inimicitiae, pro delicto secuto, potest fieri examen, ut sequitur.

Vocatus &c. ut supra num. X. Interrogat. An sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat P. Fr. N. & P. Fr. N.?

Et quo tempore, & an fuerit secum de familia?

An sciat, illos fuisse inter se amicos?

An ex post facti sint inimici?

An sciuerit, & quomodo, causam talis inimicitiae?

Quæ signa inimicitiae inter eos viderit?

An sciat fuisse ex post reconciliatos, & à quo tempore?

An sciat inimicitiam repullulasse, & ob quam causam, & quomodo sciat?

An sciat dictum P. Fr. N. fuisse rixatum cum dicto P. Fr. N. voluisse illum percutere, nisi fuisset impeditus; & illi fuisse minatum aliquo modo?

An dict. F. N. sit solitus minas exequi?

Qui-

Quomodo hoc sciat ?

An credat dictum P. Fr. N., ex tali inimicitia potuisse percutere vulnerare, occidere, venenare &c. dictum P. Fr. N. ?

Quare, & ex quibus indicijs, ita credit ?

An alij sciant ea, quæ deponit ipse, & qui nam sint de illis informati ?

Quis illorum duorum Fratrum sit magis amicus ipsius Testis ?

Et absolvitur examen per conclusionem
Quibus habitis, vt supra num. XIII.

XXXVIII. Forma examinandi Testes de Inimicitia ad effectum recusandi Iudicem, siuè excipiendi contra Accusatorem, Testes, Notarium, siuè alios qui possunt iudicio interuenire.

Vocatus fuit Fr. N. Testis productus, & exhibitus à Fr. N. Recufante, siuè Excipiente &c. &, dato sibi iuramento de veritate dicenda. prout iurauit tact. &c. fuit Interrogatus. An sciret se debere vocari ad examen ?

An quo sciuit ?

Quid ei dixerit Fr. N. ad cuius instantiam examinatur ?

An iste sit eius Amicus, & à quo tempore ?

Ad quem effectum dixerit se debere examinari ?

An ipse Testis libenter acceptauerit munus testificandi in hoc casu, an inuitus ?

Quare acceptauerit ?

An Fr. N. sibi dixerit, super quo debebat examinari ?

An cognoscat P. Fr. N. ?

Et à quo tempore ?

An ipse Testis sit Amicus, aut Inimicus illius ?

An sciat, & quomodo, inter Fr. N. Recufantem, & Fr. N. Recufatum vigere inimicitiam ; & à quo tempore ; & de causa huius inimicitia ?

An alij sint informati de tali inimicitia, & qui ?

An fuerint ex post reconciliati, & de nudo facti inimici, & vnde hoc sciat ?

Et completur examen per conclusionem
Quibus habitis &c. vt supra num. XIII.

XXXIX. Forma examinandi Testes super Amicitia, Familiaritate, Factione &c. alicuius cum Recufato, siue Excepto, vt Inimico.

Quia, vt diximus Part. prim. & habetur ex Textu Titul. de Test. §. I. excludi possunt à testificando, & consequenter etiam ab alijs Actibus iudicialibus Amici, Familiares Inimici capitalis, & etiam Factionarij ; damus Formulam, pro examinandis Testibus super tali Amicitia &c. que potest esse, vt sequitur.

Vocatus fuit &c. vt supra num. X. & fiant omnes interrogationes ibi positæ vsque ad illam. An cognoscat P. Fr. N. ?

Interrogatus. An cognoscat P.F.N. ?

Et exprimatur nomen eius, quem Excipiens, seu Recufans habet pro inimico ?

An iste sit Amicus, siue inimicus Recufantis, siuè Excipientis ?

Quomodo hoc sciat ?

An talis inimicitia sciatur à paucis ; à multis, vel publica sit ; & de causa dicti ?

An in Prouincia sint Partes, Diuisiones, Factiones &c. ?

An istæ Factiones sint ex adhærentia, vel ex nationalitate ?

Cuius Factionis sint Fr. N. Recufans, & P. Fr. N. quem dixit inimicum Recufantis ?

Quomodo sciat eos esse oppositæ Factionis, & de contestibus ?

An P.F.N. inimicus ? &c. Sit inter præcipuos suæ Factionis, & quare talis sit ?

An cognoscat Fr. N. ?

Et hic exprimatur nomen eius contra quem excipitur, siuè recufatur tanquam Amicus, seu Familiaris Inimici &c.

An sciat esse Amicum, vel aduersum Fr. N. Recufati, siuè Excepti ?

Quæ signa extraordinariæ Amicitia, seu Familiaritatis inter ipsos viderit ?

An talis Amicitia, siuè Familiaritas, sciatur ab alijs ; à quibus ; & an sit publica, seu notoria ?

An Fr. N. Recufatus &c. sit Amicus, aut Inimicus ipsius Testis ?

Cuius Factionis sit ipse Fr. N. Recufatus ? &c.

An credat ex tali Amicitia cum P. N., ipsum Recufatum, non esse processurum secundum rectitudinem Iustitiæ contr Fr. N. Recufantem ?

Quomo-

Quomodo hoc coniectetur, vel sciatur?
 Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. ut supra numero XIII.

XL. Forma examinandi Testes, quando presentantur ab Accusatore, Denunciatore, Exceptore &c. in iudicio.

Diximus supra Sect. II. num. XXVI. quod Accusator non tenetur in Libello Accusatorio exprimere nomina Testium, ob rationes dictas tum ibi, tum Part. prim. Tit. de Accusat., licet possit etiam in eodem Libello ipsos assignare. Casu ergo, quod illos in actu Accusationis non produxerit, debet Iudex Accusatorem citare ad illos assignandos, ut sequitur.

Cum intendat A. R. P. Minister &c. prout de iure procedere in causa Accusationis datae à Fr. N. contra Fr. N. de &c. Et hic exprimat Delictum, de quo fuit Accusatio &c. vocare fecit coram se Fr. N. Accusatorem, & illi præcepit, ut Testes legitimos produceret, ad probandum à se proposita in Libello Accusationis, sub pœnatalionis. Qui Accusator dixit, Separatum illos exhibere, sed ex iusto motu nolle nominare omnes, quos vult producere, sed vno examinato, alium exhibebit; & pro nunc producit P. Fr. N. ad probandum primum Articulum, siue &c. & ipso examinato, alios producet. Acta sunt hæc &c.

Fr. N. Accusator.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Vocatus ergo fuit &c. ut supra numero XXXVIII. & possunt præmitti interrogationes omnes ibi expressæ, usque ad illam, An cognoscat P. Fr. N. & eius loco debent fieri interrogationes, iuxta exigentiam Delicti, ut potè Furti, Fornicationis &c. quorum Formulas interrogandi supra dedimus, proprijs locis: & vno examinato citari, ut supra, Accusator debet, ut alios presentet, donec examinentur omnes, quos intendit presentare. Quod si aliquis Testis productus ab Accusatore, siue Exceptore, comparere, aut examinari renuat, (ut frequenter accidit, quando Accusatus est persona potens,) debet

Part II.

Iudex illum cogere, ut dicetur infra numero XLVIII. & seqq. Et si Testis renuens examinari protestatus sit Accusatori, quod si producet illu pro Teste, ipse in iudicio dicet contrarium veritati; & non faciet pro, sed contra Accusator e; iste potest comparere coram Iudice, & sibi dicta à tali Teste probare testimonio eorum, qui ita audierunt, & Iudex tenetur hos examinare, & cogere Testem renuentem: & si dicet, sicut protestatus est, poterit illum punire, ut dicemus infra num. LV I.

XLI. Forma tenenda ab Arbitris in examinandis Testibus à Recufante Iudicem productis.

Cum A. R. P. N. & R. P. N. Arbitri, ut supra electi vellent in causa enunciatae Recufationis, prout de iure, procedere vocari coram se fecerunt P. Fr. N. Recufantem, illique præceperunt, ut Testes examinandos produceret, super asserta causa Recufationis. Qui Recufator dixit, se paratum illos exhibere, sed ex iusto motu nolle, pro tunc, omnes illos nominare, quos intendit producere, sed vno examinato, alium exhibebit; & pro nunc producit P. Fr. N. Acta sunt hæc Die .. &c.

Ego Fr. N. Recufator.

Ego Fr. N. Arbitr. Ego Fr. N. Arbitr.

Ego N. Actuarius.

Vocatus ergo fuit coram supradictis P. P. Arbitris P. Fr. N. supradictis Testis à parte productus, qui monitus, & iuratus prout iuravit tact. &c. fuit interrogatus, &c. Porro interrogationes fieri debent iuxta exigentiam causæ Recufationis. Si enim est de inimicitia cum Recufante, utendum est datis supra num. XXXVIII. si verò de amicitia, cum Inimico Recufantis; utendum est datis numero XXXIX. si ex alia causa criminosa, faciendæ sunt interrogationes iuxta Formulas supra datas. Et concludi debet examen per solitam clausulam; Quibus habitis &c. ut supra numero XIII. mutatis mutandis, & vno examinato, debet citari Recufans, ad proponendum alium, & sic deinceps, donec omnes examinentur.

A D N O T A T I O

XLII. Aduertendum est, quod de facili euenire potest, quod si duo sint Arbitri, non

concordabunt inter se, in interrogationibus faciendis. Proinde ad tollendas discordias, vel interrogationes ipse, de communi consensu iam scriptæ, debent fieri ab Actuario eas legente, & scribente; vel Arbitrator, ex parte Recusantis, (vt potè in hoc casu tanquam Actor,) debet prius interrogationes, quas vult, facere; & postquam fecerit eas, quas ipse congruere existimauerit, poterit Arbitrator pro parte Iudicis Recusati, in eodem examine alias, quas opportunas iudicauerit, facere. Quod si nec concordauerint in scribendis interrogationibus, eligendus est tertius Arbitrator, vt ordinatur in Textu Tit. Canones §. II. Sed ad hæc omnia vitanda melius est, quod vnus tantum Arbitrator eligatur, vt diximus Par. p. Tit. Canones n. 20. p. 104. Et in hoc casu, Arbitrator est verus Iudex, & in examine Testium, debet procedere iuxta Formas datas suprâ num. XXXVIII. & XXXIX. citato prius Recusante ad producendos Testes, vt dictum est paulò suprâ numero XL.

XLIII. Forma examinandi Testes in Casu Notorij.

Vocatus fuit &c. vt suprâ num. X. Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conuentu habitat?

A quo tempore in hoc Conuentu reperitur?

An sciat aliquod inconueniens, aut scandalum, esse commissum?

A quo, quomodo, quando, coram quibus fuerit commissum?

Quomodo id sciat?

An alij sint de hoc informati, & qui?

An tale factum fuerit publicum, & Notorium?

Quid intendat, esse aliquid publicum, siue Notorium?

An amore, vel odio &c. Quibus habitis, vt suprâ num. XIII.

ADNOTATIO

XLIV. Aduertendum, quod omnis industria, & diligentia Iudicis, in hoc casu, esse debet, quod non solum Testes probent delictum, cum omni sua circumstantia, sed etiam, quod illud sit Notorium in Conuentu, seu vicinia. Et licet duo, vel tres Testes probare possint Notorietatem, si deponunt de-

lictum Notorium esse; tamen melius, & securius fiet, si plures Testes examinentur, imò omnes, qui delicto interfuerunt, nisi magnus esset numerus illorum. Tunc enim sufficit examinare tot Testes, quot diximus Par. pr. Titul. Canones. numero 56. pagin. 125. esse sufficientes ad constituendum Notorium. Vt in Conuentu, vbi habitant duodecim Religiosi, sufficiunt quatuor ad constituendum Notorium; vbi viginti, sufficiunt sex; vbi triginta, octo; ita, vt decem satis sint ad faciendum Notorium in magno Conuentu, si tamen concurrat loci, & temporis qualitas, prout diximus loc. citat. numero 55. Examinatis ergo Testibus, pronunciet Constare de Notorietate, vt sequitur.

Consequenter A.R.P. attentè consideratis, & maturè perpensis præfatorum Testium depositionibus, pronunciauit constare de Notorietate asserti Delicti, proinde decreuit Reum constituere, & prout de iure ad vltiora procedere. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

XLV. Aduertendum, secundò, quod Reus appellare potest à Decreto Iudicis declarantis Notorietatem, vt habetur ex Textu Titul. Canones §. XI. Tali casu, in potestate Iudicis, est, vel reuocare Decretum, & via ordinaria procedere; vel illi concedere apostolos, vt dicemus.

XLVI. Forma vocandi Testem absentem per literas.

Cum in Causa, quæ, de mandato, ac commissione A. R. P. N. Ministri Prouincialis, coram Nobis agitatur, necessaria sit persona vestra, harum seriè Vobis committimus, vt quantocyus cum Socio assignando à vestro P. Guardiano, rectà ad Nos vos conferatis. Deus vestram interim charitatem conferuet. &c. Dat. &c.

Frater N. Commissarius Delegat.

ADNOTATIO

XLVII. Aduertendum, quod si Iudex Superior Ordinarius est, potest per literas familiares, ac missivas, Testem ad se vocare; Et si esset Delegatus, & supponat Testem, absque

absque difficultate, ad se esse venturum, potest supradata literarum formula uti, quæ tamen lingua vernacula scribi debent; vel ad Superiorem localem scribere, ut Testem illum mittat. Si verò coniectetur, Testem simpliciter vocatum non esse obediturum; vel si Testis vocatus per Epistolam familiarem, non vult venire; vel Iudex sciat, Superiorem Localem, non esse illum missurum; oportet illum formiter citare; Formula vero poterit esse, ut sequitur.

XLVIII. Forma citandi iuridicè Testem:

Frater N. &c. Commissarius Delegatus &c. P. F. N. &c. Sacerdoti Concionatori &c.

Cum ab A. R. P. N. Nobis sit commissio delegata in Causa, quam ex lectura literarum patentium nostræ Delegationis, (cuius exemplar authenticum, manu nostra, ac Notarij Nostri firmatum, ac sigillatum sigillo Conuentus N. in quo moramur; hic adnexum ad Te mittimus) cognoscere poteris; necessariaque sit pro Actibus Curie Nostræ persona Tua, harum seriè, sub præcepto Sanctæ Obedientiæ, & pœnis latis in Constitutionibus Ordinis, iubemus, ut assumpto Socio, Tibi per Guardianum Tuum assignando, ad Nos, rectà, te conferas. Et sub eodem præcepto, & pœnis. R. P. N. Guardiano tuo iniungimus, ut Tibi idoneum ad hoc Socium assignet. Volumus autem, huius nostræ citationis Libellum vim canonici Monitorij obtinere; proindè assignamus Tibi sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio, & peremptorio termino statuimus à die præsentationis præsentium literarum Tibi personaliter factæ computandos, intra quos si, (nulla legitima causa præpeditus) non comparueris coràm Nobis, noueris Nos contrà Te, ut contumacem, ad formam iuris, nulla vltiori citatione præuia, esse processuros. Dat. &c.

Fr. N. Commissarius Delegatus.

Ego N. Actuarius.

Copia autem literarum patentium Commissionis authentica, ut præfertur, debet adnecti præfato Monitorio, & mitti per duos Fratres, qui personaliter illi præsentent eam, cum Monitorio citatorio, & reuersi

Pars II.

præsentationis relationem Actuario faciant; Undè necessarium est, ut duas copias Monitorij prædicti habeant; una, cuius præsentabitur Testi citato; & alia reportabitur Actuario, inferenda actibus. Aduertat autem Iudex, quod dies assignandi non limitantur ad sex, sed possunt plures assignari ad eius libitum, iuxtà distantiam locorum. Porro in processu describenda erit citatio, præsentatio, & relatio, ut sequitur.

Cum P. Commissarius N. vocauerit per literas suas P. N., ut ad se veniret, ob interessè Cause, quæ aditatur, & prædictus P. N. noluerit venire; decreuit illum iudicialiter citare; Quapropter ipsum formiter citari fecit, mittendo ad eum Fr. N. & Fr. N. cum Monitorio opportuno. Qui profecti ad Conuentum N., in quo habitat prædictus P. N. citatus, & reuersi ad me Actuarium, præstito iuramento, retulerunt, se die &c. in Conuentu &c. in dormitorio, siuè Claustro &c. præsentasse Monitorium sibi consignatum à P. Commissario prædicto P. N. citato, & eius copiam in Actis præsentarunt, & incipit &c. & definit &c. Acta sunt hæc Die Mensè Anno &c. in Conuentu N. &c.

Ego N. affirmo vt supra.

Ego N. affirmo vt supra.

Ego N. Actuarius.

Potest etiam dari casus, quod Guardianus Testis citati, ob aliquam causam prætensam, Testem noluerit mittere, & Testis scripserit ad Commissarium causam, quare non venerit; tali casu Monitorium simile suprædicto debet dirigi ad Guardianum, iubendo sub pœnis &c. ut in tempore statuto assignet Socium & mittat &c.

XLIX. Forma iudicialiter citandi Testem, qui vocatus non vult comparere coràm Iudice.

Potest dari casus, quod Testis parui faciens Iudicem Commissarium, vocatus, ut compareat coràm Iudice, comparere recuset, nec velit ad præsentiam Iudicis venire, ne possit Iudex sibi verbaliter præcipere; & incongruum est, quod Iudex trabatur à Teste. Tali casu posset Iudex procedere per Monitorium scriptum illius tenoris (mutatis mutandis) quem suprâ dedimus pro citando ipsum absentem nu. XLVIII. Sed compendiosius fiet, si mittet ad eum aliquem, qui ipsum,

coram Testibus, nomine Iudicis, citet verbaliter, & relationem faciat, ut sequitur.

Cum R.P. Commissarius vocare fecisset P.N. ut coram se compareret, ad effectum testificandi in hac causa; noluit comparere, sed dixit Fr. N., qui eum nomine P. Commissarij prædicti vocauit, quod nihil negotij habet cum dicto P. Commissario; & si hic aliquid ab eo vellet, pergeret ad se. Volens proindè eum iudicialiter citare, iussit Fr. N. Laico socio suo, siue P. N., ut nomine P. Commissarij prædicti præciperet, ut coram se pro Tribunali sedente in Camera suæ Residentiæ compareret. Qui F.N. assumptis in Testes P.F. Sacerdote, & F.N. Clerico iuit; & post quadrantem, horæ circum circa, reuerius est, cum prædictis Testibus, & cum iuramento ab omnibus præstito, mihi Actuario retulit, Se prædicto P.N. inuento in Cella, siue Claustro siue horto &c. nomine prædicti P. Commissarij præcipisse, ut statim compareret coram se; & dictum P. N. respondisse &c. & hic ponatur responsio ab eo data; & hæc omnia fuisse in præsentia præfatorum Testium, qui confirmarunt ita fuisse, sicut retulit prædictus Fr. N. Acta sunt hæc Die Mense & Anno &c.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.

Ego Fr. N. Testis.

Ego Fr. N. Testis.

Ego Fr. N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

L. Aduertendum, quod si Testis secundo, & tertio, citatus non vult comparere, potest procedi contra eum tanquam contumacem per Censuras, & carceres, & vincula sicut dictum est Part. p. Titul. Testes nu. 78. p. 550. & seqq. & Tit. Tortura. n. 57. p. 598.

Quia vero quietius, & cum maiori facilitate, uti potest Iudex Censuris, quam carceribus, & vinculis, quæ aliquoties in paruis Conuentibus non sunt, melius est, quod Iudex, si inuenerit Testem, ut præfertur, contumacem in non obediendo, procedat per Censuras; & si Testis est Pater grauis, utatur Interdicto ab Ecclesia, vel Suspensione à diuinis; cum alijs potest uti Excommunicatione. Forma autem describendi in processu hunc Actum, & ferendi Sententiam Censuræ contra sic Contumacem in comparendo, est, ut sequitur.

LI. Forma ferendi Censuram contra Testem, qui ter citatus, non vult comparere coram Iudice.

Cum A.R.P. Commissarius tribus vicibus, cum termino competenti ad comparandum, citare fecerit P. Fr. N., ut coram suo Tribunali compareret, cum eius persona necessaria esset ad dilucidationem Cause, quæ coram ipso actitatur; & ipse P. Fr. N. comparere renuerit, & mandata eius contempserit, decreuit, prout præfenti Decreto decernit contra prædictum P. Fr. N., ut præfertur inobedientem, & contumacem, Censurarum mucrone procedere ad hoc, ut resipiscat; Quapropter protulit contra ipsum Sententiam Suspensionis à diuinis, siue Excommunicationis in his scriptis contentam.

Cum fuerit citatus iuridicè, ad comparandum coram Nobis, tribus vicibus, nempè Die.... &c. Mensis.... &c. & Die.&c. Mensis eiusdem; & Die sequenti memorati Mensis, ut ex actis processualibus in nostra Curia existentibus apparet, P.F.N. Sacerdos &c. & ipse mandata nostra contemnendo, contumax, post trinam prædictam monitionem fuerit, & sit, ad ipsum compellendum ad debitam Nobis obedientiam præstandam, in his scriptis contra eum Sententiam Suspensionis à diuinis, siue Excommunicationis maioris proferimus, qua maneat illaqueatus, donec coram Nobis se sistat, & absolutionis beneficium, parendo Nobis, mereatur. Et ut omnibus hæc Sententia pateat, eam capitulariter congregatis Fratribus legi, & per affixionem ad loca opportuna publicari mandamus. Dat. in Conuentu &c. Die ... Mense.... &c.

Ego Fr. N. Commissarius &c.

Ego N. Actuarius.

In executionem ergo prædictæ Sententiæ, Ego infra scriptus Actuarius, conuocatis capitulariter Fratribus ad sonum campanellæ in Refectorio, ut moris est, ad mandatum P. Commissarij, & ipso præfente, alta, & intelligibili voce illam legi; hac Die Mense Anno &c.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Eadem

Eadem Die Fr. N. Laicus Conuersus Socius prædicti P. Commissarij, præmissò iuramento, & coràm Testibus P. Fr. N. Sacerdote &c. & Fr. N. Clerico, siue Laico pariter iuratis retulit, se coràm prædictis Testibus, & ad mandatum P. Commissarij, duas Copias prædictæ Sententiæ, sibi datas à Me, affixisse ad valuas Refectorij, & ad parietem Dormitorij publici propè lampadem.

Ego Fr. N. affirmo vt supra.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego N. Actuarius

ADNOTATIO.

LII. *Aduertendum, quod si Excommunicatus, aut Suspensus adhuc perseverat in sua obstinatione, de rigore iuris potest Commissarius ipsum incarcerare. Sed quia maxima in hoc occurreret difficultas, specialiter in paruis Conuentibus, ubi regulariter, non sunt carceres, & Familia Fratrum, non est numerosa, & in ea Excommunicatus habet adherentes, qui sibi fauebunt, & Commissario de facili non obtemperabunt, vnde eius auctoritas reddetur contemptibilis; ideo si Excommunicatus perseverat in contumacia, melius est, quod Prouincialis, communitus de hoc à Commissario, compellat per carceres, vel alia iuris remedia Contumacem, ad obediendum Commissario. Et caueat Prouincialis, ne ad se Causam auocet (si tamen inuenit, quod Commissarius suus legitime processit,) sed eam proseguat per eundem Commissarium, ne videatur, qui fuit Contumax, præualuisse Commissario, in non comparendo coràm se. Sed debet Prouincialis auctoritatem Commissarij sui, tanquam propriam tueri; aliter Commissarij, non sirenuè Officiū suum, vt decet, exsequentur, sed trepidè, & hesitantè, ne, cum ipsorum dedecore, ipsis Causa adimatur: & ita vigor iustitiæ eneruabitur.*

Si vero post latam Censuram Testis resipuerit, & paratus sit obedire, debet absolui, & post examinari vt sequitur.

LIII. Forma absoluendi, & examinandi Testem Excommunicatum ob contumaciam.

Comparuit coràm R. P. Commissario P. N. Sacerdos &c. qui, vt præfertur,

fuit ob Contumaciam Excommunicatus, siue Suspensus, & dixit, se poenituisse de Contumacia sua, in non parendo mandatis, & citationibus sibi factis, propterea se paratum esse toties, quoties vocatus fuerit in posterum comparere, & R. P. Commissario obedire; interimque supplicauit à Censuræ contra se latæ Sententiæ absolui. Qui P. Commissarius graui sermone ipsum monuit, & coràm infra scribendis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, & vocatis, in forma consueta absoluit. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Sacerdos &c. petij, & promitto Obedientiam.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ita est Ego Fr. N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

Forma autem debet esse, vt traditur à Rituali Romano, & seruetur in absoluteione Apostatarum, quam dabimus infra Sectione vltima num. LXVI. Excepto, quod non est necessarium, quod fiat in publico Refectorio, sed sufficit, si fiat in camera Iudicis pro Tribunali sedentis coràm Testibus, & Actuario.

Poterit ex post Iudex illum examinare iuxta exigentiam Causæ, & suprà data interrogatoria.

LIV. Forma puniendi Testem irreuerentem, & pertinacem dum examinatur.

Supponimus Testem iam coràm Iudice comparuisse, & monitum, & iussum fuisse à Iudice, vt iuraret; illum verò nec iurare velle, nec coràm Iudicè modestè versari, sed cabinnis, aut verbis impropijs, vel indecentibus illum incessere. Tali casu Iudex (quem supponimus esse Commissarium, non enim dabitur Religiosus ita effrons, & amens, vt tali pacto Superiorem Ordinarium contemnat) potest illum punire, & factum describere vt sequitur.

Cum Fr. N. prædictus fuisset monitus, vt præfertur, & iussum præstare iuramentum, & ad interrogata respondere, ille nec iurare voluit, nec respondere, sed cum risu, & contemptu fecit &c. siue dixit &c. & describantur gestus, motus, seu verba, quæ fecerit, siue dixerit. Quem P. Commissarius benignè admonuit, & quia ex benignitate peior efficiebatur; seuerè; & grauius

gravius increpauit. Persistente autem illo in sua pertinacia, iuris remedijs vten- dum censuit, ideò vt infra decreuit.

Quoniam P. N. vocatus in Testem à R. P. Commissario, ac iussus, iuramen- tum præstare, & ad interrogata respon- dere noluit, & monitus semel, atque ite- rum, ac correptus, à sua pertinacia disce- dere noluit, ideò præsentì Decreto decer- nit, vt dictus P. N. in propria Cella clau- datur, & ieiunet quotidie in pane, & aqua, quousque resipiscat, & mandatis suis pa- reat.

Dat. Die &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

Vocatus ex post fuit coram eodem P. Commissario N. eiusdem Conuentus Su- perior P. F. N., & per Me Actuarium illi lectum fuit superscriptum Decretum; & P. Commissarius, qui supra, illi præcepit, vt memoratum Decretum executioni de- mandaret, sub pœna Suspensionis ab Offi- cio. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

Poterit etiam Commissarius procedere per Censuras vtendo forma data sup. num. LI. & mutatis mutandis, maxime si suspici- onem habebit, quod remedio reclusionis in Cella, & ieiunio (quod de facili non serua- bitur) parum proficiet.

LV. Forma examinandi Testem re- uersum à pertinacia.

Cum P. N. Testis, vt supra reclusus in Cella in ieiunio panis, & aquæ, iuxta de- cretum P. Commissarij, misisset ad eun- dem Patrem ad petendam veniam de ostensa inobedientia, & promittendum, se in posterum esse paritulum, iussit, vt liberaretur, & coram se vocaretur. Ad quem cum venisset, fuit ab eodem moni- tus, ne in posterum, cum graui animæ suæ dispendio, in similem amentiam pro- rumperet, & monitus, & iuratus, prout iurauit tacet. &c. fuit interrogatus.

Et prosequatur deinceps ad exigen- tiam Cause &c.

LVI. Forma torquendi Testem ne- gantem scire delictum, vel illi interfuisse se, cum constet, eum illi fuisse præsen- tem.

Recolenda sunt, quæ diximus Par. I. Tit. Testes circa torturam Testium, & ma- ximè num. 80. vbi ostendimus non posse Iu- dicem siue Ordinarium, siue Delegatum torquere Testem, nisi de consensu Diffini- torij, siue aliquorum proborum proborum Patrum, vt habet Textus Tit. Tortura. §. 3. Pariter aduertendum est, quod Testes torqueri debent pluribus de causis, puta ex contradictione, varietate, & mendacio, in- famia &c. vt suo loco diximus Par. I. citat. Tit. Tortura, & hoc intelligendum est, quan- do non suppetunt alij Testes, per quos possit probari Delictum. Tortura enim est reme- dium subsidiarium, adinuentum à lege in defectu aliarum probationum; & antè For- turam omninò concedi debent defensiones il- li, qui torquendus est, siue Testis, siue Reus sit, vt habet Textus Tit. Tortura §. 9. & Nos diximus ibi.

His adnotatis, supponimus ex Testi- bus iam examinatis, quod constet in Procef- su, Testem torquendum fuisse præsentem, & in loco delicti, de quo agitur, & ille neget in- terfuisse, præmissis ergo præmittendis, torque- ri debet, & modus procedendi est, vt sequi- tur.

Consequenter A. R. P. N. Minister, siue Commissarius &c. auditis, & lectis diligen- ter depositionibus aliorum Testium depo- nentium Fr. N. Testem vocatum, & exa- minatum, fuisse præsentem in loco com- mitli delicti, tempore, quo fuit perpetra- tum, & ex consequenti vidisse quomodo dictum crimen homicidij, furti &c. com- missum fuerit; & scire quinam fuerint Delinquentes &c. & consideratis alijs in- dicijs, quæ resultant ex actis, ex quibus apparet ipsum fuisse, vt præfertur, in lo- co, & tempore delicti commissi, & verifi- mile esse, quod ipse viderit totum factum, & sciat quinam delictum perpetraverint; considerato tandem, quod ipse negat fuisse tali tempore in tali loco, & nihil scire de tali delicto, & Delinquentibus; ad ha- bendam ab ipso Fr. N. Teste examinato plenam, & integram, veritatem, super præmissis, de quibus, vt dictum est, veri- similiter informatus apparet, & ad om- nem

nem alium meliorem finem, decreuit in rigoroso examine illum cōstituere. QVA-
PROPTER illum vocare coram se fecit,
& illi assignauit terminum trium dierum
ad faciendas suas defensiones, & allegan-
dum, quare non debeat torqueri. Decre-
uit pariter copiam Actorum sibi concedi,
in ea parte, quæ tangit personam ipsius
(suppressis tamen nominibus Testium;) aut si Patronus eius, quem ipse eliget, ve-
lit acta originalia lustrare, ipsa per Me
Actuarium sibi cum tota commoditate
ostendi, iussit. Acta sunt hæc &c. die &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarium.

*Postea debet Testis, sibi eligere Patro-
num, Acta debent communicari, fieri Defen-
siones, & congregari Diffinitorium, siue Pa-
tres Periti, vt iudicent, an tortura, & in
quali gradu locus sit. Sed quia in hoc casu
Testis habetur tanquam Reus, eo modo, quo
Reo assignatur Patronus, traditur copia
Actorum &c. ante Torturam; eodem modo
procedendum est cum Teste. Formula autem
pro his Actibus dantur infra Sect. VI. ad
quam Lectorem remittimus.*

LVII. Forma torquendi Testem,
qui aliud dicit cum iuramento, & aliud
contrarium sine iuramento.

Consequenter idem A.R.P. Minister,
siue Commissarius considerata depositio-
ne facta; cum iuramento, in iudicio co-
ram Nobis, in qua Fr.N. Testis dixit se ni-
hil scire de Homicidio, Furto &c. de quo
inquiritur; & considerata depositione
eiusdem huic dicto contraria facta coram
N.& N.loco, & die.tali &c. quibus omnem
seriem præfati delicti, ita narrauit, vt ve-
risimile sit, illum totum negotium scire,
vt apparet ex Actis suprâ; ad tollendam
omnem maculam periurij (si qua inesset
in eius persona) vel ad purgandum om-
nem variationis defectum, & ad plenius
habendam veritatem, & sciendum, in quo
dicto velit persistere, decreuit ipsum F.N.
Testem in rigoroso examine constituere.
Quapropter &c. vt sup.num.LVI.

LVIII. Forma torquendi Testem,
qui factus interfuit, & tamen negat illud
vidisse, aut audiuisse.

Consequenter idem A.R. P. Minister,
siue Commissarius, considerato, quod per
Testes, & etiam propriam confessionem,
constat, quod prædictus Fr.N. Testis die
tali, hora tali, fuit in loco tali, quando
perpetratum fuit delictum &c. Vndè veri-
simile est ipsum vidisse, quomodò illud fa-
ctum se habuerit, siue audiuisse verba con-
tumeliosa, siue blasphemiam &c. si delictum
consistat in verbis; & consequenter vidisse
etiam Delinquentes, & scire quinam fue-
rint, & quomodò res se habuerit. Et non
obstantibus pluribus monitionibus, vt
veritatem fateretur, negare non erubescat
Delinquentes vidisse: siue audiuisse &c.
consideratisq; alijs indicijs ex Actibus ipsius
resultantibus, & contra dictum Testem
facientibus: propterea præfatus P. Mini-
ster, ad effectum habendi ab ipso F.N. Te-
ste examinato plenam, & integram veri-
tatem super præmissis, de quibus, vt præ-
fertur verosimiliter informatus apparet,
& ad omnem meliorem finem decreuit,
ipsum in rigoroso examine constituere.
Quapropter &c. vt sup.num.LVI.

A D N O T A T I O.

LIX. Aduertendum, quod benè potest dari
casus, quod aliquis sit præsens, & in loco De-
lictis, & tamen ad alia distractus, nec viderit,
nec auerit licet vtrumque potuerit. Si ergo
Testis assignat causam rationabilem, & ve-
rosimilem, quare fuerit ibi distractus, vnde
non aduertit; aut fuit impeditus videre; aut
ad aliud intendebat &c. non debet Iudex il-
lum torquere, neque potest. Sed debet benè
ponderare an causæ adductæ quare non vide-
rit, sint possibiles, verisimiles &c. an potius
mendicæ, ad persistendum in negatiua, &
euadendam Torturam. Proinde debet Te-
stem fatigare in interrogationibus.

Quid faciebat in tali loco?

Quare illuc iuit?

Cum quibus erat?

Quid faciebant illi &c.?

Et ex similibus conijciet Iudex, si est
locus torturæ, an non.

LX. Forma torquendi Testem varium, siue vacillantem.

Consequenter idem A.R.P. Minister, siue Commissarius &c. considerata, & bene ponderata variatione Fr. N. Testis examinati, qui in suo primo examine, facto sub die &c. prout supra in Actis, dixit, se scire certitudinaliter delictum Furti, Fornicationis &c. de quo agitur, & super eo asseueranter deposuit; & in presenti siue alio examine &c. deponit de eodem delicto, siue Delinquente dubitatiue, & non allegat verum, aut verisimilem, neque sufficientem causam talis variationis.

Si Testis est sibi contrarius, & contradictorius dicatur. Considerata, & ponderata contradictione Fr. N. Testis examinati, qui in primo, aut alio examine sub die &c. dixit sic, & sic &c. in alio vero sub die &c. dixit contrarium, puta sic, & sic, &c. vnde sibi contradicit, & hanc contradictionem sibi obiectam à Iudice concordare nesciuit, nec vllam causam talis contradictionis rationabilem assignat, aut ad contradictionem euadendam adducere potest.

Si Testis est vacillans dicatur. Considerata, & bene ponderata vacillatione Fr. N. Testis examinati, qui in hoc examine siue alio sub die &c. prout ex Actis &c. dixit sic, & sic &c. ex post in hoc eodem examine siue alio sub die &c. prout &c. dixit sic, & sic &c. exindè in hoc pariter examine, siue alio sub die &c. prout &c. dixit sic, & sic &c. vnde manifesta apparet eius vacillatio, quam sibi obiectam à Iudice concordare nequit, nec vllam prorsus potest assignare causam rationabilem quare semel dicta reuocauerit, & postea iterum confirmauit.

IGITUR AD TOLLENDAM omnem maculam periurij, & variationis, & ad effectum sciendi, in quo dicto ipse persistat, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, (citra tamen præiudicium quorumcunque Curia acquiritorum, & citra præiudicium eum puniendi ob præfatam variationem, siue contradictionem; siue vacillationem, ac periurium) decreuit ipsum in rigoroso examine constituere, ad effectum habendi ab eo plenam, & sinceram veritatem, & videndum in quo dicto velit persistere, & ad alium

quemcunque meliorem finem. Quapropter illum vocare &c. ut sup. nu. LXVI.

ADNOTATIO.

LXI. Aduertendum, quod varietas, contradictio, & vacillatio Testis, potest contingere in vno, & eodem examine; & potest accidere in diuersis; & hoc dupliciter, puta quando omnia examina facta sunt pro Fisco, & Curia informatione; aut quando vnum examen est pro Fisco, aliud vero pro Reo, puta quando Testis presentatus à Reo examinatur ad eius defensionem.

Si est vnum, & idem examen, in quo Testis variat, vacillat, aut sibi contradicit; & etiam sunt plura examina diuersa facta pro Fisco, & inter ea non potuit Testis subornari; hoc est non mediavit tale spatium temporis, quod, prudentis viri iudicio, potuerit Testis à Reo, siue Rei amico, &c. subornari, sufficit, quod Iudex sibi obiectet variationem, vacillationem, vel contradictionem; & si Testis nequit eam tollere, assignando causam rationabilem, quare ita variauerit, potest Iudex procedere ad decretum examinandi rigorosè, ut supra dictum est.

Si vero tantum temporis interiectum est inter vnum, & aliud examen Testis factum ad informandam Curiam, quod in eo potuerit Reus per se, vel alios, oretentis, aut scriptò Testem subornare; aut si Testis est presentatus à Reo examinandus ad sui defensionem, super Articulis presentatis à Patrono Rei; tunc, quia intrat suspicio subornationis, debet practicari alia forma, de qua infra dicemus.

ADNOTATIO II.

LXII. Aduertendum secundò, quod licet ex Textu Tit. Tortura §. 9. Ante torturam omninò sint dandæ defensiones; & Nos explicauerimus, ibi quod ita dandæ sunt Testibus, sicut & Reo; tamen non est hoc ita vniuersaliter, & absolutè, & strictè accipiendum, ut aliquando Testis non possit torqueri, minimè data copia indiciorum. Optima ergo est opinio Honophrij Camiani relati à Farinac. quæst. 3. num. 147. Prout cum citat Sgroi Par. 4. cap. 16. §. 2. num. 7. Qui distinguit ita. Si mendacium Testis non est evidens ex eius ore, sed à testimonio aliorum, qui dixerunt, Testem interfuisse delicto, & ipse negat; tunc debentur ei Defensiones ante Torturam; potest enim infirma

re dicta Testium per contrarias probationes, seu aliter contra eos excipere, ita ut non maneat comictus de mendacio. Si autem mendacium Testis est evidens ex eius ore, quia est inter duo contradictoria, aut contraria dicta, quæ evidentè sunt irreconciliabilia; tunc, quia nulla defensione potest se tueri, potest torqueri, non data copia indiciorum. Tali ergo casu, si Iudex Regularis procedit ad torturam (habito tamen consilio Diffinitorij, aut aliorum Patrum apud Nos) non datis defensionibus, nullum esset inconueniens.

LXIII. Forma torquendi Testem varium ob præsumptionem subornationis.

Consequenter idem A.R.P.&c. ut supra. LX. usque ad illa verba Igitur ad tollendam &c. & subsequatur. Considerato pariter, quod valdè verisimile est, quod prædictus Fr. N. Testis ad dictam suam priorem depositionem reuocandam, ab aliquo, vel aliquibus, minis, aut præcibus, aut alia iniusta via fuerit subornatus; ad effectum ergo sciendi ab ipso Examinato, An ab aliquo, vel ab aliquibus ad suam priorem depositionem reuocandam subornatus sit, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, citrà tamen præiudicium primi examinis (cui ratio suadet standum esse cum deposuerit spontè, & de plano, & concordanter cum alijs indicijs, quæ ex Actis apparent) & quorumcunque iurium ex eo Curiaë acquisite, ac ipsum puniendi, ob præfatam variationem, & periurium, quibus, per torturam, cui ipsum vult subijcere, præiudicare minimè intendit, de quo expressè protestatus fuit, & protestatur &c. & non aliter, nec alio modo, decreuit, prout præsentì decreto decernit ipsum in rigoroso examine constituere. Quapropter ipsum vocare &c. ut supra num LVI.

LXIV. Forma torqueudi Testem varium &c. non Subditum Iudici Regulari.

Potest dari casus, quod in atrocissimo aliquo Delicto, Reus Regularis habeat Complices Sæculares, qui fuerint à proprio Prin-

cipe indultati; & debeant examinari tanquam Testes contra Reum Regularem; vel etiam sint Sæculares Clerici, aut Laici, aut Regulares alterius Ordinis, qui examinentur tanquam Testes, cum licentia suorum Superiorum, & variant, vel sibi contradicant &c. Et potest etiam dari casus, quod tales Testes, licet vocati cum licentia suorum Superiorum, nolint comparere, aut si compareant nolint iurare, aut respondere, & Regularem Iudicem contemnant; à quo sciunt nec Censuris, nec alijs pœnis posse constringi ad obediendum, aut veritatem dicendam. Tali casu Iudex Regularis debet recurrere ad Superiorem Testis proterui, ut præfertur, & illi ostendere acta, & maximam importantiam Cause, quæ grauissima est, & Superior illius Testis debet simul cum Iudice Regulari, decernere torturam dandam Testi, & assistere, dum actualiter torquetur, non tamen ille debet se ingerere in dandis interrogationibus, sed purè in decreto, & executione torture. Potest ergo describi tota forma tenenda, ut sequitur.

Cum A.R.P. Minister, obtenta licentia à suo Superiore, ut constat ex actis supra, pluries vocare fecerit N. Religiosum talis Ordinis &c. siue Clericum; siue Laicum Sæcularem, & ille nunquam voluerit comparere coràm se, imò dixerit, nullo modo velle examinari à dicto P. Ministro. Siue vocatus comparuit, sed noluit iurare, aut debito modo ad interrogationes respondere &c. Siue examinatus sub die tali &c. respondit sic, & sic &c. & reexaminatus sub die tali deposuit sic, & sic &c. prout ex actis; & sibi per A. R. P. Ministrum tali variatione obiecta, eam nullo modo concordauerit, vnde apparet esse de iure torquendum, tum ad abstergendam maculam periurij; tum ad videndum, in quo dicto velit persistere; & ad habendam sinceram veritatem, decreuit ad eius Superiorem habere recursum, & de iure faciendam prosequi. Quapropter rogauit Perillustrem, & Reuerendissimum D. Vic. Gen. Illustrissimi D. Episcopi N. Si Testis est Clericus Sæcularis, siue Reuerendissimum P. Abbatem, siue A. R. P. Prouincialem, siue Priorem N. Si Testis est Religiosus alterius Ordinis; siue D. Prætozem Ciuitatis, loci &c. Si Testis est Laicus Sæcularis, (sibi prius ostentis actis, & demonstrata necessitate, & importantia Cause) ut dignaretur manus auxiliatrices dare, & præcepto suo adigere Testem prædictum,

ad comparandum, iurandum, & respondendum, siue ad subeundam torturam, quæ iuxta iuris ordinem sibi debet dari. Qui præfatus D. Vicarius &c. Abbas, Prior, Prætor &c. benignè annuit, & promisit, se missurum prædictum Testem N. ad se subiiciendum examini. Siue se præstaturum brachium, & assistentiam suam ad torturam dandam tali Testi, iuxta iuris exigentiam. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Decretum autem tortura, sicuti & eius executio, facienda sunt pari modo, sicut in torquendo Testem Subditum, & solum additur, quod tale decretum fit, & tortura datur in præsentia D. N. Vicarij, Abbatis, Prioris, seu Prætoris &c. siue alterius ab eo deputati. Formam vero Decreti dabimus infra Scct. VII.

LXV. Forma torquendi Testem inhabilem.

Cum A. R. P. Minister considerasset qualitatem Fratris N. examinati in hac Causa, & reperisset ipsum laborare nota infamiæ, propter decretum pœnale latum contra ipsum in Causa criminali sub die &c. anni &c. actitatum per A. R. P. N. tunc temporis Visitatorem, siue Ministrum Prouincialem; siue reperisset inhabilem ad testificandum contra Fr. N. quia est eius Socius in crimine tali &c. prout ex Actis &c. ad tollendam dictam infamiæ notam, & vt eius dictum magis afficiat nominatum, & ad omnem alium meliorem finem, mandauit, vt per integrum Psalmum *Miserere* se disciplinaret. Qui F. N. humiliter obediuit, & in eadem Cella, coram eodem A. R. P. & Me Actuario, pœnam decretam adimpleuit. Acta sunt hæc Die

..... Mensè Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXVI. Forma qua repelluntur Testes omninò inhabiles ad testificandum, siue Accusatores ab accusando.

Demonstrauimus Par. I. Tit. Quam n. 35. P. 343. Quod apud Regulares Testis examinatus pro Fisco, etiam parte non citata,

probat; citatio enim Rei ad videndum iurare Testes, & illis opponendum est solemnitatis iuris, vt alio loco dicimus; & ita, cum apud Regulares, non citato Reo, Testes examinentur, non est vnde ante eorum examen eos possit repellere Reus, qui multoties neque scit, se processari. Si tamen daretur casus, quod aliquis sciret Caium velle dare Iudici accusationem contra se, vel, incepto Processu, sciret aliquem, vel aliquos, qui sunt eius inimici, Conspiratores, aliàs puniti de periurio, vel affecti aliqua qualitate, per quam totaliter inhabilitentur ad testificandum, benè potest Accusatorem, & Testes ad accusandum, & testificandum respectiuè inhabiles, repellere, comparando coram Iudice, adhibitis duobus Testibus ad Actum comparitionis, & illi exhibere Libellum Exceptionium, vt sequitur.

Coram Vobis A. R. P. Minister Prouincialis comparet Fr. N. & excipiendo dicit, quod ad eius notitiam deuenit, quod Fr. N. vult criminaliter accusare apud Tribunal Paternitatis V. A. R. ipsum Comparentem, siue quod in Causa, quã contra se scit actitari apud Tribunal Paternitatis V. A. R. examinandi sunt Fr. N. & F. N. & quia dictus Fr. Accusator, siue dicti FF. & N. sunt Conspiratores, siue eius capitales inimici, siue alias puniti de periurio &c. vnde sunt totaliter inhabiles, vt admitti possint in iudicio, & ipse Comparens promptus, & paratus est hoc, quod dicit, legitimè probare; idè dicit præfatum Accusatorem, siue Testes, esse à Vobis repellendos, & nullo modo admittendos ad accusandum, siue deponendum contra se. Et si aliter fieret per Vos, protestatur præsentem Exceptionem, & omnes alias sibi de iure competentes contra prædictum Accusatorem, siue contra personas, & dicta præfatorum Testium, ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma &c. Dat. Die &c. in Conuentu &c.

Ego Fr. N. excipio, vt sup.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

A D N O T A T I O.

LXVII. *Aduertendum, quod si ille, qui intendit repellere Testes, vel Accusatorem, suspicionem habet, quod Iudex eam non acceptet, siue dissimulet, debet, prout diximus de Recusatione Iudicis, duas copias habere subscriptas ab iisdem Testibus, qui inter*

sunt presentationi, quarum unam Iudici presentet, seu dimittat, aliam apud se conseruet, ut possit, suo loco, probare se excepisse debito tempore contra Accusatorem, siue Testes. Quod si non audet comparere coram Iudice, aut non inueniat, qui velint esse Testes; potest Exceptionem istam proponere coram honestis viris, siue eam facere per edictum; & pro hoc vide formulas latas pro Recusatione Iudicis. Sect. I. num. XIX. & XXI. & pari forma, mutatis mutandis, proponatur Exceptio, de qua nunc loquimur.

ADNOTATIO II.

LXVIII. Aduertendum secundò, quod si causa Recusationis non potest discuti, nisi per examen Testium, & iudicalem indaginem, & agitur de repellendo Teste à testificando, potest Iudex, non obstante Exceptione proposita, examinare Testem, & in fine Cause, in termino defensorio, discutere Articulum Exceptionis. Si verò agitur de repellendo Accusatorem ab accusando, aut causa Recusationis potest probari incontinenti, ut per ostensionem Sententiæ latæ contra Testem repulsum, in qua condemnatus fuit periurus; siue aliàs repulsum, ut Inimicus probatus &c. tali casu, ante receptionem Accusationis, siue depositionum debet discuti Articulus Recusationis; siue Exceptionis contra Testes &c.

LXIX. Forma Decreti Iudicis post propositam Exceptionem contra Accusatorem, siue Testes.

Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro &c. P.F. N. & illi præsentasset Libellum Recusationis contra P.N. &c. Testem &c. qui Libellus incipit *Coram Vobis &c.* & definit *Ego Fr. N. fui Testis*, prædictus P. Minister ipsum acceptauit si, & in quantum &c. Cum autem didicisset à prædicto P. N. Excipiente causas à se adductas pro tali Exceptione, esse à se probandas per examen aliorum Testium, decreuit hunc Articulum exceptorium referuare discutiendum in fine examinis pro informatione Curix. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius &c.

LXX. Si verò Excipiens per instrumentum
Pars II.

ta, siue alias probationes vult incontinenti probare causas propositas in Exceptione contra Testes, ne excaminentur; aut si Exceptio sit contra Accusatorem ne accuset; debet Iudex acceptare Exceptionem, & probationes recipere, ut sequitur.

Cum comparuisset coram A.R.P. Ministro Prouinciali P. N. & illi præsentasset Libellum Recusationis contra Fr. N. qui Libellus incipit *Coram Vobis &c.* & definit *Ego Fr. N. fui Testis* prædictus P. Minister ipsum acceptauit si, & in quantum &c. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

Consequenter idem P. Minister citaui supradictum P.F. N. qui præfatum Libellum exceptorium contra Fr. N. præsentauit, & iussit, ut argumenta produceret, quibus intentum probaret, ut in Libello se obtulit. Qui P. Fr. N. præsentauit illi copiam Sententiæ latam die &c. à Iudice &c. contra dictum Fr. N. Testem repulsum, ex qua apparet ipsum condemnatum fuisse tanquam periurum; quæ incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor &c. siue dixit, talem Sententiam asseruari in libro Prouinciæ, in quo registrantur Sententiæ, & institit sibi fieri copiam illum Iustrandi, & Iudici ostendendi. Siue dixit, dictum Fr. N. aliàs fuisse ab eo repulsum tanquam inimicum, & tanquam talem post legitimas probationes fuisse repulsum à Iudice N. in Processu facto anno tali, super delicto tali &c. ut est notorium, & publicum. Siue assignauit in Testes P.F. ad probandam inimicitiam inter dictum P.F.N. & se Excipientem, ne eius Accusatio recipiatur. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXI. Interea Prouincialis debet examinare instrumenta producta, & Testes, & si inuenerit probari ab Excipiente, saltem semiplenè, intentum suum, non debet admittere nec Accusatorem, nec Testes, si autem non probatur intentum, eos admittat, & decernat, ut sequitur.

Cum P.F. N. exceperit contra Fr. N. repellendo eum ab Accusatione contra præfatum Excipientem instituenda. Siue cum P.F.N. inquisitus, seu accusatus de

crimine tali &c. exceperit contra FF. N. & N. Testes, tanquam totaliter illegitimos ad testificandum in hac causa; ET IPSE EXCIPIENS nec per instrumenta, nec per Testes coram Nobis productos, nec per alia legitima documenta plenè, aut etiam semiplenè, probauerit intentum suum coram Nobis, decernimus, nulla habita ratione talis Exceptionis, ad vltiora procedere, & præfatum Fr. N. si comparuerit ad accusandum admittere; *sive* memoratos FF. N. & N. in præsentì causa examinare, Acta sunt &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXII. *Si autem suffieienter sit probata ab Excipiente causa proposita dicatur.*

Cum P. N. exceperit &c. *vsque ad verba* ET IPSE EXCIPIENS &c. & coram Nobis per legitimas probationes, prout in Actis, probauerit prædictum Fr. N. contra quem excepit, esse eius inimicum &c. *sive* prædictos FF. N. & N. esse conspiratores, *sive* periuros &c. & causas à se assignatas esse veras, reales, & legitimas, ideo idem A. R. P. Minister decreuit, vt præsentì Decreto decernit, præfatum Fr. N. ab accusando esse repellendum; *sive* præfatos FF. N. & N. ad examen non esse admittendos. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXIII. Forma literarum Remissorialium pro examinandis Testibus absentibus.

Diximus Par. I. Tit. Testes. num. 122. & seqq. p. 568. plura de Remissione, & Commisione à Iudice faciendâ, quæ possunt ibi videri. Casu ergo, quod necepsè habeat Iudex examinare Testes, qui sunt in aliena Prouincia, & de facili non possunt haberi, debet formare Remissoriales ad Ministrum Prouinciæ, in qua moratur Testis, & factum describi, vt sequitur.

LXXIV. Consequenter P. A. R. Prouincialis aduertens esse necessarium examinare Fratrem N. vt informatum de

præsentì Causa; & non posse ipsius præsentiam habere, cum commoretur in Prouincia N. longumque esset negotium scribere ad P. Reuerendissimum Generalem, vt illum ad se mitteret: decreuit literas Remissoriales dare ad A. R. P. N. Ministrum Prouincialem memoratæ Prouinciæ N. Expediat igitur fuere ad ipsum literæ tenoris sequentis, videlicet.

A. R. P. Neccssarium cum mihi sit habere testimonium P. F. N. commorantis in hac vestra Prouincia in Causa quadam, quæ coram Me aditatur, cogor auxilium P. V. A. R. implorare. Quapropter ipsum rogo omni maiori, qua possim, instantia, vt dignetur, ad nostræ Praxis Criminalis normam, prædictum P. F. N. examinare iuridicè, nempe ipsius testimonium iuratum excipiente Notario legitimè creato, & in scripturam publicam redigente; & ad me ipsius depositionem transmittere. Articuli porrò interrogatorij sunt sequentes.

Primò. An sciat causam suæ vocationis.

Secundò. An cognoscat Fratrem N. &c.

Et extendantur Articuli interrogatorij eo modo, quo procederet Iudex ipse Ordinarius, si Testem ipse examinaret, iuxta Causæ exigentiam, & concludatur.

Me interim famulatui offero P. V. A. R. quam Deus seruet incolumem. Dat. Die &c.

Fr. N. Minister Prouincialis.

Fr. N. Actuarius.

LXXV. Forma tenenda à Ministro Prouinciali in examinando Teste, receptis Remissorialibus.

In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Minister Prouincialis Prouinciæ N. recepisset ab A. R. P. N. Ministro Prouinciali Prouinciæ N. quasdam literas Remissoriales, quæ hic inseruntur, & incipiunt &c. & desinunt &c. & ponatur tenor &c. Decreuit, prout de iure, eas executioni demandare. Quapropter, creato Me infra scripto, coram infra scriptis in Notarium, per exhibitionem iuramenti, quod præstiti, tacto pectore, more Sacerdotali, statuit, ad formam iuris, examen, de

de quo fuit rogatus instituere. Acta sunt hæc Anno &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit &c. vt sup. num. X.

Interrogatus super primo articulo. Respondit &c.

Super secundo. Respondit &c. *Et sic prosequatur, donec absoluerit examen super omnibus Articulis. Et concludatur examen per clausulam Quibus habitis &c. vt supra num. XIII. & subscribatur.*

Ego N. deposui vt sup.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Postea examen ipsum sigillatum transmittatur ad Ministrum Prouincialem, qui Remissoriales dedit.

A D N O T A T I O.

LXXVI. *Aduertendum, quod non solum potest per literas Remissoriales peti examen Testis, vt præfertur, sed etiam omne aliud, quod præstare posset Prouincialis in Prouincia sua in ordine ad Causam, quam adit; vt visitatio Corporis Delicti; compulsatio Scripturæ à libro publico; confrontatio iidem, siue recognitio Scripturæ &c. Pari-ter eadem Remissoriales possunt dari ad Iudicem Sacularem Ecclesiasticum, siue Lai- cum, casu quo examinandus esset aliquis eorum respectiue Subditus; & tui casu, ad instar superscriptarum, formandæ sunt lite- ræ Remissoriales ad illos danda.*

LXXVII. Forma literarum Com- missionalium ad examinandum Testem absentem.

Diximus Par. I. Tit. Testes. num. 122. p. 568. literas Remissoriales, & Commissionales differre tantum in hoc, quod Remisso- riales dantur ad Iudicem Ordinarium, qui propria auctoritate excitata per petitionem sibi factam præstat id, quod à se petitur præ- standum; Commissionales autem dantur ad Subditum Committentis, qui exequitur commissionem auctoritate sibi à Committente

impertita. Damus ergo formam, iuxta quam possunt literæ Commissionales formari; & est, vt sequitur.

Frater N. Minister Prouincialis &c. Dilecto Nobis plurimum in Christo P. F. N. Theologo eiusdem Prouinciæ &c.

Cum necessarium Nobis sit examina- re pro quadam Causa, quæ coram Nobis vertitur, Fratrem N., dignisque de causis animum nostrum mouentibus iudicemus non esse opportunum vocare prædictum Fratrem N. ad nostrum Tribunal, duxi- mus Tibi demandare facultatem exami- nandi prædictum Fratrem N. Harum ergo ferie Tibi iniungimus, vt electo Tibi bene viso, ac idoneo Religioso nostro, quem more solito creabis Notarium, præfatum Fratrem N. coram Te vocare facias, & iu- ridicè coram Notario à Te creato exami- nes super Articulis infra describendis. Præcipimus autem prædicto Fratri N. sub formali præcepto Sanctæ Obedientiæ, & in virtute Spiritus Sancti, vt Te tanquam nostrum Commissarium Delegatum ad excipiendum prædictum examen reco- noscat, & in ordine ad hoc, in omnibus pareat, & obediat. Porrò Articuli sunt infra scripti.

Primò interrogetur. An sciat cau- sam suæ vocationis?

Secundò. In quo Conuentu fuerit talitempore &c. & sic deinceps apponan- tur interrogationes, iuxta casuum varie- tatem; & concludatur.

Examen autem, vt præfertur, com- pletum, & sigillatum ad Nos mittere cura- bis. Dat. &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXVIII. Forma exequendi Com- missionem.

In nomine Domini. Amen. Cum Pater Fr. N. Theologus &c. recepisset quas- dam literas ab A. R. P. Prouinciali, quæ hic inferuntur, & incipiunt &c. & desinunt &c. & ponatur tenor. Deceuit ea, quæ par est, promptitudine eas exequi. Quapro- pter vocare fecit Me infra scriptum in ca- meram suam, & coram infra scriptis Me Notarium creauit per exhibitionem iura- menti, quod præstiti tacto pectore &c. ad hoc,

hoc, quod ut legitimus Scriba illi inferui-
rem. Acta sunt hæc Anno &c.

*subscribi à Teste, Commissario, & Actu-
ario, sigillari, & ad Prouincialem transmitti.*

Ego Fr. N. Commissarius Delegatus.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

LXXIX. Consequenter Vocatus fuit
&c. ut sup. num. X.

Interrogatus super primò Articulo.
Respondit &c.

Super secundò. Respondit &c. Et ita
prosequatur, donec absolutum fuerit exam-
men, quod terminari debet per conclusionem
Quibus habitis &c. ut supra num. XIII.

A D N O T A T I O.

LXXX. Aduertendum, quod potest
committi non solum examen Testis, sed
etiã visitatio Corporis Delicti, & omnia
alia, de quibus diximus suprà nu. LXXVI.
& tali casu varianda sunt in literis Com-
missionalibus clausula ille, quæ concernunt
negotium commissum; & eorum executio fa-
cienda, & describenda est eo modo, quod de-
scriberentur, si Acta illa fierent ab Ordina-
rio Committente, mutato solum nomine Iu-
dicis Ordinarij, in nomen Commissarij.



SECTIO QUINTA

In qua traduntur Formulæ constituendi, & examinandi Reum.

I. *Quia ut diximus*, Part. prima Tit. Reus nu. 8. p. 660., *quando Reus est de fuga suspectus, potest ante constitutionem carcerari; hoc vero nequit Iudex ex se (apud Nos) sed cum consilio Diffinitorum, aut aliorum Patrum peritorum in ordine, prout ordinat Textus citato, Titul. Reus §. 2. necessarium est, tradere Formam seruandam in Decreto, & carceratione, quæ talis potest esse.*

II. Forma discernendi carcerationem Rei suspecti de fuga.



Consequenter considerans A. R. P. Prouincialis atrocitatem Delicti, de quo indiciatus est Fr. N. prout in Actis &c. & periculum, quod Reus aufugiat, & iustitia sine suo frustretur, necessarium duxit, prout de iure, petere consilium à Patribus peritis, num scilicet Fr. N. Reus indiciatus deberet ad custodiam in carcere affecurari? Vnde in cameram suæ residentiaæ vocari fecit P. N. Ex Prouincialem, *sue* Diffinitorem &c. P. N. Lectorem Theologum, & P. N. Confessarium, Concionatorem &c. qui sunt magis periti inter eos, qui sunt in Conuentu N. & communicato cum illis consilio, petit ab eis, num consulerent Reum prædictum esse carcerandum. Qui Patres considerata grauitate criminis atrocissimi, cui pro pœna debentur triremes, vel carceratio annua, &c. & conditione Rei, qui est iuuenis, robustus, audax, parùm morigeratus; & alias apostasiam commisit; *sue* fugam meditatus est; *sue* dixit se velle fugere &c. consuluerunt carcerari, ad custodiam, debere. In vim ergo consilij prædicti, & attentis causis, vt supra expressis decreuit P. A. R. Prouincialis, quod memoratus Fr. N. carceri manciparetur, data commissione P. Guardiano dicti Conuentus, vt Decretum præfatum executioni demandaret; cum hoc tamen, quod præ-

dicto Fr. N. non auferretur nec chorda; nec caputium, cum carcer non formalis, sed ad puram custodiam sibi detur. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. Consului.

Ego Fr. N. ita censui.

Ego Fr. N. ita consului.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Et intimato per me infra scriptum Actuarium præfato Decreto P. Fr. N. Guardiano Conuentus N., dixit, Se incontinenti esse illud executioni mandaturum. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Actuarius.

Anno Mense & Die quo supra comparuit coram me Actuario prædictus P. F. N. Guardianus, & retulit se in carcerem coniecisse præfatum Fr. N. modo & forma sibi præscripta ab A. R. P. Prouinciali.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Aduertendum est; quod cum ex carceratione, etiam ad custodiam, maxime lædatur bona Fama Religiosi, non est faciliter deueniendum ad eam, nisi vera, & realis, & legitima sit suspicio fugæ; & pro hoc videntur, quæ diximus Part. prima Titulo Pœnarum num. 79. pag. 271. circa ea, quæ reddunt de fuga suspectum.*

ADNOTATIO II.

IV. *Aduertendum secundò; quod; vt diximus Part. p. Titul. Reus nu. 6. pag. 659. datur carcer ad custodiam, non solum ob suspicionem fugæ, sed etiam, ex alijs causis, quæ possunt ibi videri. Si ergo Iudex ducat aliquem carcerandum, ex vna illarum debet petere simili modo consilium à Patribus peritis, sed in Decreto carcerationis debet exprimi causa illa, ob quam Periti consuluerint,*

luerint, & Iudex decreuerit carcerationem.

ADNOTATIO III.

V. Aduertendum tertio; quod ut diximus Part. prima Tit. Pœnarum num. 76. p. 270. non solum Prouincialis, aut Iudex Delegatus potest ad custodiam incarcerare, sed etiam Guardianus, Vicarius, siue etiam primus Discretus Conuentus in absentia illorum, ex causa urgentissima, & quando esset periculum in mora; de quibus vide ibi. Verum est, quod sicut Prouincialis, siue Delegatus tenentur petere consilium à Patribus peritis; pari modo se gerere debet Guardianus, Vicarius, Præses, siue Discretus Conuentus; & optimum est, quod scripto mandetur talis carceratio, ut possit, taliter carcerans docere de legalitate procedendi. Descriptio autem debet continere breuiter factum. Puta quod Fr. N. occidit, vulnerauit enormiter, vel mutilauit Fratrem N. &c. siue rixatus est cum eo, & iracundia indomita percitus, volebat eum aggredi, & interficere; siue volebat fugere Apostata de Conuentu, & latronibus sociari &c. Insuper consilium petitum à Discretis Conuentus; & quia periculum erat in mora, carcerationem fuisse executam. Sed de hoc dicemus, infra Sectio XI. num. LVI. & seqq.

ADNOTATIO IV.

VI. Aduertendum quarto, quod captura Rei, pro ut monet Textus Tit. Reus. §. II. debet fieri cum cautela, ne scandalum Sæcularibus ingeratur. Si verò enormissimum esset crimen, & maius damnum eueniret Religioni ex fuga Rei, quam ex scandalo, quod sequeretur ex ipsius captura; præstat illum capere; & etiam inuocare brachium Sæculare. Iudex ergo in tali casu in Decreto debet apponere causam, ob quam Patres periti consuluerint, & ipse decreuerit inuocare auxilium brachij sæcularis, pro Reo incarcerando. Circa inuocationem autem brachij sæcularis, & de Forma tenenda videantur, quæ diximus sup. Sectio II. num. XXXVI. in fin.

VII. Forma Decreti de Reo constituendo.

VII. Supposito eo, quod ordinatur in Textu Tit. Reus §. III., & nos pluribus in

locis demonstrauimus Parte prima, puta, quod Reus, non potest constitui, nisi sit prius probatus semiplenè delinquens; aut ad sint indicia equipollètia semiplenæ probationi, aliter Iudex mortaliter peccat; Reus non tenetur respondere, & acta sunt nulla; debet Iudex, maturè consideratis probationibus, ac indicijs vsq; tunc habitis, videre, an Reus sit semiplenè probatus delinquens, aut si adsunt indicia æquivalentia. Et ad hoc bonum est, quod Iudex videat, & attentè consideret, quæ scripsimus, Par. p. Titul. Reus nu. I. pag. 661. ubi congeessimus omnia indicia, per quæ probatur Reus semiplenè delinquens, & quæ equipollent semiplenè probationi. Confito autem sibi, quod vigeat semiplena probatio, debet Iudex ferre Decretum de ipso constituendo, cuius Formula potest esse, ut sequitur.

VIII. Cum ex hucusque actitatis appareat Fr. N. esse Reum de Furto commisso in Sacristia &c. seu de percussione illata Fratri N. &c. seu de proprietate &c. & debet compendiosè, exprimi Delictum, super quæ facta est Inquisitio; decreuit A. R. P. Prouincialis prædictum Fr. N. constituere, citare coram se, & illum examinare, & alia prout de iure profèqui. Acta sunt hæc Anno Mense Die &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XI. Forma citandi Reum absentem per literas.

Dedimus Sectione præcedenti sub numero XLV. Formam, iuxta quam citari per literas debeat Testis vocandus ab alio Conuentu. Eadem ergo præcisè Forma, quæ seruatur pro Teste tenenda est pro Reo. Proinde si Reus vocatus per literas extraiudicialiter datas non vult comparere, citandus est per literas iudicialiter, ut diximus de Teste loco sup. citato num. XLVI. Et si est contumax in non comparendo (siue vocatus per literas, siue in Conuentu sit, & coram Iudice comparere nolit) debet Iudex procedere ad Censuras, & carceres, ut diximus de Teste loco supra citato num. XLVIII. & seqq. & eadem est seruanda Forma, mutato solo nomine Testis, in Reum.

X. Forma citandi Reum fugitium.

Si Reus, patrato delicto, fugam arripuit; debet citari in modum absentis; hoc autem fit affigendo Monitorium, de comparando, in loco publico illius Conuentus, à quo fugit, ità tamen, quod tale Monitorium nequeat legi à Secularibus, nè scandalizentur. Proinde postquam in plena Communitate Fratrum fuit lectum per Actuarium, potest affigi ad valuas Refectorij, à parte postica. Debent autem omnia Acta describi, prout sequitur.

Cum Fr. N. grauatus indicijs in Processu ità reperiatur, vt verisimiliter appareat Reus de &c. *Et hic compendiosè describatur Delictum, super quo inquiritur, prout ex actis hucusque celebratis; ipseque Fr. N. fugam arripuerit Die ... &c. Mensis.... & Anni &c. à Conuentu N. in quo manebat, & iuerit Apostata à Religione vagus, & profugus, vt Notorium est, cum fuerit denunciatus Apostata, Excommunicatus in plena Fratrum Communitate, in prædicto Conuentu N. à P. N. Guardiano memorati Conuentus iuxta Ordinis Statuta; & cum pariter nesciatur, in quo loco prædictus Fr. N. Reus, vt præfertur, reperiatur, A. R. P. Prouincialis decreuit, ipsum citare ad modum absentis. Qua propter, iussit expediri per Me Actuarium, pro vt de iure, opportunum Monitorium, quod postquam ad mandatum eiusdem A. R. P. publicassem in plena communitate Fratrum, illud affigendum curauì ad valuas Refectorij, & ad Cellam, in qua manebat ante fugam prædictus Fr. N., ad effectum &c. Acta sunt hæc in Conuentu præfato N. Anno Mense Die &c.*

Ego N. Actuarius.

XI. Tenor autem Monitorij prædicti est, vt sequitur. Fr. N. Minister Prouincialis &c. siue Delegatus &c. Tibi Fratri N. ex aduerso principali authoritate Nostri Officij &c. siue commissioni Nobis factæ &c. tenore præsentium præcipimus, & expressè mandamus, quatenus, intra sex dies à publicatione præsentium numerandos, quorum duo pro primo, duo pro secundo, & duo pro tertio, & peremptorio termino assignantur, sub pœna confessorum criminum, & Delictorum, de quibus imputaris, & insuper aliorum iuxta Ordinis Constitutiones &c. debeas co-

Pars II.

ràm Nobis personaliter teipsum præsentare, ad teipsum excusandum, exculpandum, & defendendum ab infra scriptis criminibus, & excessibus per te commissis, & perpetratis; & signanter super eo, quod &c. *Et hic describantur Delicta, de quibus Accusatus, Indiciatus, aut probatus est Reus &c.* His peractis in fugam te dedisti, pœnas propterea, & Censuras in Sacris Canonibus, & Statutis Ordinis taxatas temerè contemnendo, & incurrendo, rebusque alijs &c. alioquin &c. Volumus autem præfens nostrum Monitorium Tibi personaliter, (si persona tua commodè haberi poterit,) sin autem Cellæ tuæ solitæ habitationis, & valuis Refectorij, (dimissis ibidem, affixisque copijs,) præsentari, & intimari. Illudque Monitorium sic, vt præfertur publicatum, & affixum, ità te arctare, & afficere, ac si personaliter, & magis legitimè intimatum fuisset. Certificantes nihilominus Te, quod si in dicto termino non comparueris, Nos ad declarationem, quod dictas pœnas incurreris, & ad illarum legitimam executionem contra Te procedemus. Dat. &c. *Et apponatur sigillum paruum Prouinciæ.*

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Anno... Mense... Die &c. comparuit coràm Me infra scripto Actuario Fr. N. & præstito iuramento retulit affixisse duas copias præiacentis Monitorij à Me ad hunc effectum sibi consignatas, ad valuas Refectorij, & ad Cellam, in qua morabatur prædictus Fr. N. sitam in Dormitorio communi versus meridiem &c. siue Orientem &c. cui Titulus est &c. & hoc in præsentia Fratrum N. & N.

Ego Fr. N. confirmo, vt supra.

Ego Fr. N. Testis.

Ego Fr. N. Testis.

Ego Fr. N. Actuarius.

XII. Forma recipiendi Reum fugitium Reuersum à Fuga.

Videnda omninò sunt, quæ scripsimus. Parte prima Titul. Reus- numero 46. circa Reum reuersum à contumacia, & petentem restitui in integrum. Sed sciendum, quod hoc potest diuersimodè accidere. Puta, vel Reus in se reuersus potest spontè redire; vel inuitus capi intra terminum in Monitorio

L

assigna-

assignatum; vel spontè comparere; vel per vim capi post expiratum terminum; & hoc adhuc dupliciter, puta vel antequam accusata fuerit contumacia iudicialiter, & lata contra eum Sententia diffinitiva; vel post eam. Sciendum ergo, quod vniuersaliter, & in quouis ex recensitis casibus prius debet Reus absolui ab Apostasia in forma consueta ad præscriptum Statutorum, & mox prosequi Causa, de qua fuit processatus. Quamuis vero ordinet Textus Titul. Reus §. 7. Quod Reus condemnatus in contumacia, releuari possit, & in integrum restitui, ad faciendas suas Defensiones, si tamen spontè reuertitur ad Iudicem; tamen ex indulgentia Iudicis, pro vt diximus Par. pr. citat. Tit. Reus sub num. 47. pag. 676. potest admitti, etiam si per vim capiatur. Porrò antequam sibi dentur Defensiones debet audiri ipse, & examinari; & ab eo sciri non tantum de Delicto, ob quod fuit inquisitus, sed etiam causa quare aufugit. Porrò diuersitas, quam supra innuimus, requirit tantum diuersitatem in recensendo Formam, secundum, quam Reus reuersus fuerit; sed circa modum, secundum, quem debet à Iudice examinari, idem debet esse in omni casu, & potest describi prout sequitur.

XIII. Anno....Mense....Die...&c. Fr.N. qui, vt supra in Actis constat, fuerat citatus per Monitorium, vt præfertur, publicè affixum in Conuentu N. siuè fuerat condemnatus in contumacia, vt ex Sententia contra eum lata sub Die &c. eo quia fugerat Apostata, postquam fuisset vagus per Dies &c. Et hìc exprimatür tempus durationis Apostasie. In se reuersus, & de commissa Fuga dolens, sponte ad Religionem redijt, siuè captus est, ex mandato A. R. P. Prouincialis, siuè P. Fr. N. Guardiani Conuentus N. Et postquam fuisset publicè in forma consueta absolutus ab Excommunicatione, & adhuc in carcere formali detineretur; siuè postquam in carcere formali ad præscriptum Statutorum Ordinis in pœnam Apostasie commissæ per tempus à iure sancitum fuisset detentus, volens A. R. P. Prouincialis Causam ex memorata Fuga prædicti Fr. N. Rei indicati, siuè conuicti, (si plenè per Testes, aut alia documenta conuictus fuerit) interruptam continuare vocare coràm se, & Me infra scripto Actuario ipsum fecit. Et sibi dato iuramento de veritate dicenda, ac grauitè monito de illius obligatione apertè veritatem Iudici interroganti, eo,

quia iuridicè interrogatur, cum ex actis constat ipsum Reum esse de &c. Et hìc exprimatür crimen, de quo formatus est Processus. Fuit Interrogatus. Quare, aufugerit Apostata?

Quare non comparuerit in tempore sibi assignato in Monitorio?

Quare non debeat condemnari iuxta intimationem sibi factam in dicto Monitorio?

Si iam condemnatus fuit, petat. Quare non debeat exequi contra eum Sententia, quæ fuit lata contra ipsum in contumacia?

Receptis verò responsonibus Rei, quas ipse adducet in Defensionem sui, & excusationem Fugæ, ita concludatur.

Quibus habitis, & si, & in quantum receptis, licet A. R. P. Prouincialis illa duxerit insufficientia ad excusandum Reum prædictum, contra quem, vt potè contumacem, ipso minimè audito deberet ferri, siuè exequi iam lata Sententia; tamen rigorem iuris temperando, & cum prædicto Reo misericorditer, & clementer procedendo, ipsum restituit in pristinum sui statum, antè litem contestatam; decreuitque ipsum opportuno tempore constituere, interrogare, & congruum tempus pro suis Defensionibus faciendis concedere. Acta sunt hæc Anno & Die quo supra &c.

Ego N. confirmo, vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XIV. Forma Recusationis Iudicis faciendæ à Reo citato.

Hanc Formam dedimus supra Sect. p. num. XXIII. Vide ibi.

XV. Forma constituendi, & examinandi Reum.

Quæ seruanda sunt à Iudice in constituendo, & examinando Reo, diximus Par. p. Titul. Reus à num. 17. pag. 664. & inde & ibi dedimus regulas à Iudice seruandas ad effectum habendi à Reo veritatem. Optimum proinde est eas attentè legere, & executioni demandare. Aduertendum pariter est, quod, vt explicauimus Par. p. citat. Titul. Reus num. 65. & seqq. si Reus reperitur Excommuni-

municatus, & hoc constet ex probationibus Testium debet antè examen absolui, si verò deprehenditur talis in ipsius examine, debet immediatè absolui, antequam ad ulteriora procedatur. Constitutum ergo Rei, potest describi, ut sequitur.

Anno Mense & Die &c. in Conuentu N. in Camera solitæ Residentiæ, & in quâ Tribunal exerat A. R. P. Prouincialis &c. vocatus, & constitutus fuit coràm prædicto Adm. R. P. Prouinciali, & me infra scripto Actuarius. Fr. N. Laicus, siue Clericus &c. Reus in hac Causa principalis, quo ad alios ætatis suæ annorum &c. prout dixit, Religionis verò &c. Et cum per legitimas depositiones Testium, prout in Actis, constet ipsum percussisse Fratrem N. & idè esse Excommunicatum, idem A. R. P. Prouincialis eum absoluit, ad effectum solum adstandi, & lectuendi in iudicio, & non aliter, & cum reincidentia, cum ipse non possit probare se fuisse absolutum. (Quod si de Excommunicatione antecederet non constet, debet omitti descriptio absolutionis.) Ex post declarato illi statu suæ Causæ, nempe, quod in actis habeantur ea, quæ requiruntur ad eum iuridicè constituendum, & interrogandum; præmissaque monitione, quod proprium crimen, stantibus indicijs, & probationibus, quæ contra eum in processu militant, sub æterna damnationis pœna, fateri teneatur, ac propterea delato ei iuramento de veritate dicenda super his, de quibus interrogabitur, pro ut iuravit, tactis Sacris Scripturis; siue tacto pectore, more Sacerdotali, ad sibi factas interrogationes respondit, ut infra.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis ?

Et si carceratus. A quo loco veniat ?

Si respondet se causam scire, aut saltem eam imaginari, Iudex subiungat, ut eam narret; & Reo incipiente narrare factum Iudex illum minimè interrumpat, sed sinat eum liberè dicere, & Actuarius sit accuratus, & velox in scribendo punctualiter ea, quæ dicit. Finita Rei narratiua; Iudex debet illi facere interrogationes, per quas clarè explicentur circumstantiæ loci; loci temporis, modi, formæ, armorum, &c. quas Reus non benè declarauit. Et aduertat Iudex monitum perutile omnium Criminalistarum, & est, quod Reo incipiente fateri crimen, Iudex perseueret in examinando, donec integram confessionem ab eo hauserit, nè

fortè illum pœniteat, & inceptam alias confessionem reuocet, obnubilet, aut turbet.

Habita tandem plena confessione faciat Iudex illi legi per Actuarium suam depositionem, cui subscribat, vel Crucis signum apponat; & bona etiam cautela est, ut Reus semper subscribat cuilibet paginae suæ depositionis, nè possit, (ut euenit aliquando à quibusdam nebulonibus) calumniari Iudicem, aut Actuarium, quod Acta vitiauerint, & se non ità dixisse in suo examine, prout scriptum reperitur. Tandem subscribant Iudex, & Actuarius.

Bonum etiam est in atrocissimo casu ad examen Rei adhibere duos Patres graues, quibus à Iudice imponatur formale præceptum silentij, & subscriant etiam ipsi examini factò.

Si verò, ut in pluribus fit, neget Reus scire causam ob quam fuerit vocatus; aut carceratus; Incipiat Iudex à generalioribus, & remotioribus indicijs suas interrogationes. Scio Criminalitas plerosque incipere ab inimicitia, interrogando Reum, an habeat inimicos, & quos, & qua de causa; & si reputet N. N. N. &c. Amicos, Viros probos, de quibus, non possit suspicari mendacium; &c. & hoc faciunt ne Reus possit reprobare Testes, qui ab eodem fuere probati, ut Viri integri, & minimè inimici. Sed talis præcis mihi non probatur, & est contra ius; etenim prout probauimus. Par. p. Tit. Reus numero 77. v. Septima est, Iudex non debet, interrogando, auferre Reo suas Defensiones; quærendo autem de Inimicis &c. illas aufert, quia spoliat Reum Exceptione de inimicitia, quam potest Testibus obijcere. Melius ergo fiet, si ab his absteineat, & sinceriori indagine veritatem præscrutetur, & potest sic profsequi.

Interrogatus. In quo Conuentu maneat de familia ?

Quod Officium ibi habeat ?

A quo tempore ibi degat ?

Qui sunt Fratres ibi commorantes ?

Tali Mense, & Die, vbi erat ipse interrogatus ?

An tali tempore acciderit in Conuentu aliquod inconueniens, & dicat quod ?

Quomodo hoc sciat ?

Supponamus autem aliquem Fratrem de nocte fustibus cesum. Interrogatus. An audierit Fratrem N., quem dixit fuisse percussum, quando clamauit accurrite, accurrite; assassinatus sum ?

Quæ hora noctis tunc erat ?

Si dicit non audiuisset. Interrogatur.
Vbi erat illa hora ipse examinatus?

Si erat in Cella quomodo, non audiuit vocem ita vehementem, & strepitum, & tumultum Fratrum, qui accurrerunt?

Si erat extra Cellam in quo loco erat?

Quid faciebat ibi?

A quibus visus est ibi?

Si audiuit vocem clamantis, quare non accurrit in auxilium?

Quid poterat metuere si audiuit alios Fratres accurrentes?

Si accurrit etiam ipse quomodo viderit Fratrem N. percussum?

An sanguis efflueret?

A qua parte corporis?

Quot, quales, quantæ, & in quibus membris apparebant contusiones?

Quosnam alios Fratres ibi viderit?

Quid dictum tunc fuit de percussore?

An ibi repertum sit lignum, quo percussus fuerit?

An illud agnosceret si sibi præsentaretur.

Et instrumentum percussoris, siue lignum, siue aliud sit, quod fuerit repertum, & Iudici præsentatum debet Reo ostendi, & describi ita.

Et ad mandatum A.R.P. Prouincialis fuit præsentatus baculus, siue ferrum, siue culter, siue saxum &c. quod fuit repertum apud Vulneratum sanguine tinctum, & in actis fuerit consignatum, & descriptum, prout supra; quod videns prædictus Frater N. Reus dixit &c. *vel Interrogatus.*

An illud sit lignum, quod ibi vidit?

An sciat quisnam percussit Fratrem vel saltem suspicetur?

Quare ita suspicetur?

An Frater N. percussus sit homo rixosus?

Cum quo rixatus sit; & quoties, & quando, & qua de causa, & coram quibus & quomodo hoc sciat?

An prædictus percussus habeat inimicos, & quos, & ex qua causa, & de causa scientiæ?

An ipse rixatus vnquam sit cum prædicto, & qua de causa, & quibus præsentibus?

An ipse die præcedenti, vel in illo sero ceciderit, vel impegit caput in parietem, lignum trabem, ex quo liuor apparuerit sibi in facie; siue excoriatura, vel scarificatio, aut alius tumor in brachio, manu pede &c. Qua occasione tale malum sibi fecerit?

Quis illud viderit?

An in sero illius diei ipse fuerit in loco in quo asseruantur ligna ad cremandum?

Quid faciebat ibi?

An aliquod lignum asportauerit?

Ad quem usum tale lignum secum tulerit?

An vllus Fratrum illum viderit cum tali ligno?

Quid ei dixerit ille frater?

Quare lignum illud tunc sub mantello absconderit?

Quonam illud detulit?

Quid dixerit die, & loco tali, postquam ipse interrogatus iurgatus est, cum Fratre percusso?

An rixa fuerit tantum verbalis, an potius etiam cum insultu vnus aduersus alium?

Quis prior insurrexerit contra alium, ipse interrogatus, an Frater percussus?

An ad manus tunc venerint?

A quibus Fratribus fuerint separati?

Post prædictam rixam, quo abiit ipse interrogatus?

An esset tunc solus, aut comitatus fuerit ab alijs Fratribus, & a quibus, & quid dixerit?

Monitus, vt dicat veritatem, quia in Processu constat, quod ipse minatus tunc sit Fratri percusso, & dixerit ita, & ita &c. An prædictas minas ex post executus sit?

An ex post Frater percussus aggressus sit ipsum examinatum, quo tempore, quo loco, quibus armis, quibus videntibus, aut audientibus, & quid sibi fecerit?

An ipse examinatus vnquam habuerit rixam cum alijs Fratribus, & eos percussit?

Quomodo potest negare hoc, cum sit publicum, & notorium, siue per Testes constet, quod tali tempore, in tali Conuentu &c. pugnis, saxo, ferro &c. percussit, seu sauciauerit Fratrem N.?

Qua de causa illum percussit?

Fuit ei dictum, ergo pari modo percussisti etiam Fratrem N. cum quo conuictus, & confessus, es te fuisse rixatum. Si tu non percussisti quis ergo eum percussit?

Et cum hora esset tarda, A.R.P. Prouincialis examen interrupit pro tunc, intendens tamen illud tempore congruo, & sibi opportuno, continuare; & lecto per Me Actuarium clara, & intelligibili voce

examine ipsi Reo, cum nihil addere, vel minuere, illi voluisset dimissus est; siue ad carceres reductus fuit.

Ego N. confirmo vt supra.

Ego N. Assistent.

Ego N. Assistent.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XVI. Aduertendum, quod plerique Criminalista, in suis ipsorum Formularijs, dispartuntur examen Rei ante Torturam in tria Constituta, ex quo factum est, quod parum periti rerum criminalium opinati sunt, quod Reus, ter tantum possit ante Iudicem sisti, & examinari. At opinio hac erronea est, quia, vt diximus, Par. p. Titul. Reus. potest Iudex, quoties opportunum ad Cause expeditionem iudicauerit, examinare Reum. Distinguitur vero à Criminalistis examen in tria Constituta, non ex eo, quod primum Constitutum e.g. dicatur primum examen, quando prima vice Reus ante Iudicem sistitur; & secundum, quando secundò examinatur &c. Sed distinguitur examen in tria Constituta sic, quod primum est, in quo Iudex de remotioribus à Delicto Reum interrogat; & examinat illum tantummodò super indicijs habitis à Testibus, & quasi perfunctorie facit vnam, vel alteram interrogationem super Delicto principali. Reo autem existente negatiuo, in secundò Constituto interrogat super Delicto principali; sibi obijcit indicia, quae constant; legere facit dicta Testium contra eum; opponit contradictiones, quas Reus dixit in suis examinibus; ipsum redarguit; fatigat interrogationibus; argumentis stringit, vt confiteatur. Porro in tertio congerit omnia indicia, Testium probationes, instrumenta, scripturas &c. & illa obijcit Reo ad effectum ipsum remouendi ab obstinatione, in qua persistit in negando; ipsum monet, quod deuenietur ad examen rigorosum, nisi confiteatur de plano; minatur Torturam, & nihil intentatum relinquit, vt ipsum ad optatam confessionem perducatur; ita vt ista tria Constituta sint quodammodo tres Canonicae monitiones, antequam deueniatur ad infligendam pœnam tormentorum. Potest ergo esse; vt frequenter sit, quod in primo examine nequeat Iudex interrogare Reum, neque ab eo habere responsum super omnibus indicijs remotis. & proximis, ita vt cogatur pluries eum examinare super puris indicijs,

vt praefertur; omnia ergo illa examina, quae de indicijs sunt, etiam si essent decem, integram primum Constitutum tantum.

ADNOTATIO II.

XVII. Aduertendum secundò; quod indicia, super quibus in primo Constituto debet examinari Reus pro veritate, & delictorum, & circumstantiarum, sunt ita multiplicia, vt impossibile sit, de omnibus specialiter interrogationes, à Iudice faciendas, describere. Assumpsimus in Superiori Formula pro exemplo casum percussione, ad cuius instar informari poterit Iudex de modo regulandi in ceteris delictis. Tamen ad plenorem instructionem, & vt, quantum fieri potest, demus Regulas interrogandi pro omnibus casibus, sciendum est, quod indicia alia sunt specialia, & proxima; alia sunt generalia, & remota. Ratio, & modus interrogandi de primis debet haberi à depositionibus Testium, & proinde de illis themata dare non possumus, sed Iudex ex ventre depositionum ea debet excerpere. De generalibus vero, & remotis aliqualem Regulam possumus dare.

Aduertendum autem, quod omnia Delicta possunt nasci ab irascibili; vel à concupiscibili, ista enim sunt duo radices maleficiorum. Ab irascibili procedunt percussio, vulneratio, homicidium, proditio, venenatio, calumniatio, falsificatio, coniuratio, conspiratio, subornatio, detractio, infamatio, & omnis alius modus, per quem proximo nocetur.

A Concupiscibili vero crapula, ebrietas, Adulterium, Defloratio, Stuprum, Crimen inuominabile, Sollicitatio ad turpia, Furtum, Proprietas, Simonia; & omnia alia per quae satisfi appetitui sensus, seu spiritus ambitiosi. Verum est, quod nonnulla, ex recensitis possunt promiscue oriri, vt furtum, Proprietas, Falsum, Apostasia, Detractio, &c. siquidem aliquis potest ita furari, esse proprietarius &c. vt, per pecuniam, mulierem corrumpat, siue Electores, & per hoc satisfaciat libidini, vel ambitioni; vel vt Mandatarium remuneret pro homicidio Inimici, & sic irascibili satisfiat. Tamen ad illa duo principia crimina reducuntur. Habent autem illa duo principia differentia indicia generalia, & remota, per quae regulariter loquendo, conijci à Iudice potest, quod delictum fuerit commissum, & de his Iudicem informamus, vt interroget. Siquidem in Delictis percussione, vulnerationis, homicidij &c. Interrogari debet Reus.

An altercatus sit; an rixatus; an pro-uoca-

uocatus; an contumelijs, conuicijs, detractionibus impetitus fuerit ab N. qui vulneratus est?

An rinalitatem cum eo habuerit ob Prælaturam, Officiam, Dignitatem, Magisterium obtinendum?

An fuerit ab eodem Accusatus, Denunciatus, grauatus, impeditus, iniuriatus in persona sua, vel suorum?

An sit Familiaris, amicus, Coniunctus, Factionarius Inimici Notorij ipsius examinati. *Omnia enim hæc indicia sunt Inimicitia, ob quam solam memorata Delicta committi possunt. In alijs verò Delictis carnis, differentia sunt indicia, puta conuersatio Familiaritas, colloquia, sequestratio, risus, ioci, nutus, tactus manuum, laudatio pulchritudinis, munera, literæ, & alia huiusmodi. In his verò potest Iudex interrogare.*

An Reus frequenter allocutus sit cum Muliere?

Vbi, quoties, quando, quibus præsentibus?

Quid negotij secum habuerit?

Quid sibi dixerit?

De quo riserit secum?

An sequestratus à Socio locutus fuerit?

Ad quid munera dederit?

Quid ad eam scripserit?

Cur Domum frequentauerit?

Cur affectauerit visitare in absentia Mariti, Matris, Fratrum, seu Coniunctorum? &c.

Ex omnibus enim his concluditur amor concupiscentia, erga illam. Porrò alia sunt indicia generalissima, quæ quadrant in omni crimine; & sunt consuetudo delinquendi in illo crimine; mala Fama, vita relaxata, indeuotio, fuga orationis, & huiusmodi, & ad habendam de his confessionem ab ore Rei debet interrogari.

Quare, & ob quod crimen fuit Sententiatus tali tempore?

Quare pœnitentiatus in Visitatione tali tempore?

Quare confusus à Guardiano tali tempore?

Quare refutatus de Familia ab omnibus Guardianis ita, vt coactus sit Prouincialis dare illi Obedientiam apertam, vt inueniret beneuolum Receptorem?

Ex istis enim cogetur fateri indicia illa, quæ memorauimus supra. Præter hæc, sunt alia adminicula, puta complexio biliosa, &

promptitudo ad iram, quæ facit ad percutiendum; complexio saturnina, & maligna, quæ inclinatur ad nocendum per oblocutiones, produtiones, veneficia, auaritiã; & complexio sanguinea, quæ incitat ad libidinem, amorem impudicum &c. Et super his potest pariter à Reo querere Iudex, & interrogare.

Quare tali tempore ex simplici verbulo tantum excanduit contra N.?

Quomodo tot amicitias, & Familiaritates habeat cum sæcularibus maximè feminabus?

Quare victu communi, non sit contentus, sed obsonia particularia, vnaque pretiosa procuret?

An diuites coniunctos habeat, à quibus talia habeat? &c.

Adminicula autem ista valde conferunt ad intentum, si quidem per ea supletur aliquando defectus in Testibus, & etiam roborantur indicia, vt passim dictum fuit Parte prima.

XVIII. Forma secundi Constituti.

Dictum est in Superiori Adnotatione, quod in primo Constituto debet Iudex Reum interrogare super indicijs remotis, & generalibus; in secundo verò debet urgere illum depositionibus Testium, & interrogare super indicijs specialibus, tanquam efficacioribus medijs ad extorquendam ab eo confessionem. Porrò indicia hæc, vt dicebam, excerpenda sunt ex ventre depositionum Testium, & non potest de omnibus singillatim tradi regula ininterrogandi. Ideo tractabimus materiam continuando exemplum Cause, quam supra assumpsimus, ex qua Iudex poterit desumere modum, quo se regere debeat in facti contingentiã. Erit ergo, vt sequitur.

Anno... & loco, quo supra Mense uocatus fuit coràm A.R.P. Prouinciali P. Fr. N. Reus, qui supra, Die verò &c. qui monitus, & iuratus, prout iurauit tacto &c. ad opportunas interrogaciones respondit, vt sequitur.

Interrogatus. An ipse Constitutus benè recogitauerit de periculoso statu sue salutis in persistendo in periurio, & se disposuerit ad fatendam veritatem? *allert*

Quomodo audeat afferre se dixisse veritatem in primo Constituto, cum ex pluribus indicijs, & probationibus constet ipsum percussisse Fratrem N.?

Quis ergo eum percussit?

Quo-

Quomodo audes dicere nescire percussorem, dum tu ipse percussor fuisti?

Nullus rixatus est, nullus minatus est Fratrem N. nisi tu; quis ergo, nisi tu, potuit tale maleficum fecisse?

Qui sunt illi maleuoli, quos tu dicis potuisse arripere occasionem ex rixa, quã habuisti cum Fratrem N. ipsum percutiendi?

Si ergo neminem nescis in indiuiduo assignare, & quomodo audes dicere, alios fuisse percussores?

Potest ne dicere P.P.N. & N. Sacerdotes graues, & Senes tale facinus comississe?

Potest ne asserere P.P.N. & N. Amicos, & Familiars ipsius P.N. ipsum verberasse?

Potest ne dicere, quod Fratres N. & N. Clerici, qui nec causam, nec rixam, cum eodem habuerunt, ipsum percusserint?

Potest ne rationabiliter dicere, quod Fratres N. & N. Laici deuoti, & mortificati, qui sunt filij spirituales ipsius Patris N. ipsum verberauerint?

Si nullus ergo, vltra istos, erat tunc in Conuentu, nisi tu, tu solus hoc crimen commisisti?

Dictum ei fuit Resipisce miser, nec ad euadendam temporalem pœnam, illaquea te æterna, dicas, Quare dum omnes Fratres accurrerunt ad vocem clamantis, tu solus non comparuisti, vt opem ferres?

Quomodo non audiuisti, cum es set talis clamor, quod Fratres N. & N., qui erant vndè distantes accurrerunt, & tu qui eras vicinus non audiuisti?

Quomodo dicis tali tempore esse somno oppressum, si dixisti in primo Constituto, te non solere ire cubitum nisi hora tertia noctis, & percussio fuit paulo post horam secundam?

Quomodo dicis te fuisse lassum ex itinere facto, si dixisti supra tali die non exiisse à Conuentu?

Nonne rixatus es cum P.F.N. percusso post prandium illius diei in camera ignis communis?

Nonne paulo ante completorium fuisti in lignario?

Ergo non fuisti extra Conuentum, nec lassatus es ex itinere, prout dixisti?

Cum quo Socio existi, & ad quid, & quo petente Licentiam exeundi?

Quomodo recordaris exiisse, e Conuentu, & non recordaris Socij, cum quo fuisti?

Nonne fuisti ad Cellam Fratri N. percussi tempore, quo ipsi alligabantur vulnera?

Si ergo profundè ita dormiebas, vt non audieris vocem clamantis, & quomodo expergestus es, dum amplius non fiebat strepitus?

Nonne ipse Fr. N. percussus exprobat tunc tibi, qua fronte ausus fuisti illum adire, postquam ipsum tam enormiter percussisti?

Nonne respondit tibi, quod si tua lingua mentiebatur, facies tua mentiri non poterat, ex eo, quod apparebant sculpturæ, quas ipse vnguibus tibi fecerat in facie ad sui defensionem, quæ fuerunt visæ tunc ab omnibus; & per nonnullos dies perdurarunt?

Respondit &c.

Videns autem A.R.P. Constituti pertinaciam, illum denuò paternè monuit dicens Vide Frater tu curas de corpore, non de anima; metuis pœnas sæculi, non inferni. Peccasse, fragilitatis est; sed peccatum negare coràm Deo, cuius locum teneo, Diabolicum est; moneo ergo te, vt relinquas obstinationem, veritatem fatearis, & ita temperamentum pœnæ merearis. Dicas ergo, quisnam percussit Fratrem N.?

Tunc Pater Prouincialis, videns animum ipsius obfirmatum in denegandaveritate, voluit examinis continuationem in aliud tempus differre; ad hoc, vt Reus haberet occasionem meliùs de se cogitandi, & se disponendi ad fatendum crimen. Iussit tamen sibi priùs legi suam depositionem, & ab ipso subscribi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. confirmo vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XIX. Forma tenenda in vltimo Constituto Rei.

Anno ... Mense ... Die & loco &c. adductus coràm A.R.P. Ministro Prouinciali P. Fr. N., qui supra grauibus, & exhortatorijs verbis fuit monitus, vt, consulens animæ suæ, à tot periuriis tandem desisteret, quot fuere mendacia, quæ in Superioribus Constitutis asseruit; & de nouo iuratus, prout iurauit tacto pectore &c. ad sibi factas interrogationes respondit, vt sequitur.

Inter-

Interrogatus. *Quam ob causam percussit Fratrem N.?*

Quomodo audeat negare hoc, dum omnes Testes quotquot fuere examinati affirmant ipsum fuisse percussorem?

Audias, (ait R.A.P.) & confusus per eorum dicta, veritatem tandem confiteare. Et ad mandatum eiusdem A. R. P. lectæ sibi fuerunt depositiones Testium, & signanter dicta primi Testis supra fol. &c. Secundi Testis supra fol. &c. & sic deinceps, donec omnia dicta Testium sibi obiecerit. Tunc R.A.P. quid dicis ad hæc, quomodo audes negare?

Respice in me, quomodo non confunderis coràm Deo, cuius locum teneo, negare, quod tot boni Religiosi cum iuramento affirmarunt?

Vide miser præcipitium tuum non es contentus falsitatem cum Diabolo defendere, & veritatem contra Deum impugnare, sed etiam Viros probos calumniaris, & audes illos periuros, falsosque Testes dicere?

Sed quid dicis ad manifesta indicia, quæ militant contra te?

Potesne negare, quo tali die &c. post prandium coràm P.P. & Fr. Fr. N.N. & N. altercatus sis cum Fr. N. percusso ob causam talem &c. dum esses ad ignem communem, & protulisti contra ipsum verba talia, &c. & non solum hoc, sed, arrepto titione, volebas ipsum percutere, nisi fuisses retentus à P. N. qui apprehendit te per brachium, & adduxit in Dormitorium?

Potesne negare te in dormitorio dixisse coràm P. N. & N. quod omni modo volebas te vlcisci contra eundem Fr. N. & ipsum apprehendisses in tempore, quo à nemine posses impediri?

Potesne negare, quod post Vesperas, & paulò ante completorium tu iuisti ad lignarium, & lignum inter alia delegisti, & interrogatus à Fr. N. Coquinario, qui illic aduenerat, quid volebat facere de illo ligno, tu respondisti *velle illo reddere sensatum quendam fatuum*, quæ verba fuere audita etiam à Fr. N. qui superuenit dum Coquinarium quærebat?

Potesne negare te, dum à lignario exires, obuios habuisse Patres N. & N. redeuntes ab horto, & quando eos vidisti abscondisse lignum sub mantello, & dum te interrogassent quid nam absconderes, te illis responsum non dedisse, sed concito passu, timens, nec vellent videre quid-

nam gerebas, ascendisti scalas dormitorii, & iuisti ad cellam, qua festinanter clausa, ad ipsos, qui iuerant ad ignem, reuersus es?

Potesne negare in illo fero, præter morem tuum, quo solitus es post primam noctis ire cubitum, circumisse per dormitorium, & claustrum; & dimissis calepodijs, induisse sandalia contra morem tuum & quæfuisse à Fr. N. Clerico, an ipse vidisset Fr. N. percussum &c. & Clericum prædictum tibi respondisse, illum manere adhuc in Ecclesia?

Potesne negare, quod dum ipse Fr. N. exisset ab Ecclesia, & scalas ascenderet, tu qui stabas in insidijs cucurristi post eum, & ipse audiens sonitum gressus tui, sibi que timens, relictis calepodijs, velociter ascendebat scalas, & tu cæpisti illum percutere, & ille fugiebat, teque prosequente percutere, ipse magna voce clamare cepit, *accurrite, accurrite, sum assassinatus*, teque ferocius percutiente, ipse in obscuritate, (dum lampas dormitorij fuerat contra consuetum extincta) faciens de necessitate virtutem te amplexatus est, & unguibus scalpsit tibi faciem, & brachium, & digitum manus tuæ momordit, & sculpturæ visæ sunt à Fratribus in illo fero, & per plures dies durarunt, & à morfu curatus fuisti per Chirurghum?

Potesne negare, quod accurrentibus omnibus Fratribus in auxilium, Tu solus non comparuisti, quod repertum fuerit lignum, quo eum tutudisti, quod fuit recognitum à Coquinario, esse illud idem, quod tu acceperas in lignario paulò antè Completorium, & dimisisti in loco delicti, quando audiens Fratres accurrentes; fugisti in Cameram tuam?

Potesne negare, quod tu comparuisti quadrante horæ post factum in cella Fratris N., vbi erant assistentes cæteri Fratres, ad illum curandum à contusionibus, & quando ille te vidit dixit ad te, & audes adhuc venire ad conspectum meum postquam me assassinasti; & dum tu negasti hoc fecisse, ipsum replicasse, *lingua tua mentitur; sed facies tua verum dicit; videte Fratres sculpturas unguium, quæ produunt malefactorem*, & dum ad illa verba Fratres Conuersi sunt ad te, tu mutus statim abiisti?

Quomodo ergo potes negare tot indicia, per tot Testes probata?

Dicas nonne curatus fuisti à Chirurgo in digito minimo manus?

Quomodo hoc negas si in primo examine hoc confessus es ?

Quis ergo te fauciauit in digito?

Nonne per duos dies fuisti in camera, nec audebas comparere ob faciem deformatam scalptura vnguium ?

Respondeas. Ad quid arripere illum baculum, & sub mantello abscondere ?

Hoc nequis negare. Responde.

Aduertat Iudex, quando Reus incipit titubare, verba confundere, pallere, plorare, sudare, suspirare, anbelare &c. tunc magis urgeat eum, & fatiget interrogationibus, & dicat Da gloriam Deo, dic veritatem, responde citò. Et altiori, & imperiosa voce sic dicet Actuario. Scribe. Et cœpit tremere, & pallere, sudare, suspirare &c. Mox premat ipsum. Quare gemis, suspiras, sudas, tremas &c. Nonne vides te veritate confusum ?

Responde. *Et in hoc anfractu Iudex fixos, ac intentos oculos in Reum teneat, iubeatque Reo, qui à Iudice oculos diuertit, vt in se illos conuertat, & urgeat eum sic.*

Quare faciem meam non sustines, & oculos meos effugis?

Miser nonne vides, quod facies tua te arguit, & prodit conscientiam læsam, quam lingua denegat?

Quod si me hominem non latet, quomodo euasurum te esse, confidis, iudicium Dei omnia intuentis?

Confitere ergo delictum tuum. An ne tu percussisti Fratrem N. ?

Videns autem Reu. Adm. Pater se nihil proficere monitionibus, exhortationibus, obiectionibus, rationibus, & argumentis præfato Reo pluries replicatis, & obiectis, ipsumque pertinacem, & obstinatum in negando, decreuit ipsum pro tunc dimittere, & opportuno tempore, de iure agenda perficere. Et lecto sibi suo examine, cui subscripsit dimissus est &c.

Ego N. affirmo vt supra.

Ego Fr. N. Minister.

Ego F. N. Actuarius.

XX Forma cogendi Reum nolentem respondere, aut non respondentem præcisè; aut vacillantem, aut sibi contradicentem, non concordatis dictis contradictorijs.

Possunt dari casus, quod Reus in primo Constituto, siuè alijs nullum det responsum
Pars II.

interrogatorijs Iudicis; vel respondeat cum ambiguitate; vel nolit præcisè respondere per verba affirmatiua, aut negatiua; vel modo asserat, modo neget, iterumque asserat, iterumque neget; vel sibi in vno, & eodem, siue diuersis Constitutis contradicat, sibiq; à Iudice obiecta contradictione, eam nequeat conciliare, tali casu debet cogi per torturam, quem admodum diximus, Par. prima Titul. Reus in Comment. §. 6. Supponimus autem, quod ex ventre depositionis ipsius Testis, & ex Actis processualibus tam evidens sit contradictio, vacillatio, & obstinatio in non præcisè respondendo, quod nulla queat tergiversatione celari, & tali casu nullæ dandæ sunt Reo defensiones ante Torturam, sicut diximus pariter de Teste supra. Sect. IV. numero LX. Sed apud Nos, peti debet consilium Diffinitorij, siuè aliorum Patrum peritorum, vt habet. Textus Titul. Tortura §. III. potest ergo deueniri ad Decretum Torturæ describendo factum, vt sequitur.

Cum Fr. N. Reus, qui supra, pluries Constitutus coram A. R. P., & ab eo Interrogatus; noluerit interrogationibus congruam responsionem dare; sed dixerit, se non recordari; nihil scire &c. & monitus vt ad interrogata responderet, easdem penitus responsiones dedit; & iterum atque iterum monitus, cominataque ipsi Tortura nisi adæquatè respondere disponderetur, spretis exhortationibus, monitionibus, atque comminationibus sibi factis durus, & obstinatus pertisterit in eisdem responsionibus, nec aliud ab eo haberi potuerit.

Siue Interrogatus vacillans fuerit in suis dictis, dum in primo Constituto in folio &c. dixerit hoc, & hoc &c. & ponatur præcisè eius dicta; mox in alio examine, vt patet in Processu folio &c. dixerit contrarium, vt hoc, & hoc &c. exinde in alio Constituto fol. &c. dixerit hoc, & hoc &c. iterumque in alio examine asseruerit contrarium, vt patet in actis fol. &c. vbi dixit hoc, & hoc.

Siue Interrogatus, vt assertiuè deponeret, semper dubitatiuè, & hæsitanter responderit per verba, mihi videtur; si male non recordor; potuit esse &c. & monitus ac pluries, instatus, & exhortatus, vt præcisè, & assertiuè responderet, est, vel non; fuit, vel non fuit &c. ipse verba futilia dedit. Dicendo quod dixi dixi; quod dixi scriptum est; me remitto ad supra dicta &c. nec per replicatas instantias, exhortationes, monitiones, & comminationes Torturæ

remoueri potuerit à sua pertinacia in dandis eisdem præcisè responsionibus.

Sive Interrogatus in plures contradictiones dederit, cum in suo examine facto sub die &c. vt apparet in Actis fol. &c. dixerit hoc, & hoc &c. & ponantur eius dicta; postea in alio examine sub die &c. fol. &c. dixerit contrarium, nempe sic, & sic &c. itidemque in primo examine supra dicto deposuerit hoc &c. & in alio dixerit oppositum puta &c. & obiectis sibi ab A. R. P. prædictis contradictionibus eas nec conciliare, nec negare potuerit; *Decreuit*, iuxta Ordinis praxim, laudare consilium R.R.P.P. Diffinitorii; *sive* Patrum Peritorum Conuentus N. super tortura, quam, ex legum præscripto, tenetur inferre prædicto Reo, ob supra dictam causam. Vocatis ergo in cameram suæ residentiæ R.R. P. P. nempe P. N. Exprovinciali, P. N. Guardiano P. N. Lectore Theologo aperuit illis statum causæ, & per Me Actuarium legi fecit acta ad prædictam causam, & Articulum facientia. Quibus lectis petiit, vt sibi consulerent num grauiter, num mediocriter esset prædictus Reus torquendus, quodque genus torturæ sibi conuenientius videretur. Qui matura discussione præmissa, dixerunt, ipsum Fr. N. tamquam contumacem in non parendo Iudici, & in non danda præcisa responsione &c. *sive* tamquam dolosè vacillantem, &c. *sive* tanquam periurum, ex eo, quod est inter duo contradictoria &c. deberi carceri mancipari, & ieiuniis macerari donec discedat ab obstinatione; *sive* per tot dies, &c. & si hoc non profuerit, posse A. R. P.; pro sui arbitrio, alia tormenta adhibere, donec Reus obediat; sed quo ad durationem se remittebant arbitrio A. R. P. Prouincialis. Acta sunt hæc Anno ... Mense... Die ... &c.

Ego Fr. N. ita consului.

Ego Fr. N. affirmo.

Ego Fr. N. consului, vt supra.

Ita est Ego Fr. N. Minister.

Ego Fr. N. Actuarium.

XXI. Consequenter idem A. R. P. inherendo consilio sibi per supra dictos Patres dato, & præmissa protestatione, quod præcisè ad Torturam deuenire intendit ob prædictam variationem; *sive* vacillationem; *sive* contradictionem; *sive* ad expugnandam obstinationem ipsius Fratris N. vt det responsum congruum, & præcisum

ad sibi factas, & de nouo faciendas interrogationes; & saluis iuribus Curie acquisitis circa principale decreuit, pro vt præsentis Decreto decernit prædictum Fratrem N. esse carceri mancipandum, vbi pane, & aqua sustentetur per tot dies &c. *sive* donec paratus sit, congruum responsum dare &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarium.

Et cum per Me Actuarium intimatum fuisset prædictum Decretum P. N. Superiori Conuentus, vt curaret illud executioni demandari, se paratum demonstrauit, & paulo post reuersus mihi retulit prædictum Fr. N. esse incarcerationatum iuxta mandatum Adm. R. P. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Actuarium.

XXII. Forma examinandi Reum tortum, vt supra, ob variationem, contradictionem, vacillationem, vel pertinaciam in non dando responso præciso.

Si Reus, dum est carceratus, mittit Custodem Carceris ad Iudicem dicendo, se paratum esse, dare congruas responsiones interrogationibus sibi faciendis; potest Iudex illum ante se adducendum curare, & examinare prout supra dictum est, ad exigentiam causa; Et in processu potest describi factum secundum Formam datam supra Sectio IV. num. LIII. de Teste, recedente à pertinacia, examinando.

*Si verò fuerit carceratus, & sic tortus, ob vacillationem, varietatem, *sive* contradictionem, ad purgandam maculam periurij & ad videndum in quo dicto præcisè persistere intendat; debet Iudex, postquam per tempus conueniens, & prout ipse expediens iudicauerit, Reus fuerit ita tortus per Carcerem, & ieiunia, illum denuò examinare, & totum describi, prout sequitur.*

Cum per Dies &c. & hic exprimat^rur numerus dierum. Frater N. Reus, qui supra &c. ex causa & causis prememoratis, ex Decreto A. R. P. fuisset in Carcere detentus, & ieiunio in pane, & aqua maceratus &c. volens idem A. R. P. Prouincialis ad expeditionem Causæ procedere, & ab eo scire, in quo dicto, ex supra recensitis à se asertis, velit persistere, iussit illum coram se adduci, & sibi dato iuramento de veritate

tate dicenda, prout iuravit tacto &c. fuit.

Interrogatus. An tandem se disposuerit ad dicendam veritatem?

Quomodo potest asserere veritatem dixisse dum tam varia, & contraria deposuit?

Fuit ei dictum, vt denuò dicat quomodo fuit tale, & tale factum. *Et hic querat Iudex de illis factis circa, qua Reus fuit vacillans, contradictorius &c. & habita responsione subiungat.* Tu aliàs, de hoc eodem facto à Me interrogatus, respondisti hoc, & hoc &c. modo dicis sic, & sic &c. ista dua responsa, non possunt esse ambo vera, sed necessitate vnum est verum, & aliud falsum. Dicas ergo, quod nam est responsum verum, in quo perstitis?

Fuit ei dictum, qua de causa dicis hoc responsum esse verum, & aliud falsum?

Quomodo asseris, hoc esse verum dum Testes dicunt contrarium?

Fuit monitus ne ad pœnam temporalem effugiendam incurreret æternam mentiendo, dicat ergo quomodo non est magis vera alia responsio, cum sit magis conformis dictis Testium?

Et cum pluries fuisset monitus, & exhortatus ab A.R.P., vt sibi ob oculos posito timore Dei puram veritatem diceret; semper perstitit in eodem responso. Et lecto sibi suo examine, & ad mandatum Ad. R. P. dimissus est; siuè ad carceres reductus &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. deposui, vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XXIII. Aduertendum, quod potest evenire, quod Reus pertinax in non danda præcisa, & adæquata responsione interrogationibus sibi factis, non se disponat per Torturam Carceris, & ieiunij ad recedendum à pertinacia, & consequenter non mittat ad Iudicem, vt numero superiori diximus. Tali casu debet Iudex, transactis aliquot diebus sibi bene visis à carceratione, illum examinare, instando, vt congruam responsionem det ad interrogata. Si illam dederit, benè quidem; si verò perseueret, dicendo nihil scio. Sum innocens; quod dixi, dixi; quod dixi scriptum est; me remitto ad dicta &c. Iudex bis, & ter moneat, vrgeat, & instet, vt recedat ab obstinatione; & si videt nihil proficere, decernat augmentum Torturæ pro

vt infra, & si Reus ab illo appellet, non curet de Appellatione, illam reiiciat, & illa non obstante, ad executionem Decreti deueniat. Porrò Forma decernendi augmentum Torturæ debet esse talis.

Cum comperisset A.R.P. Prouincialis Fratrem N. prædictum Carcerem, & ieiunium iniunctum nihili pendere; nec per illa moueri ad relinquendam pertinaciam suam, in non danda congrua, & præcisa responsione ad interrogata, decreuit, pro vt præsentí Decreto decernit, quod Fratri N. prædicto, vltra carcerem, & ieiunium in pane, & aqua ponantur pedes in compedibus, & vinculis ferreis alligetur, vt ex maiori Tortura resipiscat, & à pertinacia recedat. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Et intimato, per Me infra scriptum, supradicto Decreto Fr. N. Custodi carceris, promisit se illud statim executioni demandaturum. Et paulò post reuersus retulit, cum iuramento, se iniecisse compedes ferreos prædicto carcerato, & catena pariter ferrea ipsum alligasse. In quorum &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

XXIV. Aduertendum, quod si, non obstante carceratione, & ieiunijs, Reus adhuc persisteret in sua pertinacia, & essemus in casu atroci, Iudex posset variare tormenta, & adhibere sibilos, taxillos, & etiam funem. In tali ergo casu, post quam per dies Iudici benè visos mansit Reus compeditus, & vincularum, potest illum denuò examinare, & factum describere, prout numero superiori dictum est; & facere Decretum de augenda Tortura, & explicare genus tormenti, quod adhibere intendit. Formam autem dandi talia tormenta dabimus infra Sectione Sept.

XXV. Forma confrontandi Reum cum Testibus.

Videnda omninò sunt, qua diximus de confrontatione Rei cum Testibus Part. p. Tit. Reus à num. 96. vsque ad 114. pag. 693. & Forma erit vt sequitur.

Cum Frater N. Reus, qui supra obstinatus, & pertinax fuerit in non confi-

tenda veritate, nec à sibi obiectis depositionibus Testium, motus fuerit à negatiua delicti, quod commisit, A. R. P. Prouincialis duxit, optimam esse confrontationem eorundem Testium cum prædicto Reo, ad remouendum ipsum ab obstinatione. Constituto ergo illo coram se, eoque monito, & iurato, prout iurauit tact. &c. fuit

Interrogatus. Quomodo negare possit se tali tempore percussisse baculo Fratrem N., cum tot Testes fide digni deponant contra eum? Respondit &c.

Quomodo negare audeat se tali die tentasse percussione ad ignem communem, cum hoc afferatur ab alijs, qui fuerunt præsentibus? Respondit &c.

Quomodo neget, se accipisse baculum à lignario; dixisse se velle illo reddere cordatum quendam fatuum; baculum prædictum abscondisse sub mantello &c. Dicat ergo quis fuerit iste fatuus, & de quo intendebat ipse loqui? Resp.

Qua fronte neget hoc, si Testes iidemet in facie ipsius hæc eadem confirmabunt? &c. & subsequatur.

Cum A. R. P. vidisset illius pertinaciam negando, quæ Testes veridici deposuerunt, vocari fecit P. Fr. N. Sacerdotem &c. Testem, vt supra examinatum, & eo monito, & iurato prout iurauit, tacto peccatore &c. sic ipsum interrogauit.

An cognoscat Fratrem ibi astantem; quomodo vocetur; à quo tempore eum cognoscat; & de causa scientiæ? Respondit &c.

Tum conuersus ad prædictum Fr. N. vt præfertur constitutum, illum interroget?

An cognoscat viceversa prædictum P. N. Testem? Respondit &c.

Et aduertendum, quod siue confiteatur, siue neget, se cognoscere illum, non impedit, quin dicatur, facta recognitio. Et sequatur.

Postquam Reus, & Testis se ad inuicem cognouissent, prædictus P. N. Testis fuit interrogatus.

An ipse constitutus sit ille idem, de quo deposuit sub die &c. prout constat ex actis &c.?

Tunc A. R. P. Prouincialis iussit legi depositionem Testis clara, & intelligibili voce in faciem eiusdem Fr. N. Rei, qua lecta fuit.

Interrogatus, si recordatur de hac depositione? Respondit &c.

An quæ in illa deposuit vera sint? Respondit &c.

Tunc idemet A. R. P. Prouincialis conuersus ad dictum Fr. N. Reum constitutum, interrogauit.

Quid modo respondes prædictis?

Et hic describatur responsio Rei, & replicato Testis, & omnia verba, motus, gestus, & alia accidentia tum Rei, tum Testis, quæ euenient, & subsequatur.

Et cum vterque in suo dicto persisteret, A. R. P. Prouincialis licentiauit à sua camera prædictum Testem Fr. N. & vocare fecit Fratrem N. alium Testem examinatum sub die &c. vt constat ex actis folio &c. & eo monito, & iurato &c. *Et ipsum examinet, sicut factum est cum antecedenti; & ita continuet, donec omnes Testes sint confrontati. Confrontatis autem omnibus subsequatur.*

Tunc A. R. P. conuersus ad ipsum constitutum, ait. Nonne vides miser te per Testes, qui in faciem tuam deposuerunt super delicto à te commisso esse conuictum?

Qua fronte ergo audes negare ita patientem veritatem?

Da gloriam Deo, crimen tuum humiliter fatendo; dicas, anne tu die tali &c. percussisti, & vulnerasti Fratrem N. Respondit &c.

Quibus auditis A. R. P. vocare fecit supradictos omnes Testes, vt supra confrontatos, & coram ipsis, & Reo prædicto lectis eorundem depositionibus ipsis ab omnibus subscribi fecit, & Reum ad locum suum reduci iussit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis deposui vt sup.

Ego N. Testis deposui &c.

Ego N. Testis &c.

Ego N. affirmo vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XXVI. Forma confrontandi Socios criminis cum Reo.

Quia Socius criminis est infamis, & vt eius dictum afficiat Reum, debet purgare infamiam per Torturam, vt diximus Par. I. Tit. de Tortura; & si fiat confrontatio ipsius cum Reo debet torqueri in faciem, & caput ipsius Rei, damus eius formam. Præmittantur autem ea, quæ supra dicta sunt, dum

confrontantur Testes cum Reo, & subsequatur.

Et cum uterque ipsorum staret in suo dicto A. R. P. ad ipsum constitutum magis conuincendum de mendacio, eumque magis disponendum ad fatendam veritatem, & ad tollendam omnem dubitationem, & maculam à dictis, & persona ipsius Testis ob infamiam, qua laborat, cum sit socius criminis, mandauit dictum Testem flexis genibus spoliari chorda, & caputio, & reducto habitu, ipsius humeros nudari, & flagellum, siue disciplinam in dextera accipere; Tuncque in præsentia ipsius Rei, ipsum monuit denuò, vt simplicem veritatem diceret, nec animam suam, & proximum grauaret dicendo mendacium; ipsumque interrogauit; An paratus esset confirmare in Tortura in faciem, & caput ipsius Rei, quæ ante deposuit? Respondit &c.

Tunc A. R. P. iussit, vt se flagellaret. Quo incipiente se, vt præfertur flagellare, fuit interrogatus.

An ea, quæ deposuit in suo examine sub die tali &c. & quæ ratificauit paulò ante præsens tempus contra F. N. Reum constitutum hic præsentem sint veri? Respondit &c.

Fuit ei dictum, vt replicet ea. Respondit &c.

Tunc A. R. P. iussit, vt cessaret à se flagellando, & de nouo, caputium, & chordam indueret, & ad locum suum reuertetur &c.

Si sunt plures Socij criminis eodem modo sunt torquendi, & concludendum examen eodem modo, quo terminatur in Testibus, qui non sunt Socij criminis, & cum Reo confrontantur, vt dictum est supra nu. XXV. Quibus auditis &c.

ADNOTATIO I.

XXVII. *Aduertendum, quod si Testis aliquam habeat inhabilitatem, quæ debeat purgari per Torturam; & iste confrontandus sit cum Reo, debet ille torqueri, & sic purgare inhabilitatem in faciem, & caput ipsius Rei, & tunc per flagellationem manu sua factam, iuxta formam supra datam torquendus est.*

ADNOTATIO II.

XXVIII. *Aduertendum secundo, quod Tortura Socij criminis in confrontatione cum Reo, potest adhuc esse grauior, quam sit suprascripta flagellatio manu ipsiusmet tortifactor; sed si grauius est crimen, potest manu alterius fieri (saltem in locis, ubi est mos, quod huiusmodi flagellationes visitentur;) & in atrocissimis, in quibus adhibetur funis, potest torqueri per funem. Et in talibus casibus fit descriptio formæ, iuxta quam erit tortus Socius criminis.*

XXIX. *Forma recognitionis Rei faciendæ à Testibus.*

Pro hac aduertendum est, quod scripsimus Par. I. Titul. Reus num. 96. & seqq. & sciendum est, quod si Testis deponens, vel super qualitate, vel super substantia Delicti non nouit Reum ex nomine; & circumstantias eius personales, & sensibiles tantum descripsit, debet Iudex ante Rei constitutionem procurare recognitionem ipsius iudicialiter faciendam à Teste; prout dicimus Par. I. loc. cit. Et tali casu recognitio ita facienda est, vt ille, qui adhuc in numero Reorum positus non est, nequeat percipere quid circa se faciat Iudex. Si autem alij Testes, qui nouerunt Reum nominaliter sufficienter deposuerunt contra eum, ita ut ritè potuerit in numero Reorum poni, & debeat fieri recognitio à Teste, qui vt præfertur, ipsum non nouit; ista potest fieri post Rei constitutum, ipso uidente, & sciente. Pariter ista recognitio potest fieri adhuc simpliciter tantum; vel cum ea fieri etiam confrontatio; & de omnibus his formam damus. Si ergo Testis non nouit Reum ex nomine, (fortè quia hic, vel ille est aduena, & alterius Prouinciæ,) & examinatus deposuit, quod ille Frater, qui baculum abscondit sub mantello &c. est stature mediocris, barbæ raræ, & nigræ, parum caluus, habet humeros parum curuos, & habebat mantellum nouum &c. debet Iudex procurare recognitionem, vt sequitur.

Cum Fr. N. Testis, qui supra, deposuerit, uidisse de tali &c. in loco &c. dum ipse deponens in comitatu Fratris N. rediret à viridario, & iret versus cameram ignis communis, quendam Fratrem stature mediocris, barbæ raræ, & nigræ &c. qui baculum talis longitudinis plus minus

nus &c. & tantæ crassitie &c. abscondit sub mantello &c. prout latius in suo examine facto sub die &c. prout in actis folio &c. nomen autem prædicti Fratris ille nesciat. Volens autem A.R.P. recognoscere distinctius, ex oculari inspectione, de quonam Fratre memoratus Testis supradicta deposuerit, vocare coram se fecit eundem Testem, illique dato iuramento, prout iurauit &c. interrogauit eum.

An ipse recognosceret illum Fratrem, de quo deposuit, quod abscondit baculum sub mantello &c. si ipsum proprijs oculis videret.

Respondit &c. Tunc ait A.R.P. bene obserua singulos Fratres, qui singillatim intrabunt in hanc cameram, & vide si inter illos reperietur ille quem dixisti, & bene caue, nè decipiaris. Et cum antea ad mandatum A.R.P. congregati essent multi Religiosi in Dormitorio ante cellam eiusdem A.R.P. & clauso ostio; per Socium suum significauit eis, vt vnus ex illis quilibet ingrederetur cellam, in quo erat idem A.R.P. & Testis supradictus coram Me Actuario; & postquam ille exisset, alius similiter intraret. Qua intimatione facta ingressus est in cellam prædictam P. Fr.N. Et postquam ibi mansit per spatium vnus Aue Maria, & ita vicinus Testi prædicto, vt optimè illum discerneret fuit licentiatus. Tum A.R.P. illum interrogauit.

An P.Fr.N. qui intrauerat, & fuerat ibi, sit ille, de quo deposuit, vt præfertur? Respondit &c.

Consequenter intrauit P. Fr. N. &c. *Et similiter describatur, & fiat interrogatio, vt de primo factum est, & sic deinceps; donec ingrediatur ille, qui Reus supponitur &c. quo egresso è camera interrogetur.*

An ille Frater, qui modo egressus est, sit ille &c. Respondit; est ille idem, quem vidi, sed tunc habebat mantellum nouum, sed modo habet repetiatum.

Interrogatus. Quomodo asserit esse illum? Respondit &c. *Et procuret Index; vt det causam sufficientem suæ scientiæ &c. & subsequatur.*

Quibus habitis, & si, & in quantum receptis, & lecto sibi suo examine, cui subscripsit dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis affirmo, vt sup.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Si verò Reus iam constitutus est ex sufficientibus probationibus habitis ab alijs Testibus, & debeat fieri recognitio ipsius simpliciter ab alio Teste arbitrarium Iudici est illam facere Reo sciente, vel non. Si vult eam Reo sciente, potest vt forma sequenti omittis ijs, quæ faciunt ad confrontationem, si verò vult illam, Reo non sciente, potest vt forma præcedente.

Si autem facienda est recognitio, & confrontatio ita describatur.

Cum Fr. N. Reus negauerit se esse illum. de quo Testes deposuerunt, vt in Actis &c. vt veritas magis appareat A.R.P. decreuit illos statuere coram eodemmet Reo, vt illum recognoscant, & cum illo confrontentur. Quare primo adduci coram se fecit prædictum Fr. N. Reum, cui dato iuramento, prout præstitit &c. fuit dictum.

Quid diceres, si Testes fide digni te recognoscerent, in facie tua dicerent te esse eum, qui percussit &c.? Respondit &c.

His auditis ad conuincendum Reum de mendacio, & eundem disponendum ad fatendam veritatem, & ad omnem alium meliorem finem &c. mandauit vocari nonnullos alios Fratres, qui prædicto Reo statura, facie, ætateque magis similes essent, nimirum Fratres N. N. N. & N. quibus comparentibus, & ad sinistram Iudicis in rectam lineam ordinatis, & inter eos prædicto Fr.N. Reo tertium locum tenente, mandauit ad eorum faciem statui Fratrem N. Testem, & delato ei iuramento de veritate, prout iurauit &c. fuit

Interrogatus. An inter illos Fratres reperiat ille, de quo deposuit in suo examine sub die &c. Respondit &c.

Fuit ei dictum, vt illum manibus proprijs tangendo demonstraret; Et ipse Testis motus de loco suo accessit ad prædictum Fratrem N. qui erat in tertio loco, & tangens ipsum dixit; Iste est, de quo dixi. Tum fuit interrogatus.

An depositionem quam fecit, & cui ipse subscripsit agnosceret si sibi legeretur, & ostenderetur? Respondit &c.

Tunc A. R. P. Prouincialis dimissis quatuor supradictis prius vocatis pro recognitione facienda, iussit mihi Actuario, vt clara, & intelligibile depositionem prædictam, quæ incipit folio &c. & desinit folio &c. legerem, & peracta lectione fuit interrogatus.

An illa eadem esset depositio à se facta, &

& subscriptio manu ipsius exarata? Respondit &c.

An vera essent, quæ in ea continentur? Respondit &c.

An denuò illa deponat, & ratificet? Respondit &c.

Tum conuersus A. R. P. ad Fr. N. ait nonne audisti, quomodo in faciem tuam iste contra te veritatem confirmauit, quare ergo confusus non recedis à pertinacia, & crimen tuum confiteris? Respondit &c.

Cum autem vidisset A. R. P. Fratrem N. Reum in sua negatiua persistere, lecto prius suo examine, cui ambo subscripserunt Testem prædictum dimisit, Reum verò ad priorem locum reduci mandauit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis affirmo vt sup.

Ego N. Testis affirmo vt sup.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

XXX. Forma recognitionis Rei negantis se esse illum, qui processatus, & condemnatus in contumacia ob fugam fuit.

Potest dari casus, quod aliquis, patratò Delicto, apostatauerit, & fuerit condemnatus in contumacia, postmodum cadat in fortijs Religionis, & constitutus neget se esse illum, qui condemnatus est. Tunc debet per Testes, qui illum prius nouerint, recognosci, forma autem erit, quæ sequitur.

Cum Fr. N. prætenus Reus, & vt talis captus in habitu Heremitæ, & in carcere Religionis coniectus, negauerit se esse Fr. N. Laicum professum nostri Ordinis; sed asserat nunquam fuisse Religiosum, sed esse Heremitam Sæcularem; volens A. R. P. de veritate certiorari, statuit, illum facere recognoscere per Testes, qui plenam cognitionem habuerunt ipsius Fratris N. ex diuturna cohabitatione secum habita. Mandauit igitur in cameram suam adduci tres Fratres Laicos, qui magis similes ætate, statura, & aspectu reperiri potuerunt in hoc Conuentu N. & inter hos ad sinistram ipsius in rectam lineam ordinatos secundo loco statuit prædictum Fratrem N. Reum prætensum. Exindè mandauit vocari Fratrem N. vnum ex Testibus, qui diutiùs commorati olim fuerant de Familia cum prædicto Fratre N. Reo prætenso; & illi dato iuramento de veritate dicenda,

prout iurauit tact. &c. fuit

Interrogatus. An cognoscat has quatuor personas indirectum ordinatas? Respondit &c. Dicitum fuit ei, vt singulas proprio nomine exprimat - Respondit &c.

Interrogatus. Quomodo sciat hunc secundum habitu Heremitico indutum esse Fr. N.?

A quo tempore, vbi, & quando ipsum agnoscat?

Quantò tempore sit secum commoratus de Familia, & sub quibus Guardianis?

Ex quibus signis cognoscat individualiter ipsum esse Fratrem N. & non potius sit aliquis alius sibi similis?

Et aduertendum, quod si Reus habet aliquod signum peculiare, vt maculam, verrucam, aut naeuum, aut cicatricem in cute, aut digitum attractum, aut pede claudicat, aut notam in facie &c. debet Testis illam exprimere; & Iudici ad oculum ostendere, & subsequatur.

Quibus habitis, prædictum Fratrem N. Testem licentiauit, & vocari fecit alium Testem Fratrem N. &c. Et illum pari modo examinet, sicut primum; & ita deinceps, donec omnes examinauerit. Examine autem ultimi Testis absoluto, subsequatur.

Tunc A. R. P. Conuersus ad Fratrem N. Reum prætensum ipsum interrogauit.

Quomodo audeat negare se esse Fratrem N. cum tot Testes ipsum recognouerint, & asseruerint contrarium? Respondit,

Monitus, vt desistat multiplicare periuriam, quia licet persistat in negatiua, tamen poterit contra eum exequi sententiam, qua fuit condemnatus. Respondit &c.

Videns autem A. R. P. ipsius Rei pertinaciam, pro tunc dimisit examen, intendens tamen opportuno tempore procedere vsq; ad totalem Cause expeditionem. Et vocatis denuò coram se omnibus prædictis Testibus examinatis, eorum examina alta, & intelligibili voce per Me legi fecit, & ab eisdem subsignari; dimissisque Testibus, Reum in carcerem reduci mandauit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. affirmo, vt supra.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

AD-

A D N O T A T I O.

XXXI. *Aduertendum, quod si Reus prædictus est per Testes conuictus, quamuis neget se esse illum, qui asseritur à Testibus, potest nihilominus Sententia contra eum lata executioni demandari, prout post Farinac. Quæst. XI. num. 25. & Ambrosin. lib. 6. cap. 2. num. 5. vult Passerin. Prax. Cauf. Iudic. cap. 6. num. 154. Si autem conuictus non remanet, sed est ab illis indiciatus ad Torturam, torqueri debet, non tantum super identitate personæ, sed debet interrogari de nomine, patria, parentibus, exercitio, causa discessus à Patria, habitatione &c. iuxta opportunitatem, & naturam Cause. Si in Tortura, proportionata valori indiciorum, persistit in negatiua personæ; dimittendus est. Si autem confiteretur quidem identitatem personæ, negat autem delictum, ob quod fuit condemnatus in contumaciã; licet posset absolute de rigore iuris contra eum exequi sententia, vt scribi Ambrosin. de Mod. for. proc. lib. 6. cap. 2. num. 10. Tamen procedendo cum misericordia, & equitate, prout decet inter Regulares potest admitti ad defensiones, prout diximus supra hac eadem Sect. num. XII. & Par. I. Tit. Reus. sub numero 47.*

XXXII. Forma puniendi Reum delinquentem coram Iudice in actu Iudicij.

Recolenda, & omninò videnda sunt, que de hoc diximus Par. I. Tit. Inquisitio. num. 36., & 37. describi autem debet factum, prout sequitur.

Cum A. R. P. pro Tribunali federet, & Reum supradictum examinaret, ipse Fr. N. Reus timore Dei postposito Deum blasphemauit; siue alapam impegit P. F. N. Assistenti; siue violenter est aggressus Iudicem, volens pugnis, ligno, cultello &c. ipsum percutere; sed A. R. P. vociferante accurrit Fr. N. eius Socius, & F. N. qui erat extra cameram examinis &c. & fuit detentus ne meditatam scelus perficeret &c. super quibus volens idem A. R. P. de iustitia providere ipsum Fratrem N. interrogauit.

Quare tale facinus coram ipso ausus fuerit? Respondit &c.

Aduertendum hic, quod si Reus confiteretur Delictum excusando se, quod fuit exc

impetu inconsiderato iracundiæ, bene quidem. Si negat factum, & adsint Testes, qui factum viderint, examinet eos in præsentia Rei, vt diximus de Reo reperto in fragranti crimine supra Sect. II. num. XXXVIII.

Si nullus sit Testis præter Actuarium scribentem, legi faciat Iudex factum descriptum ab eodem Actuario, illud enim bene probat, quia authenticum est, vt scripsimus Par. I. Tit. Inquisitio num. 37. pag.

450. *post ad Reum conuersus dicat.*

Et quomodo negare audes factum coram Me, & Notario patratum? Respondit &c.

Tunc A. R. P. examen distulit animo tamen illud opportuno tempore continuandi, & quæ agenda sunt de iure perficiendi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. affirmo vt supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

XXXIII. *Aduertendum, quod licet in Textu Titul. Inquisitio §. VII. habeatur, quod Reus delinquens coram Iudice possit incontinenti examinari, & condemnari, tamen spatium illud, quod ibi vocatur incontinenti durat per tres dies, vt expresse habet ibidem Textus. Et ideo, licet bonum sit examinare Reum statim ac deliquit, quia tunc facilius confitebitur; tamen non est, quin eius examen possit post aliquot horas, & etiam sequenti die differri. Decretum autem, per quod infligatur pœna ad exigentiam Delicti, melius semper est, vt differatur ferri post vnum, vel alterum diem, ne videatur præcipitatum ex iracundia Iudicis offensi, sed maturè latum post quam ira deferberit. Eius autem tenor, erit vt sequitur.*

Cum Fr. N. Reus, qui supra &c. timore Dei postposito ausus fuerit in præsentia A. R. P. pro Tribunali sedentis &c. Et hic describatur Delictum summarie; prout latius continetur in Actis, decreuit idem A. R. P. prout præsentis Decreto decernit, ipsum Fratrem N. Debere &c. Et hic specificetur pœna conueniens Delicto; prout illum de facto ad supradictam pœnam condemnauit. Acta sunt hæc, Anno Mense Die loco &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius,

Et

Et intimato per Me Actuarius supra scripto Decreto Fratri N. Reo, ipsum humiliter acceptauit. Acta sunt hæc Die, & loco quo supra &c.

Ego N. Actuarius.

Quod si Reus à tali Decreto, & pœna tanquam nimis graui appellauerit, deuoluitur causa ad alium Iudicem Superiorem. Formam verò appellandi dabimus infra Sectione Decima.

XXXIV. Forma examinandi Reum in Delicto Notorio.

Supposito eo, quod diximus sup. Sect. II. num. XXXVI. de Notorio, & examinatis Testibus super Delicto, & ipsius notorietate, & ista plenè probatà, & visitato Corpore Delicti, si tale est, quod vestigium relinquat post se, ut dictum est Sect. III. num. I. constituitur Reus, ut sequitur.

Anno Mense Die loco &c. vocatus, & constitutus fuit coram A. R. P. Ministro Prouinciali Fr. N. Reus, qui vt probatum manet notoriè &c. *Et hic describatur Delictum ab eo commissum;* ibique dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tact. &c. *Et si Delictum habet adnexam Excommunicationem ponatur, eoque absoluto ab Excommunicatione, ad effectum standi in iudicio, & cum reincidentia, & non aliter &c.* A. R. P. Minister Prouincialis ipsi improperauit delictum commissum, quod timore Dei postposito, & contempta iustitia punitiua, tam patenter, & notoriè deliquerit, ipsum

Interrogauit. Quare non deberet condemnari, quia commisit tale crimen &c. *Et hic denuò delictum commissum inculcetur, & describatur.*

Fuit ei dictum, quod non interrogatur an commiserit illud crimen, cum notorium sit, quod commiserit, & notorietas plenè constet; dicat ergo, quare illud commiserit, & quare ad ordinariam pœnam condemnari non debeat? Respondit &c.

Et replicauit A. R. P. iterum dico; quod de Delicto non quæro, cum hoc certissimum sit, sed quæro à te quare sic deliqueris, & quare puniri non debeas? Respondit &c.

Et cum semper in negatiua persisteret nec causam assignaret ad criminis excusandam grauitatem, decreuit A. R. P. vt, sibi electo Patrono; termino tridui, allega-

Pars II.

ret, quare non deberet in pœnam ordinariam condemnari, & lecto sibi suo examine, cui subscripsit, dimissus est; siue ad carceres reductus est.

Ego N. affimo, vt sup.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXV. *Aduertendum, quod licet verissimum sit, quod Doctores communiter asserunt, puta, quod in crimine notorio, probata notorietate, & examinato Reo, siue confiteatur, siue non, Iudex, statim procedere possit ad condemnationem: tamen hoc apud Nos minimè practicabile est, quia Prouincialis solus, (cum simus in diffinitiva) sententiare non potest, sed requiritur consensus Diffinitorij; sequitur proindè, quod, statim ac examinatus est Reus, non potest eum sententiare Prouincialis, non consulto Diffinitorio. Amplius, si quoquomodo obfuscetur probatio notorietatis debet procedi per viam ordinariam, vt probamus Par. I. Tit. Canones. num. 56. & seq. pag. 125. sequitur ergo; quod si Reus excipiat contra Testes de inimicitia; factione; periurio, aut alia inhabilitate debet illi dare tempus, & media quibus probari possit oppositas exceptiones, & illis probatis, non erit probata notorietas, & proindè, tunc erit ordinariè procedendum. Tandem potest Reus allegare inconsiderationem, amentiam ex ira, furore, vino &c. vel prouocationem ab alio sibi factam, vim, metum &c. ob quæ probata, non est puniendus nisi extraordinariè; & ad hæc præstanda, suadet æquitas, & ratio, quod sibi concedatur Patronus, vel Procurator, proindè in formula Decretum Iudicis de Patrono eligendo posuimus, si appelletur à Decreto notorietatis &c.*

XXXVI. Forma examinandi Reum reptum in fragranti.

Anno Mense Die loco &c. Vocatus fuit, & constitutus coram A. R. P. Ministro Prouincialis Fr. N. Reus, vt supra in fragranti deprehensus; qui monitus, & iuratus, prout iurauit tact. &c. & absolutus ab Excommunicatione, vt posset stare in iudicio, & cum reincidentia, & non aliter &c. *Hoc ponitur quando cri-*

N

men

men ipso facto importat Excommunicationem, ut Apostasia, percussio Religiosi &c.

Fuit interrogatus, vnde veniat?

Quare carceratus detineatur?

Quomodo audeat dicere se causam nescire cum Testes in faciem suam testificati sint delictum à se commissum?

Quis deduxit in carcerem?

Quo mandante fuit carceratus?

Qua de causa tale mandatum emanauit?

Quomodo neget scire causam mandati cum sciat crimen, in quo deprehensus fuit?

Quomodo negare audeat crimen tam manifestum?

Fuit ei dictum, nonne audisti quid coram te deposuerint N.N. & N. qui te captum adduxerunt coram Nobis?

Nonne deprehensus est in adulterio cum N.furari in loco &c.cum furto supra te inuento &c.baculo, ferro &c.persequi, verberare, percutere N. quem vulnerasti, & occidere tentasti?

Hoc negare nequis, nec de hoc à te quæro cum certissimum sit, quod commiseris, sed quæro quare sic feceris, & quare condemnari non debeas?

Si deprehensus fuerit à Prouinciali cum re furata, denarijs, armis, iocalibus pretiosis muliebribus in sporta, manica, vel camera &c. Nonne inuentus est apud te Calix cum Patena argentea &c. pecunia, pistolettum &c. te vidente, & Nobis inquirentibus?

Quomodo furatus est Calicem &c. à quo habuisti pecuniam, iocalia, arma, &c.?

Ad quem finem talia parasti?

Si deprehensus fuerit apostatare de nocte habitu mutato, vel non &c. Vnde veniebas, quando captus fuisti?

Qua hora existi à Conuentu?

Vbi fuisti, & quantum ibi mansisti, & quid fecisti?

Ad quem finem existi?

Cuius sunt vestes sæculares, quibus eras indutus?

Quomodo ausus es tale scandalum committere?

Quare condemnari non debet ad pœnam &c.

Si persistit in negatiua Delicti, non curetur de ea, siquidem de Delicto iam conuictus est; sed Iudex impropere, inculcet, & urgeat idem Delictum sibi obijciendo; moneat ne tam patenter, & perfrita fronte mentiatur; exaggeret grauitatem periurij, & omni vià inducat Reum ad dicendum id, per quod excusari in toto, siuè in parte potest Delictum, & subsequatur.

Tunc A.R. P. decreuit, vt sibi Patronum eligeret, qui termino tridui allegaret, quare non deberet puniri pœna ordinaria, & ipse Fr.N. elegit sibi in Patronum P.Fr. N.Theologum. Et lecto sibi suo examine, se subscripsit.

Ego N. affirmo.

Ego N.Prouincialis.

Ego N.Actarius.

SECTIO SEXTA

In qua traduntur Formulæ Defensionum.

I. Forma Decreti concedendi Defensiones ante Torturam.



VM ex actitatis hucusque contra Fr.N.Reum de &c. Et hic exprimatur Delictum, de quo fuerit inquisitum. Grauia emergant indicia, & probationes vrgentes, quibus verifi-

militer ipsum commisisse tale Delictum credi potest, ipse autem negauerit in suis constitutis, prout ex actis apparet. A.R.P. Minister iuris ordinem seruare volens, eundem in rigoroso examine constituere decreuit. Sed quia Tortura adhiberi non potest, nisi prius datis Defensionibus; ideo hoc suo Decreto mandat indulgeri prædicto Fr.N.Reo terminum octo dierum ad producenda quæcunque monumenta, & probationes, quibus se innocentem ostendere possit, in delato crimine cõtra ipsum, & ad elidenda indicia eundem afficientia, & copiam Actorum sibi dari sine nominibus, & cognominibus Testium, habitis tamen ab ipso Reo Testibus Curixæ pro ritè, & rectè receptis, & legitimè examinatis, saluis exceptionibus, & repetitione &c. & sine præiudicio vltioris Processus, & examinis, hoc, & omni meliori modo &c. prout hoc suo Decreto indulget terminum, & copiam. Vel si mauult à suo Patrono lustrari Processum originalem, in aula nostræ cameræ, quod etiam concedit. Datum &c.

Ego N. Minister Prouincialis.
Ego N. Actuarius.

Prædictum Decretum intimatum fuit per Me infrascriptum eidem Fr.N.Reo. In quorum &c. Dat. &c.
Ego N. Actuarius.

II. Forma renunciandi Defensionibus.

Anno Mensè Die loco
Pars II.

&c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr.N.Reus, & dixit, quod gratias agebat illi de oblatione copix Actorum, termini defensorij, & Patroni in Causa contra ipsũ actitata; se tamẽ illis omnibus spontè, & liberè renunciare, & se remittere pietati Patrum Diffinitorij. Cui Pater Prouincialis respondit, se nolle talem renunciationem acceptare, sed velle, quod Reus acceptaret oblata, & se defenderet; & replicante Reo se ad Religionem venisse non ad litigandum, sed ad obediendum, proindè nolle vllò modo se defendere, sed humiliter acceptare pœnitentiam sibi pro malefactis iniungendam; & contra replicante P. Prouinciali; sed nihilominus firmo remanente Reo, in præfata renunciatione, tandem P. Prouincialis eam acceptauit, si & in quantum &c. protestando tamen, se velle pati labi oñiduum sibi assignatum ad se defendendum, antequam adulteriora procedat, & si tali tempore velit Reus præsentem recusationem reuocare, & se defendere liberum illi sit, ac si illam minimè proposuisset. In quorum &c.

Ego Fr.N. recuso, vt supra.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

III. Forma acceptationis termini defensorij, & electionis Patroni.

Anno Mensè Die loco &c. Comparuit coram A.R. P. Ministro Fr. N. Reus, qui supra, & gratijs sibi Actis de oblatione termini defensorij, copix actorum, Patroni &c. omnia acceptauit, & in Patronum suum nominauit R. P. N. Theologum &c. cuius nominationem A. R. P. Minister approbauit, & eundem P. Fr. N. in Patronum præfato N. Reo indulfit. In quorum &c.

Ego Fr.N. acceptaui, & nominaui, vt supra.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.
N 2 IV. For-

IV. Forma iuramenti dandi à Patrono.

Licet in Textu nostro non præscribatur, quod Patronus debeat coram Iudice iurare se fideliter defensurum Clientem suum, tamen quia hoc sancitur à lege Casarea, cui in hoc puncto non refragantur Canones, est seruandum, etiam à Regularibus, attento maximè, quod hoc practicatur in Tribunali Fidei, & ex ijs, quæ diximus Par. I. Tit. Patronus num. 5. apparet, quod aliquandò inter Regulares sit necessarissimum. Forma ergo erit prout sequitur.

Vocatus fuit coram A.R.P. Ministro, P. Fr. N. Theologus &c. & fuit illi significatum sicuti Fr. N. Reus &c. eum elegerat in Patronum in Causa, quæ actitatur contra eum, & fuit interrogatus.

An tale munus acceptaret?

Et eo respondente affirmatiuè, A.R.P. ab eo exegit iuramentum de fideliter, ad normam iuris, exercendo officio suo, quod præstitit tacto pectore &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. accepto, & iuro prout sup.
Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

V. Circa petitionem, & concessionem Patroni benè aduertenda sunt ea, quæ scripsimus Par. I. Titul. Patronus §. 2. à num. 3. & indè; & specialiter, quod non debet Iudex ullo modo impedire Reum, nec illi denegare eum Patronum quem ipse elegerit; dicente Textu loc. citato, quod Nominatus à Reo omninò concedi debet, quam clausulam expendimus in Commentario illius Textus. Et quia potest dari casus, quod Reus nullum habeat confidentem in Prouincia, (ob causas, quas alibi exposuimus,) quem possit securè nominare in Patronum, & idèò nominet alium ex vicina Prouincia, si causa est grauissima, cui nempè debeatur carcer semestris ad minus, aut Triremes, debet Prouincialis illum concedere, vt probauimus Par. I. cit. Tit. Patronus num. 15. & etiam scribere ad Prouincialem alium, vt illum mittat, si commodè fieri potest.

ADNOTATIO II.

VI. Aduertendum secundò, quod frequenter accidit, quod nominatus à Reo in Patronum nolit tale munus acceptare, nulla legitima existente causa talis recusationis. Si Reus tunc implorat auxilium Iudicis, debet iste, illum compellere per præcepta, & pœnas, prout habetur ex Textu loc. sup. cit. & Nos ibi sub num. 17. scripsimus. Damus ergo formam ipsum compellendi, quæ potest esse, vt sequitur.

VII. Forma compellendi nominatum à Reo ad acceptandum munus Patroni.

Anno Mense Die loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Prouinciali Fr. N. Reus, qui supra; & dixit se significasse R. P. N. Theologo electionem à se factam de persona illius in suum Patronum, sed prædictum Patrem, licet pluries rogatus fuerit ab ipso, vt pro amore Dei tale munus acceptaret, omninò, & constanter recusasse. Implorauit proindè auxilium Iudicis, vt sua auctoritate præmemoratum cogeret ad acceptandum Officium, & suas Defensiones faciendas. Cui petitione benignè annuens A. R. P. vocare coram se fecit supradictum Patrem Theologum, & cum nouisset causas à se adductas non esse legitimas ad recusandum tale opus charitatis, vt est Reos defendere, præcepit illi sub pœnis sibi arbitrarijs, & formali Iudicis mandato, vt munus Patroni in hac Causa acceptaret. Qui P. Theologus mandato prædicto obediens acceptauit Officium, & opportuna ad Rei fauorem se esse præstiturum promisit, & iurauit tacto &c. In quorum &c.

Ego N. accepto, vt supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

VIII. Aduertendum, quod si ille, qui recusat munus Patroni assignat Iudici causam congruam, & rationabilem, ob quam recusat munus Patroni; (vt esset aduersa valetudo; necessarium iter; occupatio grauis pro causa publica &c.) non potest Iudex ipsum præcepto compellere ad acceptandum.

Tali

Tali ergo casu debet scribi, quod auditis à Iudice rationabilibus causis, ob quas non valet prædictum Officium acceptare ipsū dimisit. Et accito coram se Reo, institit, vt alium sibi in Patronum nominaret. Qui nominauit P. Fr. N. &c. *Quod si Reus repli- cet se nescire alium, quem nominet, tenetur Iudex ex Officio sibi prouidere de Patrono idoneo, & totum in Processu registrare.*

IX. Forma decernendi Procurato- rem Reo.

Potest dari casus, quod Reus sit doctus, & velit ipse suas defensiones facere; & repe- riatur carceratus ad custodiam. Tali casu concedendus est illi Procurator ab ipso nomi- natus, eaque omnia, quæ regulariter con- ceduntur Patrono, prout diximus Tit. Pa- tronus num. 12. Tali ergo casu debet in Processu (post Decretum de concedendo Pa- tronno, copia Actorum, & termino defensorio, positum supra num. 1. huius Sectionis) de- scribi factum prout sequitur.

Prædictum Decretum intimatum fuit per Me infra scriptum memorato Fra- tri N. Reo in carcere existenti, qui oblata acceptauit; sed dixit se velle sibi ipsi fabri- care defensiones, proindè non egere Pa- tronno, sed tantum Procuratore, qui no- mine suo compareat iuxta exigentiam Causæ, & alia pro se præstet, quæ ipse Reus in carcere detentus præstare nequit; & tandem in Procuratorem suum nomi- nauit P. Fr. N. Sacerdotem &c. & facta per Me relatione huiusmodi nominationis A. R. Patri, benignè concessit supradictum P. N. in Procuratorem præmemorati Rei. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO

X. *Aduertendum, quod si Reus velit sibi facere Defensiones, & non sit detentus in car- cere, potest nihilominus sibi Procuratorem, vt præfertur, eligere. Tali casu varianda est forma, quam dedimus supra num. 3. huius Sectionis, & debet scribi, vt sequitur.*

Anno, Mense Die loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Reus, vt supra, & gratijs sibi actis de oblatione termini defensorij, & copia actorum eam acceptauit, saluo sibi iure

petendi necessariam prorogationem ter- mini, & alia de iure sibi concedenda; sed quo ad Patronum se non egere illo, cum intendat sibi ipsi defensiones parare; loco Patroni autem petere Procuratorem, qui nomine suo agat, iuxta Causæ, exigen- tiam, & in Procuratorem suum nomina- uit P. F. N. Sacerdotem &c. cuius nomina- tionem A. R. P. approbavit, & eundem P. Fr. N. Sacerdotem in sui Procuratorem illi indulgit. In quorum &c.

Ego N. nominaui, vt supra.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

XI. Forma petendi copiam Acto- rum, & prorogationem termini.

Coram A. R. P. Ministro &c. Compa- ret Fr. N. Patronus, siuè Procurator Fra- tris N. Rei prætensi, & petit, terminum octo dierum, suo principali indultum, prorogari, cum concessus fuerit nimis bre- uis. Insuper petit sibi cum effectu dari in- tegram copiam Actorum, appositis etiam suo loco nominibus Testium, cum inten- dat contra earum personas legitimè exci- pere, protestando &c. salua semper debita erga A. R. P. reuerentia, & sic instat omni- meliori modo &c. siuè petit sibi fieri co- piam toties, quoties oportuerit iustrandi Acta originalia, & ab ijs compulsandi, quæ ad sui Principalis defensionem expedire iudicauerit, protestando &c.

Ego N. peto, & insto, vt supra.

Præsentata fuit superscripta compa- ritio per eundem P. N. Patronum; siuè Pro- curatorem, & recepta inter Acta Die Mense Anni &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO

XII. *Adnotandum, quod comparitio su- prascripta, potest etiam fieri verbaliter; & tunc Actuarius debet inscribere in Proces- su, quod comparuit N. Patronus, seu Pro- curator, & petijt hoc, vel illud &c. Sed me- lius semper, & expeditius fit, si scripto fiat, prout supra forma data est. Aduertat insu- per Iudex, vt de iure concedenda non dene- get, prout sunt prorogatio dilationum, siuè termini defensorij, & omnia alia, quæ qua- quo-*

quomodo faciunt ad Rei defensionem. Circa nomina Testium, probauimus Par. I. Tit. Patronus num. 36. & seqq. & num. 51. & 58. esse danda, si petantur, vide ibi.

XIII. Forma Decreti prorogationis termini defensionum.

Perpenſa rationabili petitione Patris N. Patroni, ſiue Procuratoris F. N. Rei prætenſi ipſam admittens A. R. P. Prouincialis, & in quantum &c. præcepit prorogari terminum ad alios &c. dies computandos immediatè, à tempore octo dierum priùs assignatorum expirato; ad producenda ea, quæ ad defensionem Rei prædicti facere poſſunt. Nec non indulſit, vt nomina Testium ſimul cum copia Actorum præſentis Decreti vigore traderentur. Acta ſunt hæc Die &c.

Ego N. Miniſter Prouincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XIV. *Aduertendum, quod, prorogatio termini assignati concedenda eſt ex cauſa rationabili, etiam ultra tres vices, vt probauimus Par. I. Tit. Patronus. num. 8. Verum eſt, quod Iudex debet examinare cauſam, quam Patronus adducit pro illa petenda, vt diximus Par. I. Tit. Quam. num. 7. Et ſi repperit eam non legitimam, poteſt eam denegare. Et hoc non ſolum intelligitur, quando petitur prorogatio ultra tres terminos, ſed etiam citrà illos. Tali caſu debet adnotari in Proceſſu petitio prorogationis termini facta à Patrono, ſicut dictum eſt ſuprà num. 10. & ſubiungi ità.*

Tunc A. R. P. petiit à prædicto Comparente cauſam quare in tempore assignato defensionem non terminauit, & quare nouum terminum petat? Qui præſatus Comparens dixit &c. & ſcribatur eius reſponſio. Sed A. R. P. perpendens cauſas adductas non eſſe legitimas, & nouam petitionem fieri tantum ad protelandum iudicium, petitam prorogationem denegauit, & proteſtatus eſt, quod ſi in tempore assignato defensionem non præſtabuntur, nulla habita ratione illarum, ad vltiora procedetur.

Si autem Patronus replicet cauſas à ſe adductas eſſe legitimas, & à prædicto Decreto

interlocutorio appellet, debet ſuſtineri appellatio, quia talis interlocutoria habet vim diſſiſſiuitiue, proinde illi deferendum eſt, vt habet Textus Tit. Canones §. 11. & Nos ibi expendimus in Commentario. In facti ergo contingentia debet deſcribi, vt ſequitur.

Ad quæ prædictus Comparens replicauit cauſas à ſe adductas eſſe legitimas, & nullo modo inuentas ad iudicium protelandum, proinde appellauit, ad quos de iure, à prædicta Sententia, & Decreto, & proteſtatur eſt de nullitate Actorum ſi ad vltiora procedetur. Et replicante, ac decernente A. R. P. Prouinciali, talem appellationem eſſe friuolam, & nullam, & proinde eam reiicere, & velle, ea prorsus non attempta, vltioriùs, vt præfertur procedere; ipſe Comparens de nouo, & replicatis vicibus appellauit, & petijt reuocatum ad Superiores, & apoſtolos inſtanter &c. In quorum &c.

Ego N. Patronus appello &c.
Ego N. Miniſter &c.
Ego N. Actuarius.

Quia verò Iudex poteſt Sententiam interlocutoriam, ſeu Decretum à ſe factum, reuocare, vt diximus Par. I. Tit. Sententia. num. 3. & ego ſuadeo Iudicibus, vt potiùs reuocent ex ſe, quàm quod reuocetur à Iudice ad quem maxime quando dubitari poteſt, an Decretum factum debeat ſuſtineri; conſultiùs fiet, ſi Iudex Decretum, quo denegauit nouam prorogationem termini reuocet, & nouum terminum concedat; attento maxime, quod magis prorogabitur iudicium in diſcutiendis meritis diſtæ appellationis, quam concedendo paucos dies noui termini. Poteſt ergo reuocatio Decreti exprimi, vt ſequitur, antequam actus concludatur per ſubſcriptionem.

Videns autem A. R. P. perſeuerantiam diſti Comparentis in appellando, & conſiderans, quod, quamuis appellatio ipſius ſit friuola, & cauſæ ſuperiùs adductæ non legitimæ, tamen magis protelaretur iudicium in diſcutiendis illis, quàm in concedendo nouum terminum petitum, prudenter recedendo à Decreto iam factò, indulſit alium terminum dierum &c. In quorum &c.

ADNOTATIO II.

XV. *Aduertendum ſecundò, quod tum Patronus, tum Reus, (ſi eſt in libertate,) per ſe,*

se, vel (si detinetur in carcere,) per Procuratorem, potest comparere coram Iudice, & omnia petere, quæ faciunt ad Rei defensionem; Vt si non est in Conuentu necessaria copia librorum ad faciendas defensiones, petere à Prouinciali, vt curet illos afferri à proximo Conuentu; Visitare locum loci suppositi delicti; & ad hoc petere necessariam facultatem illuc eundi; Compulsare scripturam à libro, siue Archiuio publico distante, pro quo exequendo non habet Procurator, aut Reus, qui illud peragat. Vocare Testem, qui debet examinari in Processu defensiuo, cum quo vult loqui Patronus antequam Articulos probatorios formet, & similia. Tali casu potest Patronus, fauore Rei, implorare auxilium Iudicis, & iste tenetur audita rationabili petitione, & causa, petita indulgere. Quod si irrationabiliter denegat, potest Patronus, siue Procurator, Rei nomine, appellare. Forma autem petendi suprascripta, & similia, est eadem cum Superiori pro petenda prorogatione termin defensorij mutatis mutandis. Ideo hic non repetimus inutiliter.

XVI. Forma consignandi copiam Actorum.

Anno Mense Die loco &c. consignata per Me Actuarium fuit prefato P. N. Patrono siue Procuratori memorati F. N. Rei, copia Actorum de verbo ad verbum collationata, & authenticata; qui eam recepit sibi reseruato iure petendi prorogationem termini defensorij, Testium repetitionem iuxta Articulos interrogatorios per se dandos, & fabricationem noui Processus defensiui; Testesque per Curiam examinatos pro repetitis, & legitimè receptis habuit; de quibus, & singulis expressè est protestatus. In quorum fidem &c.

Ego N. Patronus.

Ego N. Actuarium.

A D N O T A T I O.

XVII. Aduertendum, quod copia Actorum scripta vel ab Actuario, vel ab alio, debet authenticari ab eodem Actuario in forma sequenti.

Forma authenticandi copiam Actorum.

Suprascripta copia fuit de verbo ad verbum per Me infra scriptum cum suo originali penes Me existenti collationata, & plenè in omnibus concordat. In quorum fidem &c.

Ego N. Actuarium.

XVIII. Forma presentandi Articulos interrogatorios pro repetitione Testium.

Supposita doctrina, quam dedimus Par. I. Tit. Patronus num. 67. & seqq. & num. 176. & 177. quæ omnino videnda est, damus formulam presentandi Articulos interrogatorios, & petendi repetitionem Testium, & potest esse, vt sequitur.

Anno Mense Die loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Patronus, siue Procurator F. N. Rei præfati, & nomine sui Principalis, petijt Testium contra ipsum examinatorum repetitionem, cum interrogatorijs, ab ipso producendis, iuxta protestationem à se factam in receptione copiarum Actorum; & eodem contextu presentauit chartam interrogatoriorum, quæ incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor principij, & finis; quam ex mandato A. R. P. qui acceptauit eam, si, & in quantum &c. recepi, & inter Acta reposui signat. litera &c. siue numero &c. In quorum &c.

Ego N. Patronus.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarium.

A D N O T A T I O.

XIX. Aduertendum, quod Testium repetitio non est necessario facienda, nec est vniuersaliter, & in omni casu petenda, sed solummodo, quando Patronus probabiliter credit, ex ea posse desumi argumenta, per quæ dicta Testium debilitentur; & licet interrogatoria non possint formari, si tendant ad destructionem depositionis Testium, sed tantum ad puram declarationem eiusdem, prout diximus Par. I. loc. cit. tamen ex tali declaratione.

tione frequenter emergunt aliqua per qua potest impugnari depositio. Pariter non est necessarium petere repetitionem omnium Testium, sed potest peti tum omnium, tum alicuius, tum aliquorum. Tandem aduertendum, quod non potest dari certa Regula formandi talia interrogatoria, siquidem eruenda sunt ex ventre depositionum eorundem Testium, quae sunt variissima, iuxta varietatem causarum; ingeniosi proinde, & sagacis Patroni est, illa excogitare. Damus autem, ad aliqualem informationem Lectoris, sequens schema.

Interrogatoria, quae dat, facit, exhibet, & praesentat Fr. N. Patronus Fratris N. Rei praetensi A. R. P. Prouinciali, super quibus instat examinari omnes, siue N. & N. Testes contra illum examinatos in Processu contra eundem F. N. Reum praetensum de &c. & exprimatur delictum; de quo agitur. Et si Testes, quos vult repeti, sunt de auditu, articulet.

Primo a quo audiuit, quod F. N. furatus sit, apostatauerit, sit fornicatus &c.

2. In quo loco audiuit?
3. Quoties audiuit?
4. Coram quibus audiuit?
5. An a quibus audiuit sint Amici, aut Inimici Fratris N.?
6. An sint bonae, vel malae famae?
7. An sint personae graues?
8. Quo tempore audiuit?
9. An credat vera esse, quae audiuit?

10. An audiuit postquam inceptus est Processus contra Fratrem N.?

Si Testes deponant de Fama publica, articulet.

1. Dicat quid sit Fama publica?
2. Quando ortum habuit talis Fama?
3. A quibus audiuit?
4. An a quibus audiuit sint Amici, aut Inimici Fratris N.?
5. An sint personae graues?
6. Qua de causa orta sit talis Fama?
7. An Fama orta sit post inceptum Processum?

Si verò Testes deponant de Visu, articulet.

1. In quo loco vidit furari, fornicari, apostatare?
2. In qua parte Conuentus, Domus, Syluae &c.
3. Vbi erat ipse, quando vidit?
4. Quanta distantia erat inter ipsos,

nempè videntem, & visum?

5. An fuerit de die, aut nocte?
6. Quomodo de nocte potuit videre in tanta distantia?
7. Quomodo erat induta Mulier, cum quo fornicatus est; quomodo, & in quo vase asportabat Furtum &c. an haberet baculum, sportam, & pileum, quando apostatauit &c.?
8. An alij secum viderint, & qui?
9. An ex instituto ibi manebant ad videndum?
10. Quid negotij ibi haberent, & quare condixerunt ibi esse?

Et ad instar istorum potest Patronus peculiaria, & specifica interrogatoria formare iuxta casuum varietatem.

XX. Forma Decreti correctorij Articulorum interrogatoriorum

Quia non debet Index omnes Articulos interrogatorios a Patrono propositos indifferenter admittere, sed impertinentes superfluos, & infamatorios reformare; corrigere, siue totaliter delere, ut habetur ex Textu Tit. Patronus §. 6. damus ideò Formulam seruandam in hoc, & potest esse ut sequitur.

Consideratis, & benè ponderatis per A. R. P. Prouincialem Articulis interrogatorijs, censuit corrigendum esse Articulum primum, siue secundum &c. & exprimat numerus Articuli; quia superfluus est; pariter tertium, siue &c. quia nullo modo pertinet ad Causam; itidemque quartum, siue &c. quia est purè infamatorius; proinde super praedictis non intendit repetere Testes, sed eos repetere super caeteris decreuit. Acta sunt haec &c.

Egc N. Minister.

Ego N. Actuarius.

XXI. Forma repetitionis Testium.

Anno ..-... Mense Die &c. coram A. R. P. Prouinciali vocatus fuit Fr. N. Testis aliàs pro informatione Curiae examinatus, & ad instantiam Patroni N. iterum examinandus, iuxta Articulos interrogatorios a se datos, prout supra in Actis &c. delatoque ei iuramento de veritate dicenda super omnibus, de quibus interrogabitur, prout iurauit tact. &c. ad sibi

sibi factas interrogationes respondit, vt sequitur.

Interrogatus super primo. Respondit &c.

Interrogatus super secundo &c. & sic deinceps. Respondit &c.

Interrogatus. An ea, quæ in alio examine deposuit sint vera?

Interr. Quænam sint, quæ deposuit? Respondit &c. *Hic supponitur, quod Testis petat sibi legi suam depositionem aliàs factam, tunc subiungitur.*

Et A.R. P. petitionem prædicti Testis esse audiendam dixit, & proindè iussit mihi Actuario, vt eam legerem alta, & intelligibili voce; & eam legi, quæ reperitur in Actis supra à fol. &c. & deinceps; qua lecta, fuit interrogatus.

An illa sit eadem depositio aliàs à se facta? Respondit &c.

An velit illi aliquid addere, vel minuere? Respondit &c.

Et lecta sibi priùs sua depositione, cui se subscripsit dimissus est.

Ego N. deposui, vt supra.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

Et hoc modo omnes Testes, quorum repetitio petita fuit, debent examinari.

ADNOTATIO I.

XXII. *Aduertendum, quod si Testis in repetitione variat, & sibi contrarius est in dictis in primo examine (& proindè, quando, post lecturam illius, interrogatur an velit addere, vel minuere, corrigit primo dicta, aut reuocat) inducit suspicionem, quod fuerit subornatus favore Rei. Tali casu, debet Iudex ab eo querere rationem variationis; & si rationabilem adduxerit, benè quidem; si autem aut nullam, aut insufficientem reddiderit, potest torqueri iuxta formam, quam tradidimus supra Sect. 4. num. LXIII.*

ADNOTATIO II.

XXIII. *Aduertendum secundo, quod Patronus, si habet suspicionem de falsitate Testium, potest instare, quod simpliciter repetantur, nullis propositis Articulis interrogatorijs, sed solummodo circa factum depo- nant, & examinentur, ac si nunquam aliàs fuissent examinati, & petere à Iudice, vt*

Pars II.

nullo modo eis legat primum examen, nisi postquam compleuerint secundum, & illi subscripserint, & hoc, ne per talem lecturam de- nuo instruantur, & in deposita falsitate perse- uerent. Iudex autem tali petitioni debet annuere, quia facit ad defensionem Rei, vt probauimus Par. I. Tit. Patronus. num. 151. & 152. Porro Patronus potest petere repetitio- nem, vt siquitur.

Anno Mense Die loco &c. comparet coram A.R.P. Ministro F.N. Pa- tronus Fratris N. Rei prætensi, & instat, quod ad formam iuris repetantur simpli- citer, de nouo, & ac si nunquam fuissent examinati F.N.N. & N. &c. examinati pro Fisco contra suum Principalem: & quia supponit, illos in primo examine falsa, & contra veritatem deposuisse, ad grauamen sui Principalis, instat, & petit, quod eorum primum examen, neque illis petentibus, non prælegatur, antequam examinentur, ne ex illo instruantur ad mentiendum, si- cut fecerunt in primo; nec illis legatur, nisi postquam hoc secundum examen fuerit ab ipsis subsignatum.

Ego N. Patronus.

Præsentata fuit, & in Actis posita ad mandatum A. R. P., qui petitis annuit, & Testes repetere ad formam à se rogatam decreuit. In quorum &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Excindè debet Iudex incipere repetitio- nem Testium iuxta formam datam paulò su- præ nu. XXI. excepto, quod non debet facere mentionem de Articulis interrogatorijs, cum nulli dentur in hoc casu.

ADNOTATIO III.

XXIV. *Aduertendum tertio, quod si Iu- dex (repetendo Testes simpliciter, ad instan- tiam Patroni, vt præfertur) reperit eos sibi contrarios, & tenet à Reo fuisse corruptos, & subornatos, non debet quidem in illo exami- ne sibi obijcere contradictionem, (quia cum Patronus petierit non sibi legi primum exam- en, nisi completo secundo, videretur Iudex af- fectare, quod Testis permaneret in primis di- ctis, Reum grauando, ex hoc, quod legere illud faceret in tempore, in quo posset adhuc secun- dum dictum reuocare;) sed habet in alio exami- ne ex Officio ab eo querere causam talis contradictionis, & ipsum torquere, vt dictum est Sect. 4. num. LXIII.*

XXV. Forma concedendi copiam
examinis Testium repetitorum.

Anno Mense Die &c. cum
completa fuisset Testium repetitio decre-
uit A. R. P. vt copia ipsius, prout de iure,
traderetur Parti. In quorum &c.
Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius,

In præfati Decreti executionem ea-
dem die, vocatus fuit P. N. Patronus, siue
Procurator Fratris N. Rei, & illi configna-
ta copia authentica prædictæ repetitionis,
qui, ea recepta, gratias egit. In quorum
&c.

Ego N. Patronus,

Ego N. Actuarius,

XXVI. Forma petendi à Iudice fa-
bricationem Processus defensionis.

Comparet coram A. R. P. Ministro
Prouinciali Fr. N. Patronus Fratris N. Rei
prætensi, & præsentat infra scriptos Artic-
ulos defensorios ad fauorem sui Principa-
lis, & instat, & petit, quod super ijs inte-
graliter, & nullo excepto, examinentur
omnes Testes, quos opportuno tempore
producet, protestando, & appellando &c.
cum debita tamen veneratione, & reue-
rentia. Porrò Articuli sunt.

Primò. Quod Frater N. Reus præ-
tensus Mense, die, & hora &c. erat in loco
tali &c. distanter à loco, in quo commis-
sum fuit delictum; & permansit ibi ab
hora tali, vsque ad horam talem.

Secundò. Quod delictum, de quo
agitur, fuit commissum à Fr. N. siue ab N.
Sæculari, & non à F. N. suo Principali.

Tertiò. Quod Fr. N. qui testificatur
de visu contra suum Principalem, die, &
hora tali &c. in qua accidit delictum, erat
in loco tali distanter à loco delicti.

Quartò. Quod Fr. N. Testis contra
Principalem est Excommunicatus, Periur-
us, Infamis, Inimicus &c.

Quintò. Quod Fr. N. Testis est Fa-
ctionis contrariæ suo Principali; & post
examen die, & loco tali &c. dixit se in exa-
mine benè accomodasse Fratrem N. suum
Principalem.

Sextò. Quod Frater N. Accusator sui

Principalis est Ebriosus, &c. Mendax &c.

Testes verò opportunos successiuè
vnum post alium præsentabit, ad proban-
dos supradictos Articulos, quos, iustà de
causa, modo non proponit, sed ad citatio-
nem A. R. P. ipsos nominabit.

Ego Fr. N. Patronus.

Præsentati fuerunt supra scripti Ar-
ticuli, & acceptati ab A. R. P. si, & in quan-
tum, & saluo iure illos moderandi, & ad
mandatum eiusdem, inter acta recepti,
Acta sunt hæc Die Mensis Anni
&c.

Ego N. Actuarius,

ADNOTATIO I.

XXVII. Aduertendum primò, quod
Articuli formandi, & variandi sunt iuxtà
facti exigentiam, & in illis nunquam debet
Patronus proponere aliquid, quod sonet ius,
sed tantummodò factum, quod probandum
assumitur; & caueat proponere id, quod pro-
bare non potest, & benè examinet qualitates
Testium, an sint viri graues, solidi, & con-
stantes, nec ne, nec indifferenter fidat Testi-
bus, siquidem multi sunt, qui promittunt
maria, & montes fauore Rei, & postea in exa-
mine, Iudicis maiestate, aut potentia territi,
vel arte circumuerti, ità decurtatè depo-
nunt, quod nihil concludunt.

ADNOTATIO II.

XXVIII. Aduertendum pariter est,
quod accidit multoties, quod Iudex agrè fe-
rens, quod per contrarias probationes de-
struatur Processus, & Reus euadat absolutus,
contra quem ille est animosus; aut per se, aut
per submissos à se, procurat sollicitare, & sub-
ornare Testes secretò, representando, quod,
deponendo pro Reo inuiso Prouinciali, ipsi
perdent fortunas suas, pro indè vel nullo mo-
do se examinari sinant, dicendo extrajudi-
cialiter Patrono, quod nihil sciunt de illo fa-
cto; vel si examinentur, deponant parcè, ità
vt eorum depositio non proficiat ad intentum;
quæ omnia sunt contra ius, & fas. Hoc pe-
riculum vt præueniat Patronus, non pandat
Iudici Testes, quos vult examinare, nisi
oretenus, dum citatur, vt infra dicemus, &
singillatim; ità enim fiet, (dum nesciuntur,
quos velit proponere,) quod Testes non pote-
runt subornari prædicto modo, vt de Testibus
ab Accusatore producendis, diximus suprà
Sect. 2. num. XXVI.

ADNOTATIO III.

XXIX. *Aduertendum tertio, quod sicut Iudex tenetur Articulos interrogatorios corrigere, moderare, & totaliter delere, apponendo singulis Censuram, vt dictum est supra num. XX. ita tenetur Articulos probatorios pari modo, & forma castigare. Receptis ergo, vt præfertur Articulis probatorijs, debet fieri super illis Decretum Consideratis, & benè ponderatis &c. vt sup. num. XX.*

XXX. *Forma citandi Patronum, ad producendos Testes.*

Anno Die loco &c. Vocatus fuit coram A. R. P. Prouinciali P. N. Patronus &c. & fuit ei dictum, vt produceret Testes, & alia documenta per quæ probet Articulos à se propositos: qui respondit, se paratum esse omnes proponere, sed ex iusto motiuo detineri, ne simul, & vno contextu, omnes nominet; proindè se velle fingillatim nominare eos, quos producere intendit; & pro nunc nominare P. Fr. N. Sacerdotem examinandum super primo, quarto, & sexto Articulo; & petijt, vt, nulla interposita mora, examinaretur; & se interim expectare extra cameram examinis, vt possit, illo examinato, alium nominare, si A. R. P. visum fuerit, immediatè post hunc examinare alios. In quor. &c.

Ego N. Patronus.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Incontinenti ergo vocatus fuit P. N. Sacerdos Testis, vt supra productus, qui monitus, & iuratus &c. interrogatus super primo Articulo. Respondit. Interrogatus super quarto &c. item super sexto. Respondit &c. & concluditur examen sic. Quibus habitis, & si, & in quantum receptis dimissus est, postquam sibi lecto examini subscripsit.

Ego N. affirmo, vt sup.

Ego N. Prouincialis.

Fr. N. Actuarius.

Comparuit immediatè post coram A. R. P. Prouinciali P. Fr. N. Patronus, qui supra, & produxit in alium Testem P. F. N. examinandum super secundo, tertio, & quinto. In quorum &c.

Ego N. Patronus.

Ego N. Actuarius.

Incontinenti ergo vocatus fuit P. Fr. N. &c. vt supra, & completo ipsius examine, Patronus compareat, & alium, pro vt supra, producat, donec omnes fuerint examinati, & Iudex faciat Decretum de concedenda copia dicti examinis, & Actuarius eius executionem registret, sicut dictum est supra numero XXV.

ADNOTATIO I.

XXXI. *Aduertendum, quod potest dari casus, quod aliquis vocatus in Testem à Patrono, ad Rei defensam, nolit testificari; protestando extraiudicialiter ipsi Patrono, quod si vocabitur à Iudice, dicet, se nihil scire, quantumuis sit plenè informatus de illo facto, super quo deberet testificari. Tali casu, si Patronus habet Testes, per quos possit probare, tale dictum, & quod ille Testis se prodiderit informatum de facto illo, potest implorare Officium Iudicis, vt compellat illum Testem, ad se submittendum examini, & forma potest esse, vt sequitur.*

Comparuit coram A. R. P. Prouinciali P. Fr. N. Patronus, qui supra &c., & petijt audiri; & sibi facta copia dicendi, ait, quod ipse rogauit P. F. N. vt examinaretur super quodam facto, expresso in quodam Articulo probatorio ad defensam sui Clientuli, exhibito in Actis, de quo facto, constat, ipsum esse benè informatum, cum illud per extensum narrauerit Fratribus N. & N., die, & loco &c. ipsum verò P. Fr. N. à se rogatum respondisse, nullo modo se velle examinari; & si aliquo modo cogeretur, se responsurum nihil scire de tali facto; & hoc dixisse in præsentia Fratrum N., & N. tali die, & loco, &c. Implorauit ergo prædictus comparens Officium Iudicis instando, vt iuris remedijs cogeret prædictum Testem, ad se examinandum super Articulo &c. & hic exprimat Articulo, super quo vult, vt examinetur. Quibus auditis, A. R. P. respondit, se esse præstiturum, quæ de iure esse, iudicabit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Patronus.

Ego Fr. N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter volens A. R. P. petitioni prædictæ sibi factæ à P. Fr. N. Patrono, prout de iure est morem gerere, vocare coram se fecit P. Fr. N. &c. & ita examinet Testes à Patrono productos, ad probandum,

quod ille . qui reuuit examinari , se prodidit plenè informatum de illo facto ; & quod dicit , se uelle respondere Iudici , quod nihil sciebat de illo facto , casu quo fuisset coactus examinari . Mox si Testes probent , cogat illum Testem ad se examinandum ; & si respondeat , se nihil scire , eum torqueat iuxta formam datam supra Sectio IV. num. LVI.

ADNOTATIO II.

XXXII. Aduertendum secundò , quod in examine Testium ad defensam , tenerur Iudex in conscientia , facere illas interrogationes fauore Rei , quas fecisset fauore Fiscii ; debet autem etiam bene perpendere , an potuerint esse instructi ad deponendum falsum , & omnem diligentiam debet adhibere , ne cum iniustitiæ , læsione , ac falsitate , Reus defendatur . Pariter aduertat ne durus sit contra Testes , qui deponunt fauore Rei , nec illos increpet , deterreat , aut impediatur , quo minus dicant , quod dicere uolunt , aut dicent Actuarius , quæ scribi uelint ; poterit enim , si talia præstet , recusari , ut suspectus , ut probauimus , Par. p. Tit. Patronus num. 78. pag. 728. & si de facto impediuit ne Testes dicerent , quæ dicere incæperant , aut ne Actuarius scriberet dicta Testium , potest Patronus appellare , quia Iudex iam grauauit Reum . Et quia casus iste frequenter usu uenit , quando Iudex est animosus in Reum , optimum est tradere formam , quam seruare debet Patronus in recusando , siue appellando . Casu ergo quod Testes examinati retulerint Patrono , quod Iudex obducta fronte eos receperit , uocauerit falsos , periuros , mendaces &c. & deponentibus ipsis ad fauorem Rei , ille iratum , & succensum contra eos se prodiderit ; potest Patronus scripto mandare Libellum recusationis , & iudici intimare , ut sequitur .

Coràm A. R. P. Ministro &c. comparet Fr. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi in causa Contrà eundem actitata ; & præmissa protestatione honoris , & reuerentiæ , quæ debetur , & quam præstat eidem A. R. P. tanquam suo Prælato , nomine Fr. N. Clientuli sui , dicit , personam eiusdem A. R. P. esse sibi suspectam , & suspectissimam , & tanquam talem eam iurat , ex eo quod malum animum prodidit contra Fr. N. Clientulum suum ægrè ferens , quod Testes examinati ad eius defensam deponerent ad ipsius fauorem . Proindè cum periculosum sit coràm suspecto Iudice liti-

gare , timens , esse grauandum in Sententia diffinitiuâ , & cæteris Actis , ipsum recusat , ut Iudicem suspectum ; ex causa præallegata , quam probare legitimè se offert coràm Arbitro , quem ipse A. R. P. eliget ex quatuor , quos sibi proponit nempe R. R. P. P. N. N. & N. , illumque rogat , & uult , quod amplius non se immisceat in causa ista , & si aliter fiat , protestatur de nullitate , & grauamine , & prouocat ad quem , & quos de iure . Dat. Die &c.

Ego Fr. N. Patronus recusò , & appello , ut supra .

Exinde eam coràm Testibus in iudicio præsentet , adhibitis omnibus formis & cautelis , quas dedimus Sectio p. num. XVI. & seqq. loquendo de recusatione Iudicis ; & descriptio Actus , Decretum Iudicis , deputatio Arbitrorum &c. faciendæ erunt , ut ibi scripsimus .

Si uerò Testes referant , quod Iudex noluit , quod ipsi deponerent fauore Rei , quæ dicere incæperant , & dixit quod de his nolebat audire ; quod tacerent ; aut quod Actuarius illa non scriberet ; tali casu , quia apparet de manifesto ; & irreparabili grauamine , potest Patronus appellare in hac forma .

Coràm A. R. P. Prouinciali comparet Fr. N. &c. ut supra . Et præmissa protestatione honoris &c. ut supra dicit , & conqueritur Clientulum suum fuisse ab eo grauatum , dum impediuit Testes à se productos , nè ad illius fauorem prosequerentur , quæ dicere incæperant , neque Actuarius illa scriberet . Proindè cum timeat , se amplius ab eodem Iudice , in futurum , esse grauandum , appellat ab eo super grauamine prædicto iam recepto , ad quem , & quos de iure &c. & cumulando appellationem cum recusatione , ex prædicta causa , illum tanquam Iudicem sibi suspectum recusat , & rogat , & uult , & instat , ut nullo modo , se amplius immisceat in Causa , quæ contrà prædictum actitatur ; & protestatur de nullitate , si non obstante præsentis recusatione , & appellatione , ad ulteriora processerit , denuò , & nunc pro tunc appellat , & ad Superiorem petit recursum , & petit apostolos instantèr , instantius , & instantissimè . Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Patronus appello , & recusò , ut supra .

Excide presentetur in Actis, sicut de recusatione paulo supra dictum est, & Iudex à prosecutione Causæ absteineat; sed format Decretum sequens.

Quamvis appellatio supradicta facta à P. Fr. N. Patrono, nomine Fratris N. sui Clientuli friuola, temeraria, & insubstans fit, & proinde illi non deferendum; ob reuerentiam tamen Reuerendissimi P. Generalis, & aliorum successiuè, ad quos de iure &c. illi detulimus, si, & in quantum &c. & petenti apostolos esse concedendos decernimus, quando Nobis fuerit opportunum. Dat. &c.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

XXXIII. *Aduertendum tertio, quod si, recepta copia examinis, aut super Articulis interrogatorijs, aut supra probatorijs, Patronus aduerterit, Iudicem correxisse, vel deleuisse Articulum, quem reijcere probabiliter non debuit; vel super aliquo Testes non repetiisse, aut examinasse; vel aliquem, aut aliquos Testes non repetiisse, aut examinasse; vel in examine eorum contrarias interrogationes suggestiuas inexcusabiliter fecisse; vel non exactè, vel debitè interrogationibus non factis, repetiisse; aut fauore Rei, non examinasse, potest Patronus comparere coràm Iudice, & petere, vt ab eo ommissa repararet, sequenti forma.*

Comparet coràm A. R. P. Prouinciali &c. Fr. N. Patronus &c. & dicit, quod in copia repetitionis Testium, siuè examinis Testium ad defensam, reperit; quod Testes non fuerunt interrogati super Articulo tali &c. siuè non fuerunt omnes Testes repetiti, siuè examinati, cum non fuerit repetitus, siuè non examinatus Fr. N. qui fuit examinatus pro Fisco, siue productus ad defensam; siuè non fuerunt factæ interrogationes, quæ fieri debuerunt, puta &c. & hic exprimantur interrogationes faciendæ &c. Petijt proinde, quod super illo Articulo repetantur, seu examinentur omnes, seu talis Testis &c. siuè fiant debitæ interrogationes &c. & hic exprimantur clarè, & distinctè ea, quæ Petijt Patronus, vt Iudex præstet. Secus protestatur de grauamine, cum debita reuerentia appellat, ad quem, & quos de iure, & petit apostolos

instantiùs, & instantissimè &c. Dat. &c.

Ego Fr. N. Patronus peto, & protestor, & appello, vt supra.

Præsentata fuit, & in Actis recepta suprascripta appellatio Die &c. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Recepto, vt præfertur Libello petitionis circa supradicta, in potestate, & arbitrio, Iudicis est, petitioni deferre, vel illam reijcere; sed si eam reijcit, Patronus à Decreto reiectionis appellat, & ligat manus Iudici, ne prosequatur, & diutiùs protelatur Causa, in discutiendis meritis appellationis; proinde melius est, vt Iudex petitioni annuat sequenti Decreto.

Audita præfata petitione, licet A. R. P. iudicaret illi non esse deferendum, tanquam indebitæ, & friuolæ, tamen ex abundantia suæ benignitatis, & clementiæ illam admittit, si, & in quantum, & decreuit Testes examinare denuò, prout petitum fuit. Acta &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius

ADNOTATIO IV.

XXXIV. *Aduertendum quartò; quod Patronus non debet in omni casu fabricare Articulos defensorios, super quibus noui Testes examinentur; sed solummodò, quando de necessitate, aliquod factum est probandum, quod non remanet probatum per Testes pro Fisco examinatos, & ex quo bonum ius potest deduci ad fauorem Rei. Pariter absteineat Patronus ab Articulis cauillosis, & captiosis, tum quia hæc non prosunt imò frequenter bonum ius Rei debilitant, sicut bono vino aqua mixta præiudicat; tum quia Causa per tales Articulos nimis protrahitur cum Religiosæ quietis iactura, & conscientiæ grauamine; tum quia illos tenetur Iudex reijcere, & non obstante appellatione, valida erunt Acta, si post diffinitiuam à Iudice appellationis pronunciabitur Articulos illos fuisse impertinentes. Deum, ergo conscientiam, & iustitiam, Patronus sibi ante oculos statuatur, & Articulos merè necessarios ad Causam proponat, & probari per Testes à Iudice curet.*

XXXV. Forma componendi Defensiones.

Sicut variantur delicta, & eorum circumstantia, indicia, probationes, & adminicula tam contra, quam pro Reo, ita etiam variande sunt Defensiones; & proinde non potest tradi illarum una Regula; siue forma, quae varianda est ad casuum varietatem. Tamen damus schema, quod vniuersaliter seruandum est, pro ordinandis debito modo Defensionibus; pro quibus condendis videat Patronus locos opportunos à Nobis datos. Par. p. Tit. Patronus. num. 82. pag. 733. & seqq. num. 124. & inde; & num. 170. pag. 756. & seqq. Forma autem erit vt sequitur.

In Nomine Domini Iesu Christi Amen.
Reu. Adm. P. Minister Prouincialis,
ac R.R. P.P. Diffinitorij.

Licet ingenij mei tenuitas à fuscipiendo difficili æquè, ac periculoso, Patroni munere me deterrurit; vires tamen imbecillitati addidit charitas, subleuando Proximo, ab Accusatoribus impetito, intenta. Labanti animo succurrit opportuna spes, quam tantorum Iudicum integritas, & sapientia, mihi est enixa. Noui siquidem tritum apud illos esse non tam monitum, quàm mandatum Imperatoris, in l. Vnic. C. Vt quæ des. Aduoc. Iud. sup. quo partes esse Iudicis, demonstratur, sup. plere fauore Rei, ea, in quibus deficit Aduocati tenuitas. Alacer ergo tali spei fides Defensiones Fr. N. imputati de &c. *Et hic apponatur Delictum, super quo processum fuerit. Aggressus sum, sciens P. P. V. V. Adm. R. & R. R. pro ipsarum & Doctrina, & integritate esse suppleturas, ad fauorem illius ea, in quibus deficientem me reddet imperitia. Sequentia verò puncta consideranda propono, ex quibus apparebit Fr. N., sicut expers est delicti, ita immunem esse debere à pœna à legibus contra Sontes fancita.*

Primùm est, quod nullum fuit, nec legitimè probatur Delictum, quod supponitur.

Secundùm est, quod gratis admisso, quod delictum fuerit commissum, & probatum Frater N. tamen illud non commisit.

Tertiùm est, quod legitimè non pro-

batur, quod illud commiserit.

Quartum est, quod acta processualia sunt omninò nulla, indicia non probata, Testes inhabiles, contrarij, & nihil concludentes &c.

Quo ad primum &c. *Et hic debet Patronus formare argumenta ad probandum puncta proposita, & aduertat Patronus præcepta quæ dedimus, Par. p. Tit. Patronus num. 165. pag. 754. & seqq.*

Et sciendum, quod non omnia prædicta puncta sunt proponenda, sed illa solum, quæ Patronus probare potest. Et aduertat Patronus ne mordaciter scribat; Iudici, Accusatori, siue Testibus insultando, sed, Religiosa modestia, exponat ea tantum, quæ necessaria sunt ad Defensionem Clientis, & si excipere habet contra personas ex causa criminosa, & turpi, apponat clausulam protestatiuam, puta, quod taliter excipit citra animum iniuriandi, offendendi, aut diffamandi, sed ad puram, & necessariam Defensionem sui Principalis &c. Et crimen illorum simpliciter, imò diminutè enunciet, & nullo modo exaggeratiuè, & concludat sic.

Ex hucusque ergo probatis concluditur Fr. N. esse absolendum ob obseruationem Iudicij, quod à summa P. P. V. V. Adm. R. & R. R. integritate, & clementia speratur. Ita &c. saluo &c.

Ego Fr. N. Patronus.

XXXVI. Forma præsentationis Defensionum.

Præsentatæ fuerunt, & repositæ in Acta Defensiones Fratris N. Rei, quæ incipiunt &c. & desinunt &c. & ponatur tenor. In quorum &c. Acta Die &c.

Ego N. Actuarius.

XXXVII. Forma compositionis petendæ à Reo cum Fisco.

Plura diximus de Compositione Rei cum Fisco, & de conditionibus, & forma Requisitis ad eam faciendam, Par. p. Tit. Sententia. num. 123. pag. 814. Illis ergo suppositis, si Patronus iudicat expediens petere compositionem potest, vti forma sequenti.

Coràm A. R. P. Ministro Prouinciali comparet Fr. N. Reus prætensus de &c. *Et hic exprimat Delictum, de quo facta est Inquisitio; & dicit, quod de delicto, super quo*

quo à Curia hucusque molestat, est totaliter innocens, nec contra ipsum possunt militare vlla indicia, quæ vera sint; & licet nonnulla adessent, quæ viderentur verisimilia, & sufficientia ad Torturam, ipsæ suæ innocentiae innixus, omnia tormenta mundi potius sustineret, quam confiteri se tali crimine deliquisse, cum læsione veritatis, & propriæ famæ. Tamen quia recogitat, se ad Religionem venisse, non vt litigaret, sed vt Superioribus obediret, & in exercitijs penitentiae, & mortificationis animam suam ab imperfectionibus, & peccatis, contra Deum commissis, purgaret; vidensque, quod Actus isti processuales, qui facti sunt, & fieri adhuc debent, nimis suam Religiosam pacem, & quietem interturbant, ad talem molestiam redimendam, & ad exercitium humilitatis, patientiæ, & mortificationis paratum se exhibet omnem penitentiam subire, quæ sibi paternè dabitur; cum hac tamen conditione, quod processus sepellatur, & Causæ huiusmodi perpetuum silentium imponatur. Qua propter rogat, & enixè præcatur A.R.P., vt dignetur pro sua benignitate, & clementia, huiusmodi exhibitionem acceptare, cum apposita inseparabiliter conditione, & non aliter, & votis petentis annuere. Quod totum &c. Dat. Die &c.

Ego Fr. N. peto, vt supra.

Præsentata, & in Actis posita fuit, A.R.P. mandante, superscripta supplicatio. In quorum &c. Acta sunt hæc Die ...
..... &c.

Ego N. Actuarius.

XXXVIII. Forma Recusationis alicuius de Diffinitorio, ne interueniat in iudicio.

Diximus Par. p. Tit. Canones. num. 6. pagin. 166. & inde, quod Diffinitores possunt recusari ex causa, tanquam suspecti. Casu ergo, quo Reus habeat legitimam suspicionem de aliquo, vel aliquibus, potest ipsum recusare in forma sequenti.

Comparet coram Adm. R.P. Ministro Prouinciali Fr. N. Reus imputatus de &c. & hic exprimatür crimen, de quo fuerit inquisitus; & dicit quod personæ R.R.P.P. N. & N. sunt sibi suspectissimæ, & vt tales eas iurat, ex eo quod &c. & hic apponatur

causa recusationis; quam causam probare se offert, & producit in Testes, P.P.F.F.N. N. & N. Quapropter non animo calumniandi, sed solum propriam idemnitatem procurandi, ipsos, vt præfertur, recusat in Iudices, & vult, quod nullo modo admittantur in Diffinitorio ad iudicandum in Causa sua; protestando de nullitate actuum, si aliter fiat, & appellat ex nunc pro tunc, & petit apostolos instantèr, instantius, & instantissimè. Acta sunt hæc Die &c.

Ego Fr. N. recuso, & appello, vt supra.

Præsentata fuit, & acceptata si, & in quantum, & ad mandatum A. R. P. recepta in Actis superscripta comparitio. In quorum &c.

Ego N. Minister.

Ego Fr. N. Actuarius.

A D N O T A T I O

XXXIX. *Aduertendum, quod in recusatione alicuius de Diffinitorio, probatio cause recusationis non fit à Recusante coram Arbitris, sicut fit, quando recusatür Prouincialis; sed fieri debet coram eodem Prouinciali, qui debet pronunciare, an constet de causa sufficienti recusationis, nec ne. Habita ergo, & recepta recusatione, vt supra, debet Prouincialis procedere, vt sequitur.*

Consequenter A.R.P. Prouincialis volens prout de iure procedere, decreuit examinare Testes a prædicto Fr. N. Recusante productos. Proindè vocare coram se fecit Fr. N. Testem, vt supra nominatum à Recusante, & ei dato iuramento &c. prout iurauit tact. &c. fuit interrogatus &c. Porro interrogaciones debent fieri iuxta causam adductam à Recusante, puta Inimicitiam Recusati contra ipsum; siue Amicitiam eiusdem cum Notorio Inimico Recusantis, siue illius dictum extraiudiciale &c. de quibus omnibus dedimus Formam interrogandi supra Sect. IV. num. XXXVIII. & XXXVIX. & tandem debet pronunciare, an constet, nec ne de Recusationis causa, & excludere, vel admittere Recusatum. Quod si causa recusationis sit euident, puta quod aliquis de Diffinitorio sit Consanguineus Actoris, potest Prouincialis, nullis examinatis Testibus, sed tantum proposita notorietate cause, ferre Decretum de excludendo Diffinitore.

XL. Forma tenenda à Prouincialibus pro excludendo vno, aut pluribus à Diffinitorio, & alijs subrogandis.

Diximus Par.p. Tit. Canones nu. 70. pag. 133. quod Prouincialis inherendo dispositioni Textus cit. Tit. Canones §. XIII. potest, si causæ genus, & ratio suaserit, omittis aliquo, seu aliquibus de Diffinitorio, probatos Patres Prouinciæ adhibere pro consilio habendo in omnibus casibus criminalibus, in quibus Textus præcipit, requirendum esse à Prouinciali consilium Diffinitorum; & que uam possint esse causæ omissionis expendimus Par.p. loc. cit. pariterque, qui nam sint substituendi. Quia verò Diffinitores sunt Coniudices, & Consiliarij Prouincialis, & adhibendi ab illo in iudicijs, sub pœna nullitatis actuum, non debent excludi ab Officio iudicandi, nisi causa illos excludendi sit legitima, & euidens; non verò mendicata, & probabilis tantum; hoc enim incongruum est, ut ex colorato, siue probabili motiuo priuetur Diffinitor iure certò iudicandi, quod sibi conuenit, & si talis exclusio ex quauis causa, & quoquomodo posset fieri à Prouincialibus, multæ in Prouincijs, & periculose orientur contentiones. Causæ ergo legitime sunt illæ omnes, quæ sufficiunt Reo in Recusando Iudice, siue alijs ad iudicium necessarijs, prout diximus, cit. Tit. Canones numero 70. in fin. pag. 133. Sed cum hoc debent esse euidentes, & notoriæ. Quod si tales sint, potest tuto Prouincialis Diffinitorem, ut præfertur omittere. Quæ enim potest Reus proponere Iudici ad sui fauorem, ne grauetur; hæc potest, & tenetur præstare Iudex ex Officio suo nobili ad fauorem, siue Rei, siue Religionis, cui interest, ut Criminosi puniantur. Quemadmodum ergo causa Recusationis Iudicis adducta à Reo debet esse probata per Testes, aut euidens ex se, nec sufficit eam esse probabilem; ita etiam Prouin-

cialis oportet, quod ad excludendum Diffinitorem habeat causam euidentem, aut notoriam; & super ea interlocutoriè pronunciet proponendo in Decreto notorietatem illius, ut in Notorijs sit. Casu ergo, quod aliquis Diffinitor sit Consanguineus, Actoris, siue Rei; aut sit notorius Inimicus, siue Amicus eorundem; aut notoriè insufficiens ad consiliandum præ ignorantia in re criminali; tunc habet Prouincialis causam legitimam, & euidentem, vel notoriam illum excludendi; & pro quocunque casu, in quo deberet congregari Diffinitorium, siue pro carcerando ad custodiam, siue pro torquendo, siue pro sententiando Reo, potest illum omittere præmissa tamen Decreto, quod sequitur.

Consequenter cum A. R. P. Prouincialis deberet congregare Diffinitorium, pro habendo consilio, an deberet prædictus Fr. N. Reus carcerari ad custodiam, siue torqueri: siue congregare Diffinitorium ad finaliter sententiandum; & aduertisset, quod R. P. N. Diffinitor est Frater, siue Consobrinus Rei, siue Accusatoris, siue est notorius Inimicus, siue Amicus notorij Inimici Accusatoris, siue Rei; siue est notoriè imperitus rerum criminalium, etiam post longum studium; decreuit, iuxta sibi indulta à nostra Praxi Criminali, omittere dictum R. P. N. Diffinitorem, à quo, vel nullum, vel non integrum consilium posset habere. Vocatis ergo in sua camera A. R. P. P. N. & N., qui sunt ex dignioribus Prouinciæ, ipsos consuluit, quemnam, loco præmemorati Diffinitoris, ad prædicta substituere bonum esset; & habita ab ipsis collatione; R. A. P. Prouincialis decreuit substituere. P. N. Theologum &c. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Prouinciæ Pater.

Ego N. Prouinciæ Pater.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

SECTIO SEPTIMA.

In qua agitur de Tortura Rei.

I. *Ante ferendum Decretum de Tortura Reo danda super Delicto principali, conuocandum est Diffinitorium, & consideranda sunt Defensiones Rei, an tales sint, quæ vel nullo modo, vel solum in parte, aut totaliter destruunt indicia, & probationes contra ipsum, & ad hoc legenda sunt, quæ diximus, Par. p. Tit. Canones num. 72. Tit. Tortura num. 133. pag. 629. & seqq. & Tit. Sententia num. 13. pag. 774. Vbi locuti sumus de obligatione Diffinitorum circa benè intelligenda, per se ipsos, merita causæ; & quæ scripsimus Tit. Tortura à num. 58. p. 599. & indè, ubi examinauimus causas, & indicia; ob quæ potest Reus torqueri. Presentatis igitur à Patrono defensionibus, conuocandum est Diffinitorium, & sibi ostendenda sunt omnia acta, & rationes, tam pro, quàm contra Reum; & benè discutienda, & tandem resoluenda; ut ratio suaferit. Totum autem debet in Processu adnotari, ut sequitur.*



Onsequenter A. R. P. Prouincialis, inhærendo dispositioni Constitutionum Ordinis, in cameram suam conuocauit R. R. P. P. Custodem, & Diffinitores, & per Me infra scriptum, sibi lectis Actis processualibus, & adductis per P. Fr. N. Patronum, in defensionem præmemorati Fr. N. Rei; ab ipsis petijt consilium; An in prædicta Causa esset locus Torturæ, & an leuiter, vel grauiter, vel acriter esset Reus Torquendus. Qui maturæ consideratis omnibus concluderunt &c. Et hinc apponatur tenor conclusionis in Diffinitorio stabilitæ. Acta sunt hæc Die, & loco &c.

Ego N. Diffinitor .

Ego N. Diffinitor .

Ego N. Diffinitor .

Ego N. Diffinitor .

Ego N. Custos .

Ita est Ego N. Minister .

Ego N. Actuarius .

ADNOTATIO I.

II. *Recolenda hinc sunt quæ scripsimus Pars II.*

Par. p. Tit. Tortura nu. 20. pag. 586. & seqq. ubi demonstrauimus, non teneri Iudicem ad petendum consilium à Diffinitorio super specie Torturæ dandæ; neque super specificata duratione Torturæ, eo quia hæc aut à lege sunt, (apud Nos,) determinata; vel sunt ipsi Iudici arbitraria. Præcis ergo esse debet quod lectis Actis pro, & contra Reum, & ab unoquoque de Diffinitorio consideratis, adhibito studio, & diligentia, simul conferant super meritis Causæ. Mox Prouincialis ipsis proponat; Num sit locus Torturæ nec ne? Et per calculos albos, & nigros requiratur eorum sententia; & calculi albi significant non esse Reum torquendum; nigri autem vice versa. Hoc enim modo magis saluatur libertas Consulentium. Et debet aduertiri, quod Prouincialis, non debet calculum suum, tali casu, conferre, quia ipse petit consilium ab alijs, & consilium exprimitur per calculos; proinde non potest calculum consultiuum ipse conferre, nullus enim sibi consilium dat. Et paribus existentibus calculis albis, & nigris non est Reus torquendus, quia tenetur Iudex, inclinare ad fauorem Rei. Quod si calculi nigri vincant, & ideo consilium sit, quod Reus torqueatur; Prouincialis proponat; An sit torquendus leuiter, vel grauiter? Et pariter dandi sunt calculi; & albi significabunt torquendum leuiter, nigri verò grauiter. Et si adhuc nigri vincant, Prouincialis proponere debet, An sit torquendus grauiter, vel acriter, hoc est grauissimè. Et simili modo resoluendum erit consilium per calculos.

ADNOTATIO II.

III. *Aduertendum secundo, quod ex rationabili causa, (ut habet Textus, Tit. Tortura §. III. Et Nos ibi explicauimus n. 24. p. 588. & Tit. Canones num. 70.) potest Prouincialis omittere petitionem consilij à Diffinitorio, & loco ipsius adhibere Patres probos, & peritos, & quæ nam causæ ad hoc requirantur, & sufficiant, diximus locis citatis. Casu ergo, quod difficile esset Diffinitorium congregare, & causa deberet citò expediri, potest Prouincialis consilium petere à Patri-*

P
bus

bus probis, & peritis; & est aduertendum, quod debet in Processu registrari causa, quarè loco Diffinitorum, alij Patres sint adhibiti ad censilium, & factum potest describi, vt sequitur.

Consequenter volens A.R.P. ad vltiora procedere, statuerat, iuxta dispositionem Statutorum, conuocare Patres Diffinitorij ad petendum ab ijs consilium, antè constitutionem Rei in examine riguroso; sed quia considerauit incommodum esset ratione distantiae, siuè pluuiarum incessantium, siuè temporis hyemalis &c. omnes Patres de Diffinitorio congregare, & nimis in longum protraheretur Causæ huius expeditio, decreuit (iuxta indulgentiam sibi factam à Praxi Ordinis) in locum Diffinitorum distantium, alios Patres probos, & peritos substituere. Vocare ergo fecit in cameram suam Patrem N. Custodem, siue Diffinitorem, P. N. Exprouincialem; P. N. Guardianum, & P.P. N. & N. Theologos &c. & per Me infrascriptum sibi *lectis Actis &c.* vt suprà num. I.

A D N O T A T I O III.

IV. *Potest dari casus, quod ratione ætatis, aut Dignitatis, aut valetudinis Rei, ipse non possit, nec debeat torqueri, vt diximus, Par.p. Tit. Tortura num. 110. p. 620. & seqq. vel potest Reus esse viribus validus ita vt melius sit dare pœnam extraordinariam, quàm inutiliter torquere, vt probauimus fieri posse citato, Tit. Tortura n. 128. pag. 627. & seqq. Tali ergo casu, debet adnotari in processu, quod Diffinitores, siuè Patres adhibiti ad habendum consilium super Tortura danda nec ne, considerantes Reum non posse torqueri ratione ætatis, dignitatis, aut infirmitatis; siuè coniectantes; quod per Torturam nihil proficietur, quia Reus est validus viribus, & constans corde, & Torturam pro nihilo habebit; consuluerunt non esse torquendum, sed condemnandum ad pœnam extraordinariam &c.*

V. *Forma Decreti faciendi antè Torturam.*

Consequenter volens A.R.P., adhærendo votis Diffinitorij, siuè Patrum &c. de quo supra, decreuit supradictum Fr. N. Reum in riguroso examine constituere,

ipsumque torquere; quapropter vocare illum fecit coràm se, & ei dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit ta&t. &c. A.R.P. ita ipsum charitatiuè monuit; Quamquam ex indicijs, & Testium probationibus certum apud Nos, & indubitatum sit, quod tu commisisti tale crimen &c. *Et hïc apponatur crimen summarè &c.* tamen decreuimus hoc scire ex proprio ore tuo. Da ergo gloriam Deo, & veritatem confitere. Quomodò se habuit factum, ob quod constitutus es? Respondit &c.

Hïc aduertendum est, quod minutim adnotanda sunt omnia dicta, motus, gestus, suspiria, lacrymæ, eiulatus, &c. ipsius Rei.

Replicatum ei fuit. Ex quo obstinatus, & durus manes in deneganda veritate, iterum monemus te, vt ab obstinatione recedas, & veritatem spontè fatearis; aliter cogeris per tormenta illam aperire. Respondit &c.

Iterum fuit ei dictum; Quamuis factum neges, à te peto causam facti, de quo processatus es. A quo motus fuisti frangere ostium Sacristiæ, & furari &c. arrepto fuste de nocte percutere Fratrem N. componere, & affigere Libellum famosum &c. *Et hïc sibi obijciantur circumstantiæ criminis, & omnia indicia.*

Videns autem A. R. P. obstinationem ipsius Fratris N. Rei, cum alio modo, quàm per eius confessionem, non potest haberi veritas criminis prædicti, decreuit, vt ipse Reus in domo discipline arctaretur per ieiunia, & disciplinas iuxtà sanctiones Ordinis per tempus benè visum ipsi A. R. P. siuè flagellaretur nudatus, manibus ante pectus ligatis; siuè sibilis torqueretur; siuè taxillis adhibitis ad fatendam veritatem adigeretur, &c. sibi referando ius, & arbitrium toties, quoties opportunum iudicauerit, illum torquendi, & genus Torturæ variandi; & protestando hanc Torturam inferri absque præiudicio confessatorum, & ad solum finem habendi super cæteris veritatem; & tale Decretum fuit per Me Actuarium in facie ipsius Rei lectum, & sibi intimatum. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarium &c.

VI. Forma torquendi per Arctationem simplicem.

Demoustrauimus Par.p.Tit. Tortura num. 13. p. 84. & seqq. Arctationem, ex dispositione Statutorum Ordinis, non importare, nisi ieiunium in pane, & aqua, & disciplinam in publico Refectorio per integrum Psalm. Miserere ter in hebdomada. Hoc autem leuissimum genus torturae corporalis est. Casu ergo, quod talis Tortura iudicetur adhibenda, in Decreto supradicto debet poni, quod Iudex decreuit, quod Reus arctetur per ieiunia, disciplinas iuxta sanctiones Ordinis ter in hebdomada &c. Ex post adnotari in Processu sit.

In cuius decreti executionem praedictus Fr. N. Reus fuit vocatus ad culpam in publica Fratrum Communitate, & refectioe ab eodem A.R.P. Ministro; sibi que iniunctum, vt in publico Refectorio se disciplinaret, recitando, prout de more, Psalmum *Miserere*; qui praefatus Fr. N. promptè obediuit, & absoluto praedicto Psalmo, iussus fuit, genuflexus manducare solum panem, & aquam bibere; hocque seruare secunda, quarta, & sexta feria cuiuslibet hebdomadae, donec ipse A.R.P. aliter decerneret. Acta sunt haec Die &c.

Ego N. Actuarius.

VII. Forma torquendi per Arctationem qualificatam.

Iuxta dicta numero superiori regulandum est Decretum Arctationis qualificate, mutatis tamen mutandis, & dici debet, quod Iudex decreuit, quod Reus recludatur in domo disciplinae, & ibi arctetur per ieiunia, & disciplinas iuxta sanctiones Ordinis ter in hebdomada &c. Ex post recenseri debet executio illius Decreti in processu, vt sequitur.

In cuius Decreti executionem praedictus Fr. N. Reus fuit in carcerem coniectus, non quidem formalem, cum priuatione chordae, & caputij, sed tanquam in domo disciplinae. Mox vocatus ad culpam in publica fratrum Communitate &c. vt supra num. VI.

A D N O T A T I O I.

VIII. *Aduertendum primò, quod pendente duratione Arctationis, Iudex debet Reum constituere, & examinare non semel, sed bis, & etiam ter. Non sufficit enim quod Reus maneat carceratus per tempus Iudici bene visum, & illo completo, demò examine tur, & persistendo in negatiua dimittatur, vt penè communiter fit; sed debet constitui, moneri, interrogari, & terreri per comminationem, longè carcerationis, hoc enim modo, fortè disponetur ad confitendum. Si enim Rei constituti in alijs generibus Torturae, vt funis taxillorum &c. in actu Torturae interrogantur, & quoties sibi Tortura replicatur; hoc idem praestari debet in Arctatione, quae, & ipsa species Torturae est. Praxis ergo talis debet registrari in Processu, vt sequitur.*

Cum à carceratione Fratris N. Rei transissent octo dies, A. R. P. Minister illum carcere eductum coràm se statuere fecit; & sibi dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tact. &c. fuit paternè, & charitatiuè monitus, vt dimissa obstinatione non confitendi veritatem, ipsam tandem aperiret; proindè fuit interrogatus quomodo &c. *Et hic interrogetur de Delicta &c. Respondit &c.*

Fuit ei dictum, vide, miser, quomodo affligeris, sequendo Diabolum patrem mendacij; ex periurio enim, quo negas veritatem, animam tuam illius tyrannidi subdis; & eodem tempore in corpore cruciaberis, non enim à tortura Arctationis cessabitur, donec veritatem fatearis. Libera ergo animam, & corpus tuum à tanto incommodo, & veritatem confitere. Dicas ob quam causam fecisti hoc, & hoc, &c. Respondit &c.

Fuit ei replicatum, si de temporali corporis cruciatu, non curas, & quomodo non tremis de periculo aeterni cruciatu animae in inferno, dum in periurio perseveras? Nonnè in malo statu, in quo es, potest tibi repentina mors accidere in carcere? Nonne sic in peccato impenitens, & damnatus decederes? Resipisce ergo miser, & veritatem confitendo libera animam tuam. Respondit &c.

Tunc videns A.R.P. se in illo operam perdere, iussit, vt ad carcerem reduceretur, & in Arctatione perseveraret donec &c. Acta sunt haec Die... Mense... Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

IX. *Aduertendum, quod cum Arctatio sit Tortura valde leuis, & per quam raro Rei ad confitendum crimen adiguntur; sitque in Religione valde vſitata; ſi grauitas criminis ea ſit, quæ funem non requirat, requirit tamen corporale tormentum maius, quam ſit Arctatio, poteſt taliter qualificari, quod grauitati criminis proportioetur. Sunt quidem ſibili, taxilli, & flagellatio, quæ ſunt acriora tormenta, quàm ſit Arctatio, tamen in vſu non ſunt, ſaltem vniuerſaliter in Religione, & requirunt particularia inſtrumenta, & Tortorem expertum, qui intra clauſtra non de facili habetur. Poteſt ergo qualificari Arctatio per additionem vinculorum; & ſubtractionem alimentorum; ita, quod Reus catena circumdatus parieti alligetur, vel maneat compeditus in domo diſcipline; vel nihil obſoni ſibi detur, ſed tantum panis, ſcutella pulmenti, & ciathum vini in illis diebus, in quibus ieiunare non debet in pane, & aqua; hoc enim modo fiet, vt Arctatio talis, ad exigentiam delicti, validior euadat, ad extorquendam Confessionem.*

X. Forma dandi Torturam per flagellationem.

Non intelligimus hęc flagellationem, quæ fit per manus ipſius Rei, & in Religione vniuerſa practicatur, ſub nomine diſciplinæ, in culpis leuibus, & etiam nonnullis grauiibus; ſed loquimur de illa, quæ fit per manus alterius, quæ tamen vt aliàs diximus in Prouincijs Italie Occidentalibus in vſu non eſt, ſed vt audiui practicatur in nonnullis Prouincijs Regni Neapolitani, & etiam ultra Montes. Pro hoc tormento decernendo aduertendum eſt, quod Iudex debet apponere in decreto inſtrumentum, quo fieri debet flagellatio, puta an funiculis ſimplicibus; an catenulis ferreis; an virgulis vimineis; an loris, ſeu habenis &c. & ultra hoc numerum iſtum, qui debent incuti, & in tria interualla arbitrio Iudicis diuidi. Porro decretum poteſt eſſe, vt ſequitur.

Videns autem A.R. P. obſtinationem &c. vt ſupra num. 5. decreuit prædictum Fratrem N. Reum flagellari funiculis nodolis, ſiue catenulis ferreis, ſibi infligendo centum validos iſtus &c. ſiue plures &c. ſi

bi reſeruando ius, & arbitrium &c. vt ſupra num. 5.

In cuius decreti executionem adductus fuit præfatus Fr. N. Reus in cameram, quæ eſt ante carcerem, & in qua tortura ſolita eſt exerceri, & iuſſit A.R. P. Fratri N. Custodi carceris, vt illum expoliaret ſolis fæmoralibus relictis ad honeſtatem; manusque manicis ferreis iniiceret. Dum autem expoliaretur non ceſſauit A.R. P. illum monere charitatiuis verbis, vt veritatem facti aperiret; & ei dixit. Adhuc tempus habes, ſi vis, euadendi tormenta; dic ergo quomodo &c. Reſpondit &c.

Postquam autem fuit expoliatus, & manicatus, denuò A.R. P. monuit ipſum vt confiteretur; ſed illo perſiſtente in reſponſionibus iam datis, iuſſit vt flagellaretur validè, interponendo ſpatium dimidiæ *Aue Maria* inter vnum, & alterum iſtum; & accepta corona, ipſius calculis, numerum iſtum ipſe A.R. P. notare incœpit. Et dum primus iſtus ei datus fuiſſet, ipſe Reus vociferando ait &c. *Et hęc deſcribantur omnia, quæ dicit, vel facit Reus &c.*

Tunc A.R. P. ita interrogauit, dicas quare feciſti tale delictum? Reſpondit &c. *Et ita ſubſequatur flagellatio, donec viſum fuerit Iudici eam conuenire; & concludatur.*

Videns autem A.R. P. illius obſtinationem, & quod, ex vehementia doloris, ipſe Reus quaſi deliquium patiebatur, poſtquam triginta iſtus ſuſtinuiſſet, quorum nonnulli cutem ruperant, & ſanguis effluebat, iuſſit, vt ceſſaretur pro tunc à flagellatione, denuò indueretur habitu ipſe Reus, & vocato Infirmario vulnera, vt ſuadet charitas, curarentur; animo tamen eandem torturam tempore congruo continuandi, prout magis iudicauerit expedire. Acta ſunt hæc &c.

Ego N. Miniſter.

Ego N. Actuarius.

XI Forma torquendi per ſibilos.

Quid ſint ſibili diximus Par. I. Tit. Tortura. num. 2. caſu ergo, quod Iudex iudicet Reum eſſe Sibilis torquendum, decretum debet concipi, vt ſequitur.

Videns A.R. P. obſtinationem &c. vt ſupra num. 5. decretum tulit, quod prædictus Fr. N. Reus ſibilis torqueretur, ſibi reſeruando &c. vt ſup. loc. cit.

In cuius decreti executionem adductus fuit &c. *vt sup. num. 10.*

Postquam autem fuit expoliatus monuit denuò ipsum, vt delictum confiteretur, sed illo persistente in negatiua, iussit A. R. P. illum torturæ sibilorum supponi. Tum Fr. N. Custos carceris prædictus ambas Rei manus manicis ferreis constrinxit, ac inter indicem, & medium, medium, & anularem; atque anularem, & auricularem sibilos inseruit, eosque ab vna parte funiculo alligauit, & dum hæc agerentur non cessabat A. R. P. monere prædictum Reum, vt fateretur delictum; sed eo persistente in negatiua, iussit vt sibili funiculo stricto, ex alia parte, ligarentur, & digiti intercepti præmerentur. Quo facto cœpit Reus vociferare &c. & describantur omnes eius motus, voces &c.

Tunc A. R. P. interrogauit *vt supra num. 10.*

Videns autem A. R. P. ipsius obstinationem postquam stetit in illo tormento per spatium vnus Credo, iussit vt funiculi laxarentur, animo tamen illud tormentum siuè aliud opportuniùs adhibendi ad habendam veritatem, prout expediret; & reduci in carcerem fecit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O I.

XII. *Aduertendum, quod tempus huius torturæ non potest extendi ultra duo Miserere; hoc est sex minuta vnus horæ; prout præscribitur in Textu Tit. Tortura S. 2. proinde Iudex Deum timens, ne in re tam graui iustitiam lædat, & proximum offendat, debet habere vel horologium distinguens minuta, vel paruum horologium puluerem, quod duo minuta horæ præcisè metiatur, ne excedat; tempus enim duorum Miserere potest abbreviari, aut protendi ultra fas, si morosus, aut breuis nimis sit, qui illa recitat. Vnde ad obediendum præcisè legi, talis cautela est necessaria.*

A D N O T A T I O II.

XIII. *Aduertendum secundo, quod licet Textus loc. sup. cit. permittat torturam taxillorum, cuius variam acceptionem, iuxta Curiarum differentem præxim dedimus, Tit. Tortura num. 2. & seqq. tamen præficari inter Regulares egrè potest, cum desi-*

ant, nec de facili parari possint, instrumenta ad eam exercendam. Ideò eius formam omittimus tradere, & qui eam scire vult adeat Philippum Bictum Prax. 4. nu. 126. & 127. fol. mihi 589. qui eam tradit; nec tamen existimo, quod in sua Religione, tale genus Torturæ in vsu sit. Vnde pro grauioribus delictis sufficit Arctatio simplex, & qualificata, flagellatio, & sibili, cuius formas dedimus.

XIV. Forma dandi Torturam Funis.

Quia Tortura Funis non potest dari, nisi in atrocissimis, vt ordinat Textus Tit. Tortura S. I. Ne tale tormentum temerè detur, non solum debet Prouincialis audire, super hoc, votum Diffinitorij, sed ad cautiùs procedendum debet etiam consulere Aduocatum Sæcularem in rebus criminalibus, maxime peritum. Porro petitio talis consilij potest tum procedere, tum subsequi consilium datum à Diffinitorio, sed melius est, quod præcedat ad hoc, quod Diffinitores, ipsi etiam, meliùs per tale consilium instruantur. In casu ergo; vt præfertur, atrocissimo, vt homicidij, veneficij, abortus procurati secuto effectu, criminis innominabilis, furti magni, & sacrilegij &c. Reo existente negatiuo priusquam inferatur Tortura Funis, debet præcedere Decretum de petendo consilio ab Aduocato Sæculari, prout sequitur.

Cum Patronus Rei, qui supra, omnia produxerit, quæ producere voluit ad fauorem, & defensionem sui Principalis, volens A. R. P. ad vltiora procedere in Causa, decreuit exhibere totum Processum offensiuum, & defensiuum Domino V. I. Doctori N. ab eodemmet P. Ministro oretenus in Consultorem electo, & nunc in scriptis confirmato, eum rogando, vt dignetur ambos processus accuratè perpendere, & suum votum, & consilium, in scriptis tradere; rogando ipsum enixè vt pro amore Dei, & pro honore Religionis nostræ, & conseruanda apud Sæculares fama Fr. N. velit custodire hoc negotium sub sigillo secreti naturalis, sub quo illud sibi committit; quod Dominus prædictus coram Me promisit. Quapropter cum effectu ambo processus prædicti fuere traditi supradicto Domino N. hac die &c. Mensis &c. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Die

Die &c. prædictus D. N. Consultor electus accessit ad A. R. P. Prouincialem, & restituit sibi processus ambos, qui sibi fuere consignati, & tradidit votum super Cause meritis manu sua scriptum, & subsignatum, quod ad mandatum A. R. P. inter Acta recepi, & inserui signatum litera &c. siue numero &c. & incipit &c. & definit &c. & ponatur tenor. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Aduertendum porrò est, quod Consultor in prædicto voto debet tangere motiua facti, & iuris, ob quæ taliter consulit; & etiam indiuiduare durationem; & circumstantias Torturæ, & an sit semel danda, vel reiteranda; & tandem quomodo causa sit expedienda. Et post debet congregari Diffinitorium, & ab ipso etiam peti consilium, ut sequitur.

Consequenter P. Prouincialis conuocauit Diffinitorium, & produxit coram Patribus acta omnia pro, & contra Reum prædictum, simul cum præfato voto eiusdem D. Consultoris; Qui Patres benè consideratis motiuis adductis per Dominum Consultorem, decreuerunt esse totaliter adhærendum dicto voto, siue &c. & ponatur resolutio Diffinitorum, & ab omnibus subscribatur, ut sup. num. 1.

ADNOTATIO I.

XV. *Aduertendum, quod sicut probauimus Par. I. Tit. Patronus num. 30. & 31. si Consiliarius, seu Aduocatus adhibitus in Consultorem dat consilium euidenter malum, & iniustum tum pro, tum contra Reum, potest Diffinitorium, siue etiam Prouincialis decernere contrarium. Tamen in processu debent explicari motiua, propter quæ relicto consilio dato, oppositum illius fuerit decretum.*

XVI. Consequenter volens A. R. P. adherendo voto prædicti D. Consultoris, & Diffinitorij sui &c. ut sup. num. 5.

Videns autem A. R. P. obstinationem &c. ut sup. num. 5. decreuit ipsum torqueri facere per quadraginta minuta horæ; sibi referuando ius, & arbitrium &c. ut sup. cit. num. 5.

In cuius decreti executionem, constituto ipso Reo ante Iudicem existentem in camera, quæ est ante carcerem, & in qua parata erant omnia ad torquendum necessaria, præsentem etiam D. Consultore

prædicto, ad mandatum A. R. P. præfatus Reus spoliatus, & nudatus fuit, relictis sibi tantum femoralibus ad honestatem, & per Ministrum Sæcularem expertum ad hoc specialiter vocatum, manibus post terga reuinctis, ligatus fuit funi; & antequam eleuaretur protestatus est illi A. R. P. Minister, quod tormentum illud dare intendebat non super iam confessatis, sed ad habendam ab eo confessionem super delicto, quod negat; & quod adhuc tempus habebat euadendi tormenta, si volebat aperire veritatem. Respondit &c.

Tunc iussit A. R. P. ipsum Fr. N. Reum in altum eleuari, & sic eleuatus fuit interrogatus. Quæ nam fuit causa quare &c. Et hinc obijciatur sibi delictum commissum. Respondit &c. Et scribi debent omnia verba, voces, suspiria, motus &c. quæ facit Reus.

ADNOTATIO II.

XVII. *Aduertendum est, circa Torturam funis, quod dari non debet, nisi ieiuno corpore, vel saltem post septem horas à sumpto cibo, & facta digestionem, & egestionem, prout habet Textus Tit. Tortura §. 7. pariterque curanda sunt ea, quæ scripsimus Par. I. cit. Tit. Tortura num. 82. & seqq. circa adhibendum Medicum, & Chirurgum pro ijs, quæ possunt occurrere, ut infra dicemus.*

ADNOTATIO II.

XVIII. *Potest dari casus, quod Reus, qui torquendus est patiatur defluxum intestinorum ad scrotum, & vulgò dicitur ruptura, aut crepatura, propter quam cingulum ferreum gestet; potest etiam talem infirmitatem fingere. Si ergo postquam expoliatus est appareat taliter cinctus; vel ipse Reus alleget se esse crepatum, seu ruptum, debet Iudex adhibere iudicium Chirurgi, & factum describi, ut sequitur.*

Cum spoliatus esset habitu prædictus Fr. N. Reus, apparuit se habere cingulum ferreum, ex quo argui poterat esse ruptum, & ex consequenti non posse fune torqueri, citra periculum vitæ. Ad se autem informandum de veritate, an talis infirmitas esset realis, an potiùs ficta, iussit A. R. P. introduci D. N. Chirurgum, qui stabat extra prædictam cameram, & ad omnem bonum finem fuerat vocatus, ut posset prouidere in emergentibus, in tortura iam decreta; cui ingresso iniunxit A. R. P. ut visitaret,

ret, iuxta præcepta artis suæ, prædictum Fr.N.Reum, & cum iuramento referret, an ipse re vera esset ita ruptus, vt fune, citra periculum vitæ, torqueri non posset. Qui præfatus D. N. Chirurgus tactis partibus, & facta visitatione, & præstito iuramento, tactis Sacris Scripturis, dixit &c. *Et hic describatur relatio ipsius, & si retulerit non esse totaliter ruptum, & posse sine periculo torqueri, prosequatur ad Torturam, vt supra; si verò dicat è contrà, fiat decretum, vt sequitur.*

Quo audito A. R. P. decreuit prædictum Fr.N.Reum alio genere Torturæ cogere ad dicendam veritatem; sive ad pœnam extraordinariam suo loco, & tempore condemnare; & reuestiri eum iussit, & ad carcerem reduci. Acta sunt hæc die &c.

Ego N.Chirurgus.

Ego N.Consultor.

Ego N.Minister.

Fr.N.Actuarius.

ADNOTATIO IV.

XIX. *Potest dari casus, quod Reo eleuato in tortura alius subducatur, & necessitatem habeat corpus leuandi; & debet tunc Iudex illum deponere à tortura, & copiam sibi facere naturali necessitati subueniendi, describitur verò factum, vt sequitur.*

Cum esset prædictus Fr. N. Reus eleuatus in altum coepit clamare &c. & post dixit deponite me de hoc tormento, necessitatem enim habeo leuandi corpus. Tunc A.R.P.iussit, vt leuiter deponeretur, & in carcerem reduceretur, vt naturali necessitati prouideret; prout factum fuit. Et cum hoc præstasset, fuit denuò ductus coram A.R.P. qui iterum illum monuit, vt veritatem fateretur; Sed respondit &c. Videns proindè ipsum in negatiua obstinatum, iussit A. R. P. vt denuò ligaretur, & in altum eleuaretur &c.

ADNOTATIO V.

XX. *Potest dari casus, quod Reus, vi tormenti adactus, instet deponi à Tortura, promittens fateri veritatem; debet tunc deponi, & factum describi, vt sequitur.*

Cum prædictus Fr. N. Reus esset in tormentis, incepit clamare: Non possum amplius sustinere, deponite me, & verita-

tem narrabo; sed fuit ei dictum, vt inciperet confiteri, & tunc deponetur. Respondit. In hoc tormento loqui non possum; deponite me, & totum factum narrabo.

Tunc attenda tali promissione, & ad prædictum tantum effectum, & non aliter, animo tamen Torturam continuandi si &c. A. R. P. mandauit leuiter ipsum Fr.N. Reum de tortura deponi, & super scamno ligneo accommodari; quo executo.

Dictum est ei, vt veritatem aperiat, iuxta promissum.

Respondit &c.

Dictum est ei, vt seruet promissionem factam in Tortura, & sinceram veritatem aperiat, aliàs denuò in Tortura eleuabitur.

Respondit &c.

Videns proindè A. R. P. eius obstinationem in neganda veritate, iussit in altum denuò eleuari &c.

ADNOTATIO VI.

XXI. *Potest dari casus, quod Reus manens suspensus in Tortura exclamet, quod deponatur, promittendo confiteri veritatem; mox depositus nolit eam fateri; iterumque, & tertio eleuatus; & vt præfertur depositus permanet in eadem negatiua. Tali casu Iudex se regulare debet, vt dicemus infra tradendo formam ratificationis à Reo faciendæ, casu quo iste confessionem in Tortura factam nolit ratificare. Vide inferius.*

ADNOTATIO VII.

Potest pariter dari casus, quod Reus deliquium verum patiat, aut illud simulet. Veri deliquij signa, sunt, si vocem nullam, aut languidam formet; verba pronunciare non possit; ex ore spumam emittat; nimis pallidus fiat; nimis sudet &c. Tamen in deliquio aut vero, aut simulato, semper debet Reus deponi de Tortura: remedia idonea ad reuocandum spiritum applicari, & Medicus adhiberi, qui iudicet de symptomate, potest autem totum describi, vt sequitur.

Cum Fr. N. Reus penderet à fune, & copiosè sudaret, & vocem languidam emitteret, dicendo &c. A.R.P. iussit eum leuiter deponi, & super scamnum accari, aceto nares eius fricari; & suffumigari sulphure, quia videbatur pati deliquium. Et vocare fecit D. N. Medicum, qui extra cameram erat, & eum rogauit videre, an se-

cundum præcepta artis suæ Fr.N. verè pateretur deliquium; & medio iuramento, suum iudicium interponeret. Qui diligenter pulsus, & pectus ipsiustangens, & omnia accidentia obseruans, præstito iuramento per tactum Sac. Scripturæ dixit &c. *Et hic describatur relatio Medici. Si Medicus dicat illum verò deliquio esse affectum, subiungatur.*

Quo audito A.R.P. eum soluere fecit, & portare in carcerem, & iussit, vt sibi brachia reaptarentur, & vocatis Infirmarijs, remedia opportuna applicarentur. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

Si autem referat Medicus, deliquium esse simulatum, procedatur ad nouam Torturam, imò eiusdem continuationem, & sic describatur.

Quo audito A.R.P. iussit illum, denuò in altum eleuari &c.

ADNOTATIO VIII.

XXIII. *Potest dari casus, quod Reus constitutus in Tortura dormiat, vel tormentum spernat ridendo, iocando, Iudici insultando, & ostendat nullum dolorem pati. Tali casu potest Iudex vti cautelis, quas præscribit Textus Tit. Tortura §. 7. & Nos ibi explicuimus. Factum verò potest describi, prout sequitur.*

Cum Fr.N. Reus esset in Tortura eleuatus. Videns A.R.P. ipsum in Tortura dormire; siuè ridere, & tormenta spernere; siuè iocari, & Iudici insultare &c. dubitans de aliqua operatione diabolica, iussit illum de tortura deponi, ac sub axillis, in ore, inter capillos, & alijs partibus corporis diligenter inquiri, an aliquid ibi occultaretur, quo stante Diabolus illi suffragaretur; item pilos ipsos totius corporis radi, et postea sic rasum, et alijs fæmoralibus indutum denuò ligari, et fune in altum eleuari etc.

ADNOTATIO IX.

XXIV. *Aduertendum, quod si in aliqua parte corporis reperiretur aliquod signum maleficij, siuè foriilegij, Iudex non potest vltimo modo vltius procedere, sed debet leuare*

manum à processu, & decernere, vt sequitur.

Cum reperta esset quædam parua scriptura exarata characteribus incognitis, cum Cruce &c. quam habebat ipse Reus in tali parte &c. *Et hic describatur vbi inuenta fuerit scriptura, puta inter digitos, vel sub planta pedis, subtus axillas, vel in femoralibus &c. siuè sit aliquod aliud signum maleficij &c. decreuit A.R.P. leuare manum à processu, & totum factum denunciare Tribunali Fidei, nec vltius progredi donec à præfato Sacro Tribunali sibi facta fuerit copia. In quorum &c. Acta sunt hæc die &c.*

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO X.

XXV. *Potest dari casus, quod Reus muniat se contra torturam non scriptura, seu alio signo materiali, sed verbis, quæ determinatis temporibus submurmurat, prout diximus Tit. Tortura. num. 88. Tali casu debet Iudex vti cautela ibi data, & factum describi, vt sequitur.*

Cur Fr.N. Reus &c. vt sup. num. 23. Cum autem denuò eleuatus in altum, denuò dormiret, siuè iocaretur &c. coniecit A.R.P. ipsum Reum se verbis superstitiosis potuisse munire contra torturam. Proindè iussit illum deponi, animo tamen continuandi torturam tempore, & modo congruo. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

Anno Mense Die &c. A.R.P. vocare coram se fecit Fr.N. Custodem carceris, & illi iniunxit, vt assumpto aliquo socio viribus potente, & valido, in carcerem, ex improuiso, penetraret, & vno, & eodem contextu vnus illorum Fratri N. Reo manus vincularret manicis ferreis; alius verò lignum ad hoc paratum ori eius imponeret, vt frænum æquo; itaut verba articulare non posset, & lignum illud, vittà ductà circa caput, ita alligaret, vt præfatus Reus non posset illud demere; & sic ligatum, & infrænatum ducerent coram se in cameram tormentorum. Qui præ-

Præfatus Fr. N. Custos carceris sibi iussa Perficiens, duxit eundem Reum, vt præfertur maniatum, & infrænatum coram A. R. P. Ministro, existente cum D. N. Consultore, & Me infra scripto Actuario in camera tormentorum; & ad eius mandatum spoliatus, ligatus, funi applicatus, & per quatuor digitos eleuatus à terra fuit; & tunc iussit, vt sibi lignum eximeretur ex ore, vt posset respondere; mox altiùs eleuatus fuit interrogatus. Quam ob causam commisit &c.

Respondit &c.

A D N O T A T I O XI.

XXVI. *Potest dari casus, quod neque adhibita diligentia suprascripta proficiat, & Reus in tortura dormiat, iocetur &c. tali casu necessarium est, uti alio tormento validiori, puta ignis, ut infra dicimus, vel ad penam extraordinariam condemnare, & hoc ex decreto Iudicis, quod potest formari, ut sequitur.*

Anno Mense Die vt supra num. 25.

Cum autem eleuatus in altum esset, vt præfertur, & interrogatus nullum responsum dedisset; nec vocem dolentis emisisset; imò dormire cœpisset; & euidenter appareret, quod torturam funis nullo modo sentiret, decreuit A. R. P. ad inuestigandam à prædicto Reo veritatem aliud tormentum validius, & efficacius sibi applicare tempore, & loco opportunis; siue ipsum in penam extraordinariam condemnare, & pro tunc iussit deponi, reuestiri, & in carcerem reduci. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

XXVII. *Forma concludendi examen in Tortura funis.*

Cum per spatium minorum &c. F. N. prædictus stetisset in Tortura, vt præfertur, fuit iussu ab A. R. P. vt ipse deponeretur à tormento, & sic fuit superseffum, referuato tamen sibi iure illum eodem, siue alio tormento examinare, loco, & tempore opportunis, prout sibi visum fuerit magis expedire. Et indutus habitu, & reac-

Pars II.

commodatis brachijs, fuit in carcerem denudò coniectus, Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

XXVIII. *Aduertendum, quod, ut præscribitur in Textu Tit. Tortura §. 8. Iudex debet habere horologium puluerium distinctum per quadrantes horæ, (& melius est, prout Nos adnotauimus ibi num. 103. quod habeat quatuor ampullas puluerneas, quarum una contineat horæ partem octauam, puta minuta septem cum dimidio; alia quartam; alia dimidiam; alia horam integram,) vt securè procedat in mensurando tempore Torturæ. Et tale horologium non visum à Reo ita debet collocari, vt tamen ab alijs cerni possit, ob rationes ibi datas.*

XXIX. *Forma Torquendi per Ignem.*

Tortura Ignis, de qua fit mentio in Gloss. in l. Edictum ff. de Quæst. antiquitus ita exercebatur. Reus compeditus, & maniat, sedebat in plano camere tormentorum, nudatis pedibus; Mox plantæ pedum ungebantur lardo porcino; subindè patella ferrea plena prunis ardentibus approximabatur ad distantiam palmi vnus, cum dimidio, sicque pedes excustulabantur, itaut intolerabilis causaretur dolor. Sed Tortura hæc, vt nimis barbara, & periculosa, antiquata est, nec Iudices Laici amplius ea vtuntur teste Ambrosino de Mod. form. proc. lib. 4. cap. 8. num. 9. quem sequitur Bist. Prax. 4. num. 120. A fortiori ergo elongari debet à Iudicibus Regularibus, qui, vt aliàs diximus, debent esse mitiores in torquendo. Sed dato casu, quod essemus in casu plusquam atrocissimo, Reusque, violentis indicijs grauatus, funis tormentum sperneret, aut ipso non posset ex aliqua causa torqueri, & urgeret ratio habendi à Reo confessionem delicti, & Complicum, poterit Iudex Regularis uti tormento Ignis, validissimo quidem, sed innocuo, & securo, quem descripsimus Par. I. Tortura num. 5. & potest in processu adnotari, vt sequitur.

Consequenter, cum A. R. P. Minister expertus esset, quod prædictus Fr. N. Reus

Q

tor.

tormentum funis sperneret etiam post adhibitam omnem diligentiam, vt illud pateretur, vt ex actis supra &c. *sive* quod quia est ruptus, non potest, sine periculo, illi dari tormentum funis &c. cumque delictum, de quo prædictus Reus est vehementer indiciatus, sit plusquam atrocissimum, & quod, sine Consocijs in crimine, committi nequirit; ad habendam à prædicto F.N. Reo plenam veritatem tum criminis commissi, tum Complicum eiusdem, decreuit, prout præsentis decreto decernit, prædictum Reum torqueri facere per applicationem ouorum feruentium subtus axillas; protestando, talem torturam ab eo adhiberi ad vltiorem veritatem habendam à Reo prædicto; & sine præiudicio confessorum, & quorumcumque aliorum iurium Curia acquiritorum, de quibus intendit suo tempore, ad normam iuris, præmemoratum Reum punire; & sibi reseruato iure toties, quoties torquendi. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

In cuius Decreti executionem A.R.P. sibi assistente D.N. Consultore suprascripto, & Me Actuario, se contulit in cameram tormentorum, in qua, ad mandatum eiusdem A.R.P. parata prius erat patella ferrea plena carbonibus accensis, & super illis parua olla plena aqua bullienti, in qua erant quatuor oua ex longa ebullitione indurata. Mox adducere coram se fecit prædictum Fr.N. Reum, cui hinc inde, ad latera adstabant Fr.N. Custos carceris, & Fr.N. Laicus ad omnem bonum finem &c. illumque, post præstitum iuramentum de veritate dicenda, paternis, & grauibus verbis monuit, vt veritatem commissi delicti, & Socios criminis spontè proderet, antequam cogeretur, eam per viam tormentorum pandere. Fuit ergo

Interrogatus. Qua de causa, & cum quibus Socijs commiserit tam enorme delictum &c.

Respondit &c.

Et cum iterum monitus, & interrogatus in eadem negatiua persisteret, ad mandatum A.R.P. fuit expoliatus, sibi relicta tantum femoralibus ad honestatem, & manicis ferreis vinctus; mox illi fuerunt rasi pili subtus axillas, Quo fa-

cto, iterum, & tertio monitus fuit, vt veritatem confiteretur antequam tormento applicaretur, sed illo persistente in negatiua, iussit A.R.P. vt oua calentia ambabus axillis applicarentur. Tunc prædictus F.N. qui supra, singuli ouum ab olla bullienti extractum cochleari perforato posuerunt in linteolo ad hoc parato, ipsum ouum stringendo prædicto linteolo, & illius angulis reductis ad manum tenentium, vt possent illud applicare axillis prædicti Rei. Tum eleuatis ambobus ipsius brachijs applicauerunt axillis singuli ouum suum, & brachijs depressis, & ad latera ipsius compressis, illum oua prædicta præmere compulerunt. Qui Reus cum sustinisset per spatium dimidiæ Orationis *Aue Maria*, coepit clamare &c. *Et describantur omnia eius verba, gestus, motus &c. vt in tortura funis dictum fuit supra &c.*

Tunc fuit *interrogatus*. Quare, & cum quibus Socijs delictum præfatum commisit?

Respondit &c.

Et cum per spatium vnus *Credo* tale tormentum sustinisset, iussit A.R.P. vt oua de subtus axillas remouerentur, & in olla bullienti reponerentur, & alia duo oua, vt præfertur, existentia in olla prædicta axillis applicarentur &c. quibus applicatis fuit. *Interrogatus &c.*

Et cum per spatium duorum minutorum horæ præfatus Fr.N. Reus stetit in prædicto tormento, A.R.P. pro tunc noluit, quod amplius torqueretur; reseruandoque sibi ius prædictam, siue aliam, torturam, opportuno tempore, replicare, iussit, quod tollerentur oua, solueretur, reuestiretur, in carcerem reduceretur, & si aliqua inflammatio causata fuisset subtus axillas, curaretur, prout factum fuit. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O .

XXX. *Aduertendum, quod, cum supra-prascripta tortura sit insolita in Religione, & vehementissima, non debet Iudex noster ipsa vti, nisi delictum sit plusquam atrocissimum, vt præmissum est. Insuper debet super hoc consulere Diffinitorium, & etiam Consultorem Seculare. Amplius, debet ea*
vti

vti in subsidium aliorum tormentorum, puta quando alia adhibita non proficiunt; siue quando alia adhiberi non possunt, ob aliquam causam. Præterea requiritur etiam, quod indicia sint urgentissima, ita vt nihil desit, nisi Rei confessio. Et tandem tormentum hoc non potest extendi ultra sex minuta vnius horæ; quæ tamen in tria interualla potest diuidere Iudex siue vno, & eodem, siue diuersis diebus, prout de tortura funis dicitur Par. I. Tit. Tortura num. 11. et 12.

tortura supra datam num. X. XI. XII. XIV. & XXIX. respectiue, & examen concluditur sic.

Et cum prædictus Fr. N. stetit in tortura prædicta per spatium etc. Et hic exprimat tempus, per quod fuerit tortus, iuxta qualitatem torture adhibita &c. mandante eodem A. R. P. fuit ab ea subleuatus, aut depositus, et reuestitus, fuit ad carcerem reductus.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.

Ego N. Reus etc.

Ego N. Actuarius.

XXXI. Forma replicandi Torturam.

Supposito, quod simus in casu repetendi torturam, iuxta tradita Par. I. Tit. Tortura num. 84. et seqq. ad quæ Lectorem remittimus; potest factum describi in processu, vt sequitur.

Consequenter, quia Fr. N. Reus, qui supra, fuit leuiter tortus, et indicia contra ipsum sunt valde vrgentia, siue vrgentissima, et fuit depositus à tortura, animo referuato illam repetendi, prout supra etc. A. R. P. Minister, vt sufficienter torqueatur, decreuit, prout præsentis decreto decernit illum, iuxta consilium sibi datum à præmemorato D. N. Consultore, denuò torture subijcere, donec etc. Acta sunt hæc Die Mense Anno etc.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

In cuius decreti executionem, mandante eodem A. R. P. coram se, et suprascripto D. N. Consultore, et Me infra scripto, in cameram suprascriptam tormentorum adductus fuit memoratus Fr. N. Reus, et illi dato iuramento de veritate dicenda, quod præstitit tactis etc. et facta illi cõminatione de illo iterum subijciendo torture, si veritatem negauerit, fuit interrogatus, et monitus de veritate dicenda, quam negare non debet cum in processu extent contra ipsum indicia ita vehementia. Quibus indicijs sibi singillatim obiectis, cū ipse Reus in sua obstinatione persisteret, ad mandatum eiusdem A. R. P. fuit spoliatus etc. Hic debet fieri descriptio tormenti, quod adhibetur siue sit flagellatio, siue Sibili, siue Funis, siue Ignis, iuxta formam cuiuscumque

ADNOTATIO.

XXXII. Aduertendum, quod vt diximus Par. I. Tit. Tortura. num. 84. & seqq. Quando Reus non est completè tortus iuxta valorem indiciorum, potest Iudex torturam repetere per tres vices; ita tamen, quod tria tempora, per quæ fuerit tortus, talia sint, quod simul copulata integrent illud tempus, quod arbitrio Iudicis proportionetur valori indiciorum. Sed si in secunda torture completetur tale tempus commensuratum valori indiciorum, non potest Iudex vlteriùs torquere Reum super delicto principali; licet possit super alijs, de quibus diximus loco cit. num. 86. & 87.

XXXIII. Forma torquendi super Complicibus.

Supposito, quod Reus fuerit convictus, aut confessus de delicto, non potest super eo vllò modo torqueri; si enim Iudex esset ita fatuus, vt torqueret super delicto principali, & Reus delictum negaret, non posset ad penam ordinariam condemnari. Potest tamen torqueri super Complicibus, & Socijs criminis, quando ex processu apparet, quod Socios habuit; aut quando verisimile est, quod Socios habuerit in delicto, quod nõ potuit sine Socijs consummari. Casu ergo, quod debeat dari tortura super Complicibus, potest teneri forma sequens.

Consequens A. R. P. iussit, & confideratis ijs, quæ constant in Actis contra F. N. Reum memoratum, confessum, siue convictum, & etiam depositionibus Testium dicentium, prædictum Fr. N. R. associatum

fuisse à pluribus Socijs delicti, quod ipse fuit confessus; *sive* considerata qualitate criminis, quæ talis est, quod verisimile est, quod illud nequiuit consummari sine pluribus Socijs, & veritas circa tales Socios, & Complices difficillimè ab alijs, quàm à prædicto Fr. N. haberi possit; ipseque Fr. N. Reus in suo examine nihil super talibus Complicibus, Auxiliatoribus, Fautoribus, Consiliarijs, Mandantibus, aut quoquomodo partem habentibus in dicto delicto, deponere voluit; audito voto D. Consultoris, & consilio, & assensu Patrum Diffinitorij, vt præfertur, decreuit ipsum in rigoroso examine constituere; protestando, quod non intendit torquere vlllo modo super delicto, de quo est conuictus, *sive* confessus, sed purè, & simpliciter pro habenda veritate super Complicibus, & Socijs criminis; & non aliter, nec alio modo, nec ad alium finem; & de hoc solemniter, & expressè, & omni alio meliori modo protestatus fuit. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

In cuius Decreti executionem &c. Hic debet describi tortura Arctationis qualificata, seu Flagellationis, vel Sibilorum, *sive* Funis, quæ iudicabitur adhibenda à Iudice in tali casu, & quia pro singulis data est forma supra, ipsam non repetimus.

A D N O T A T I O I.

XXXIV. Aduertendum, quod Reus, sic constitutus in tortura, non debet à Iudice vlllo modo interrogari de Delicto; nec quoad circumstantias; sed purè, & simpliciter super Complicibus, & Socijs criminis. Quod si Reus ex se, neget fecisse delictum, & dicat, quod ex consequenti Socios in crimine non habuit, Iudex debet ei dicere. Non interrogo te super delicto, aut eius circumstantijs, nec de his tibi datur tortura, quia de illis iam conuictus, *sive* confessus es, nec illa à me reuocantur in dubium, cum certus sim te illud commisisse; sed quæro quot, & qui fuerint Complices, Socij, Fautores &c. idèò dicas &c.

A D N O T A T I O II.

XXXV. Dedimus supra Sect. 5. num. XX. formam cogendi Reum nolentem respondere vlllo modo Iudici; *sive* negantem responsum præcisè; *sive* vacillantem, contrarium, vel inuersionem deponentem; & ibi præscripsimus carcerem, & ieiunia &c. Si autem daretur casus, quod nihil proficeret Iudex per talem formam, & necessè esset, ad expugnandam obstinationem Rei, vt acriori tortura Flagellationis, aut Funis, potest Iudex formam describendi factam sibi datam seruare; sed in decreto apponere, quod cum nihil profecisset ex tali tortura, decreuit deuenire ad Flagellationem, *sive* Funem, cuius executionis Formulas supra dedimus, vt suis singulis locis patet.

XXXVI. Forma ratificationis confessionis extrà Torturam.

Quia confessio Rei facta in tormentis ipsum non afficit, nisi spontè extra vincula, & cameram tormentorum, & cessato dolore Torturæ supportata, illam ratificet, prout diximus Par. I. Tit. Tortura num. 106. damus formam, qua debet fieri, & est, vt sequitur.

Anno Mense Die &c. coram A. R. P. Ministro Prouinciali, & RR. PP. NN. Assistentibus, ad hunc actum specialiter adhibitis, & Me infra scripto, Fr. N. Reus vinculis solutus, & extrà locum tormentorum positus; vocatus fuit ad ratificandum ea, quæ deposuit in tortura sub Die &c. Mensis &c. prout supra in Actis; & ei præstito iuramento de veritate dicenda, prout iurauit tact. &c. per Me Actuarium clara, & intelligibili voce, & ab ipso Reo benè audita lecta fuit illi sua confessio. Qua audita fuit interrogatus.

An benè audierit, & intellexerit illud, quod ipse confessus est sub die &c.?

Respondit &c.

Interrogatus. An sint vera ea, quæ tunc dixit, an ea ratificet, & an verè, & realiter ipse commiserit delictum, prout confessus est? Respondit &c.

Interrogatus. An liberè, & spontè, & non ex metu vltioris torturæ, delictum

stum denuò confiteatur, & confessatum ratificet &c. *Respondit &c.*

Fuit ei dictum, vt sibi benè caueat, nec animam suam damnet periurio; & se ipsum grauet, confitendo delictum, quod non fecerit. *Respondit &c.*

Interrogatus. An confessioni factæ, ac ratificatæ velit aliquid addere, vel minuere? *Respondit &c.*

Tunc A. R. P. acceptatis si, & in quantum eius depositionibus, & ratificatione, examen dimisit, & Reum ad carcerem reduci mandauit, & decreuit, quod Patrono suo daretur copia suæ confessionis, & constitutorum, assignando illi tempus trium dierum ad producenda, & alleganda iura, quare non debeat condemnari in pœnam ordinariam. In quorum &c.

Ego N. Minister.

Ego Fr. N. fui Assistens.

Ego Fr. N. Assistens.

Ego Fr. N. Reus &c. affirmo vt suprâ.

Ego N. Actuarius.

Die Mense Anno &c. fuit per Me Actuarium consignata P. N. Patrono Fratris N. Rei copia authentica confessionis, & ratificationis sui Principalis, & intimatum decretum Iudicis, vt termino tridui Defensiones præsentaret; qui gratias egit, & terminum acceptauit, sibi reseruato iure petendi legitimas dilationes, si opus fuerit. In quorum &c.

Ego Fr. N. Patronus.

Ego Fr. N. Actuarius.

A D N O T A T I O .

XXXVII. *Potest dari casus, quod Reus in actu Ratificationis renocet confessionem; in hoc casu denuò torquendus est, vel condemnandus ad pœnam extraordinariam, iuxta ea, quæ scripsimus Par. I. Tit. Tortura num. 108. Quod si iudicetur torturam esse repetendam, Constitutum Rei descriptum numero superiori, debet ita terminari.*

Tunc videns A. R. P., quod Fr. N. Reus non solum non ratificauit ea, quæ

deposuit die supracitata, sed contrarium asseuerauit, dicendo se ita tunc fuisse confessum, quia vi tormentorum, & ad ea euadenda, fuit adactus; cæterum se esse de præfato delicto innocentem; decreuit ipsum vltiori torturæ subijcere, prætestando, se hoc facere, absque præiudicio acquisite Curie, quæ voluit in suo robore permanere; sed ad habendam vltiorem veritatem, & purgandum nouum indicium natum contra Reum prædictum, ex tali confessione in tormentis facta, & delendam maculam periurij commissi, & non aliter &c. In quorum &c. *Et subscribant Reus, Assistentes, Iudex, & Actuarius.*

In cuius Decreti executionem &c. *Et hic debet describi Tortura, quæ adhibebitur, siue fuerit Arctatio qualificata, siue Flagellatio, Sibili, Funis &c. quarum formas suis locis suprâ dedimus.*

XXXVIII. *Completa Tortura, debet communicari Patrono copia examinis Rei facti in illa, & omnium actuum tunc factorum ad hoc, vt ille possit aliquid inde deducere in fauorem sui Clientis, & Defensionibus factis ante Torturam addere. Hoc autem in processu adnotatur, vt sequitur.*

Consequenter A. R. P. Prouincialis decreuit, consignandam esse copiam examinis præfati Fr. N. Rei facti in Tortura memorato Patri N. Patrono, ad hoc, quod si aliquod esset sibi dicendum in fauorem sui Principalis, posset adducere, statuendo illi terminum trium dierum ad producenda omnia, quæ adducere intendit ad defensionem supradicti, antequam Sententia feratur. In cuius decreti executionem, copiam mihi iussam feci, & consignauit prædicto Patrono, cum assignatione termini prædicti, ad præsentandas integraliter Defensiones ante Sententiam; qui Patronus terminum illum acceptauit (reseruato sibi iure petendi dilationem, si necessaria erit) & gratias egit. Acta sunt hæc die &c.

Ego Fr. N. Patronus.

Ego F. N. Actuarius.

XXXIX. *Si Patronus nihil addendum defensionibus factis, & præsentatis ante Torturam iudicabit, continuabitur processus, vt sequitur.*

Comparuit coram Me Actuário Pat-
ter N. Patronus, qui supra, & dixit, se
nihil habere dicendum ad fauorem Fra-
tris N. Rei, vltra ea, quæ adducit in Defen-
sionibus iam præsentatis. Quapropter
&c. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Patronus &c.

Ego N. Actuarius.

Si autem noua iura deduxerit ex
Actis factis in Tortura Rei illa præsentat-
bit, vt sequitur.

XL. Forma præsentationis defen- sionum.

Comparuit coram Me infra scripto
P. Fr. N. Patronus prædicti Fr. N. Rei, &
præsentauit nouas defensiones ad fauo-
rem sui principalis, quæ incipiunt &c.
& desinunt &c. & ponatur tenor &c. & hic
inferuntur signatæ &c. & petit denuò au-
diri, casu quo, pro parte Fisci fuerit re-
sponsum Defensionibus à se productis pro
suo Principali; & institit, quod præfatæ
responsionis sibi tradatur copia, si scripta
fuerit; & si ore tenus fiat ab Aduocato
Fisci, citetur ipse ad illum audiendum,
intendens replicare siuè scripto, siuè vo-
ce coram toto Diffinitorio adductis, seu
adducendis contra suum Principalem,
ita ut ipse intendat esse vltimus ad dicen-
dum, allegandum, & producendum ra-
tiones, & iura pro suo Principali; pro-
testando de nullitate Sententiæ &c. appel-
lando &c. si non fiat iuxta ipsius petitio-
nem, prout de iure &c. & ea sprete, pro-
cedatur, ad vltiora. Acta sunt hæc
die &c.

Ego N. Patronus peto, in isto, prote-
stor, & appello, vt supra.

Ego N. Actuarius.

XLI. Forma deputandi Aduoca- tum pro Fisco.

*Præsentatis Defensionibus Patroni pro
Reo, deputandus à Iudice est Aduocatus ad
respondendum illis pro parte Fisci; & cir-
ca hoc omninò sunt videnda, quæ scripsi-*

*mus Par. I; Tit. Patronus num. 184. & seqq.
& forma deputationis potest esse, vt sequi-
tur.*

Consequenter A. R. P. decreuit com-
municanda esse acta omnia hucusque
facta P. Fr. N. Theologo à se deputato in
Aduocatum pro Fisco, ad respondendum
iuribus allegatis per P. Fr. N. Patronum.
Eoque vocato, & sibi dato iuramento de
fideliter, et iuxta vires, et pro veritate,
et iustitia sola, seclusa quauis mala pas-
sione, exercendo munere Aduocati, seu
Procuratoris Fiscalis, iurauit, et promi-
sit se omnia fideliter præstiturum. Acta
sunt hæc etc.

Ego N. Minister.

Ego N. Fiscalis.

Ego N. Actuarius.

XLII. Forma præsentandi respon- siones pro parte Fisci.

Anno Mense Die etc. præ-
sentatæ fuerunt per P. Fr. Aduocatum Fi-
scalem pro parte Fisci responsiones defen-
sionibus productis pro Fr. N. Reo, prout
in Actis etc. quæ responsiones incipiunt
etc. et desinunt etc. & ponatur tenor &c. et
hic inferuntur signatæ etc. et ad man-
datum A. R. P. Ministri fuerunt com-
municatæ P. Fr. N. Patrono prædicti Fr.
N. Rei. In quorum etc.

Ego N. Actuarius.

XLIII. Forma præsentandi repli- cationes pro parte Rei contra Respon- siones Aduocati Fiscalis.

Anno Mense Die etc. præ-
sentatæ fuerunt à P. Fr. N. Patrono Fr. N.
Rei replicationes contra adducta pro par-
te Fisci, à P. Fr. N. supradicto Aduocato
Fiscali, quæ replicationes incipiunt etc.
et desinunt etc. & ponatur tenor &c. et hic
inferuntur signatæ etc. In quorum etc.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XLIII. Aduertendum, quod potest dari casus, quod Aduocatus Fiscalis nolit respondere defensionibus scriptò, sed oretenus coram toto Diffinitorio congregato. Tunc debet citari Patronus Rei, ut eodem tempore compareat etiam ipse coram Diffinitorio, & replicet ad fauorem sui Principalis contra adducta per alium pro Fisco. Tamen melius semper fiet, si scripto fiant responsiones, & replicationes, tum ad vitandas contentiones, quæ nasci possunt inter Aduocatum Fisci, & Patronum Rei, in propugnanda parte sua; tum quia melius capiuntur, & cum maiori maturitate à Iudicibus, quæ scripta manent, quàm qua oretenus prolata raptim excidunt; tum quia commodum est Iudicibus certificari de veritate allegato-

rum per eos, quando scripta sunt, quod fieri nequit, si oretenus tantum sint producta.

ADNOTATIO II.

XLIV. Aduertendum secundò, quod si causa fiat per Accusationem, siuè Exceptionem, presentatis à Reo defensionibus, debet citari Accusator, siuè Exceptor, ad hoc, quod ipse per se, vel per Aduocatum suum respondeat contra Defensiones Rei, & ipsas impugnet, & omnia producat, quæ sibi supersunt contra Reum. Et aduertendum, quod si Accusator, siuè Exceptor novos Testes, aut noua instrumenta produxerit contra Reum, debet copia illorum tradi Reo, ut possit illis opponere exceptiones suas, & se defendere; itaut, ante Sententiam ultimo loco debeat à Iudicibus auscultari Reus, siuè eius Patronus.



SECTIO OCTAVA.

In qua agitur de Sententia.

I. *Suppositis ijs, quæ tradidimus de Sententia interlocutoria, & diffinitiva Par. I. Tit. Sententia num. 2. Cum Sententia interlocutoria vocanda sit potius decretum Iudicis, quàm Sententia, ut habet Textus loco citato; & supra per omnes Sectiones tradiderimus suis locis Formulas decretorum, quæ debent fieri à Iudicibus, non est unde eas hic inutiliter repetamus. In hac ergo Sectione dantur solummodò Formulæ Sententiæ diffinitivæ, suæ finalis, iuxta diversitatem omnium casuum, qui possint accideri.*

II. *Forma citandi Reum ad Sententiam.*

Quia, ut diximus Par. I. Tit. Sententia, ante prolationem Sententiæ debet citari Reus, & eius Patronus; præmittimus Formam citationis adnotandam in Processu, ut sequitur.



Consequenter volens A. R. P. ad Sententiam finalem procedere, iussit, ut citarentur pro die &c. & exprimeretur dies, in qua proferenda determinabitur Sententia ad illam audiendam Fr. N. Reus prædictus, & P. Fr. N. ipsius Patronus; qui ambo ad mandatum A. R. P. citati fuere ore tenus à Fr. N. socio prædicti P. A. R. Prouincialis, prout ipse retulit cum iuramento. Acta sunt hæc &c.

Ego F. N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Aduertendum, quod si Processus fuerit factus per viam Accusationis, citandus erit ad audiendam Sententiam etiam Accusator, quia habet interesse in Causa. Quod si Reus in suis Defensionibus, ita perfectè euacuauerit indicia, quod crimen non remaneat probatum, nec etiam semiplenè, & veniat per*

hoc absoluendus tanquam non repertus culpabilis, suè ex capite innocentia, Accusator, utpotè, quia non probauit, debet condemnari tanquam calumniator, & hoc in eadem Sententia, per quam Reus absoluitur, ut habetur in Textu Tit. Sententia §. 2. & sibi explicuimus sub num. 8. Sed quia antè condemnationem debet Accusator se defendere, ideo tali casu, ante citationem ad Sententiam, debet citari Accusator, & sibi assignari terminus defensorius. Si ergo Patres Diffinitorij, lustratis actis pro, & contra Reum, concluderint illum esse innocentem, & Accusatorem calumniasse illum, Iudex illi terminum defensorium assignet, & factum describatur, ut sequitur.

Consequenter cum A. R. P. omnia Acta Processus offensiui, & defensiui communicasset, prout de iure Patribus Diffinitorij, & ipsi, maturè perpensis omnibus, fuisset in voto, Accusationem datam contra Fr. N. Reum prætentum à Fr. N. esse calumniosam, & proindè Accusatorem ipsum, ad præscriptum Constitutionum, esse condemnandum ad pœnam talionis; decreuit, prout de iure, assignare sibi terminum competentem, ad dicendum, quare non debeat ad pœnam prædictam condemnari. Vocare ergo fecit coram se prædictum Fr. N. Accusatorem, & assignauit illi tres dies ad allegandum, quare teneri non debeat de calumnia. Qui prædictus Fr. N. Accusator petijt sibi concedi in Patronum P. F. N. Theologum, reseruato sibi iure petendi congruas dilationes termini sibi assignati, iuxta opportunitatem; quod totum A. R. P. benignè indulxit. Acta sunt hæc Anno Mense Die &c.

Ego Fr. N. Accusator.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

IV. *Aduertendum, quod cum Accusator in casu suprascripto mutetur in Reum; Patro-*

mus ipsius debet prestare ea omnia, quæ diximus de Patrono Rei, & Iudex tenetur concedere illi omnia, quæ Reo conceduntur, puta communicationem Actorum, dilationes, examen Testium ad sui defensam, admissionem Articularum &c. Porro defensiones factæ à Patrono suo debent communicari Patrono Rei prætensi, & iste debet respondere illis, sicut diximus ad Aduocato Fiscali, quando proceditur per Inquisitionem. Et horum actuum formas non damus, cum satis pateat ex supra dictis quomodo sint describenda.

V. Forma generalis tenenda in ferenda Sententia.

Suppositis ijs, quæ sunt consideranda à Iudice, ante ferendam Sententiam, de quibus abundè locuti fuimus Par.I. Titul. Sententia, quæst. I. per totam quæstionem, ad quam Lectorem remittimus, damus modo formam, quæ generaliter in omni Sententia potest obseruari, clausulas uerò particulares, iuxta casuum exigentiam, dabimus infra. Generalis ergo forma est, ut sequitur.

In nomine Indiuiduæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatissimæ Virg. Mariæ. Amen. Christi Iesu Sacrosancto nomine inuocato. Nos Fr. N. Prouinciæ N. Minister Prouincialis, ac Iudex Ordinarius, uisus, ac diligenter consideratis omnibus, & singulis in Causa, & Causis coram Nobis actitatis de, & super &c. Et hic apponatur titulus Delicti, super quo fuit factus processus. De quo Fr. N. fuit diffamatus, siue denunciatus, siue accusatus; & maturè consideratis Testium depositionibus contrà prædictum Fr. N. super memorato crimine, ipsoque citato, & interrogato, & sufficienter audito in omnibus suis defensionibus, habitoque super hoc RR.PP. nostri Diffinitorij consilio, & assensu, Deum solum omnis iustitiæ fontem, cuius locum tenemus, præ oculis habentes, ut de illius uultu nostrum iudicium prodeat.

Christi Iesu Saluatoris nostri nomine repetito, & inuocato, per hanc nostram diffinitiuam Sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus &c.

A D N O T A T I O.

VI. Aduertendum, quod, ut ex Textu Tit. Sententia §. 3. probauimus, in Sententia debet exprimi non solummodò delictum, sed etiam omnes aliæ circumstantiæ propter quas pœna ordinaria debet augeri, aut minui; & ex eodem principio, si Sententia erit absolutoria, poni debet, quod Sententiatus uel nullatenus commisit delictum; uel non est inuentus culpabilis, nec de iure punibilis de delicto; uel non est probatus culpabilis, aut punibilis, iuxta diuersos gradus Sententiæ absolutoriæ, de quibus diximus Par.I. Tit.Sententia num. 44. & seqq.

VII. Forma Sententiæ absolutoriæ in casu delicti non commissi.

In nomine Indiuiduæ &c. ut sup. nu. V. Dicimus Fr.N. nullo modo commisisse delictum prædictum, de quo fuit inculpatus, & proindè ipsum tanquam innocentem ab omni obseruatione iudicij absoluimus. Ità hoc, & omni meliori modo &c.lata, lecta, & publicata fuit die &c. in Conueutu &c.coram infra scripti &c.

Ità pronunciauimus Nos qui supra pro Tribunali sedentes.

Fr.N.Minister Prouincialis.

Ego F.N.Custos.

Ego F.N.Diffinitor.

Ego F.N.Diffinitor.

Ego F.N.Diffinitor.

Ego F.N.Diffinitor.

Ego N. Actuarius.

Eodem die A. R. P. Minister supradictus pronunciauit, prout in schedula tenoris superscripti; & post uocalem eiusdem pronunciationem, dedit mihi in mandatis, ut eam redigerem in Actis, & unum, uel plura, iuxta occasiones, conficerem instrumenta. Præsentibus PP.Fr. N. N. Testibus ad præmissa specialiter rogatis, & adhibitis, & in fidem &c.

Ità est Fr.N.Minister Prouincialis.

Ego Fr.N.fui præsens.

Ego Fr.N.fui Testis.

Fr.N.Actuarius.

VIII. Forma Sententiæ absolutoriæ pro Reo non inuento culpabili, vbi indicia non fuerunt sufficientia ad Torturam.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra num. V.* Dicimus Fr. N. non fuisse reperi- tum culpabilem, nec de iure punibilem, & proindè ipsum absoluimus ab obserua- tione iudicij, ac quavis vltiori instan- tia, & Causæ huic perpetuum silentium imponimus. Ità hoc, & omni meliori mo- do &c. lata, lecta, & publicata fuit die &c. loco &c. Ità pronunciauimus &c. *vt su- pra num. VII.*

IX. Forma Sententiæ absolutoriæ quando Reus sufficienter purgauit indi- cia per Torturam.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra nu- mero V.* Dicimus Fr. N. non fuisse proba- tum culpabilem, & ex consequenti de iure non esse punibilem, cum indicia contra ipsum releuantia, per Torturam conue- nienter adhibitam, completè purgauerit. Quapropter, rebus sic stantibus, ac no- uis non superuenientibus indicijs, ipsum, pro nunc, absoluimus ab obseruatione iu- dicij. Ità hoc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciauimus &c. *vt supra nu- mero VII.*

X. Forma Sententiæ absolutoriæ Rei, & Accusatoris.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra num. V.* Dicimus prædictum Fr. N. accu- satum de supramemorato crimine nullo modo commisisse tale crimen; *sive* non fuisse reperi- tum culpabilem; *sive* non fuisse probatum culpabilem. *Clausulæ supra- dictæ variari debent iuxta casus: si enim Accusatus plenè probet suam innocentiam, debet poni prima clausula; si destruxit indi- cia, ità vt non fuerint sufficientia ad Tor- turam, vtendum est secunda; si verò purga- uit indicia per Torturam, ponatur tertia clausula.* Proindè ipsum tanquam inno- centem absoluimus ab obseruatione iudi-

cij; *sive* tanquam non reperi- tum culpabilem, vel de iure punibilem absoluimus, & huic Causæ perpetuum silentium imponi- mus; *sive* rebus sic stantibus, & nouis non superuenientibus indicijs absoluimus pro- nunc ab obseruatione iudicij. *Dicimus pa- riter Fr. N. Accusatorem probasse conclu- denter, se non malo dolo, nec animo cal-umniandi prædictum Fratrem N. accu- sasse, cum de tali crimine esse publicam vocem, & famam, constare fecerit, Sive exprimatur alia aliqua causa ex illis, ob quas Accusator non probans liberatur à pœ- na talionis, prout diximus Tit. Sententia numero 9.* Proindè etiam ipsum absoluimus ab omni obseruatione iudicij; Ità hoc & omni alio meliori modo dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, & publica- ta fuit Die &c. loco &c.

Ità pronunciauimus &c. *vt supra nu- mero VII.*

XI. Forma Sententiæ absolutoriæ Rei, & condemnatoriæ Accusatoris.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra num. X,* & *prosequatur vsque ad illa verba* Dicimus pariter, & *subsequatur.*

Dicimus pariter Fratrem N. Accusa- torem non probasse vilo modo, se non ac- cusasse malo dolo, aut non ex animo cal-umniandi; imò probatum remanere, ex mera malitia, & ex animo nocendi prædi- ctum Fratrem N. accusasse de delicto, quod ipse Accusator sciebat falsum esse. Proindè ipsum condemnamus ad pœnam talionis iuxta Statuta. Et quia pariter constat, quod prædictus Fr. N. alias simi- liter calumniosè accusauit alium Fratrem, pœnam prædictam talionis dicimus, esse augendam, & sic condemnamus eum in pœnam &c. *Et hic exprimi debet pœna, quæ iuxta Statuta debita fuisset Accusato, si cri- men plenè fuisset probatum; & insuper au- gumentum talis pœnæ statutaria, appositum ex causa consuetudinis in calumniando. Si verò in casu interueniat aliqua causa, ob quam pœna ordinaria sit temperanda, iuxta dicta Par. p. Titul. Patronus num. 83. pag. 733. & seqq. & num. 106. pag. 738. & seqq. dicatur.* Et quia pariter Nobis constat, quod &c. *Et hic exprimatur causa diminu- tionis pœnæ.* Ideò de prædicta pœna talio- nis statutaria aliquid minuendum esse di- cimus; & sic prædictum Fratrem Accusa- torem

tozem condemnamus in pœnam &c. *Et hic exprimatür pœna*. Referuantes tamen Nobis Ministro Prouinciali, de consilio, & assensu Diffinitorij nostri, ius, & arbitrium durationem talis pœnæ abbreviandi, prout cognouerimus in Domino salubriter expedire. Ita hoc & omni alio meliori modo dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciauimus &c. *ut supra numero VII.*

XII. Formæ Sententiæ condemnatoriæ contra Conuictum plenè per Testes.

In nomine Indiuiduæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus Fratrem N. per Testes integros plenè remanere conuictum, quod nempe &c. *Et hic apponatur delictum cum omnibus suis qualitatibus, & circumstantijs.* Quapropter condemnamus ipsum in pœnas latas in nostris Constitutionibus; puta &c. *Et hic exprimatür per extensum pœna statuariæ per Reum subeunda.* Ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciauimus &c. *ut supra numero VII.*

XIII. Forma Sententiæ condemnatoriæ, quando Reus est confessus Delictum.

In nomine Indiuiduæ &c. *ut supra num. V.*

Dicimus, pronunciamus, & declaramus Fratrem N. commisisse &c. *ponatur hic per extensum delictum cum omnibus suis qualitatibus.* Prout ipse ore proprio, & spontanea voluntate confessus est. Proinde condemnamus ipsum ad pœnam tali delicto debitam iuxta Ordinis Constitutiones, puta &c. *Et hic describatur pœna in Statutis taxata.* Ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma dicimus, et pronunciamus &c. lata, lecta, & publicata fuit Die loco ... &c.

Ita pronunciauimus &c. *ut supra numero VII.*

ADNOTATIO

XIV. *Aduertendum, quod forma Sententiæ condemnatoriæ data num. XI. & XII. quadrant, & seruandæ sunt, quando Reus commisit præcisè delictum in suo genere perfectum; & nulla in casu interueniat qualitas, aut ex parte Delinquentis, aut ex parte delicti, propter quam augeri, aut minui debeat pœna à Statuto taxata. Tali enim casu Iudex, qui non est Princeps, tenetur pœnam præcisam à lege sancitam infligere, nec potest aliam aut ultra, aut citra, taxatam per Constitutiones, dare. Casu ergo quod, ut frequentius accidit, interueniat aliqua circumstantia ex parte Rei, aut criminis, per quam pœna augenda, vel minuenda sit, adhiberi debet forma sequens.*

XV. Forma Sententiæ condemnatoriæ, quando ob aliquam circumstantiam ordinaria pœna debet augeri, aut minui.

In nomine Indiuiduæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus, pronunciamus, & declaramus Fr. N. esse conuictum, siue confessum, siue conuictum, & confessum de crimine, ob quod fuit processatus, nempe, quod &c. *Et hic describatur crimen &c.* proindè incidisse in penas latas in Nostris Constitutionibus contra huiusmodi delinquentes. Quia vero solitus est delinquere in hac specie delicti, de qua aliàs fuit pœnitentiatus; *siue exprimatür aliqua alia ex illis causis, ob quas ordinaria pœna meretur augeri, ut diximus Tit. Sententia. numer. 21. pag. 777.* ideo statutariam pœnam sibi esse augendam declaramus. Proindè condemnamus illum ad pœnam &c. *Et hic describatur tenor pœnæ subeundæ &c.* Si verò circumstantia meretur diminutionem, dicatur. Quia verò spontè confessus est, & remisit se pietati Patrum Diffinitorij, & suis Defensionibus renunciauit, *siue alia causa diminutiua pœnæ apponatur &c.* ideo temperandum cum illo aliquo modo pœnæ statutariæ rigorem declaramus. Proindè condemnamus eum in pœnam &c. *Et hic pœna describatur.* Referuantes Nobis Ministro Prouinciali, cum assensu, & consilio Diffinitorii Nostri ius, & arbitrium talis pœnæ diuturnitatem moderandi, prout iu-

dicauerimus pro tempore salubriter in Domino expedire. Ità hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die loco ... &c.

Ità pronunciauimus &c. *vt supra numero VII.*

XVI. Forma Sententiæ condemnatoriae ad pœnam extraordinariam, delicto non plenè probato.

Diximus Par. p. Tit. Tortura Quæst. 6. numer. 128. pag. 627. & indè quod arbitrium est Iudici Reum non conuictum, aut confessum torquere, vel in pœnam extraordinariam condemnare; pariter si crimen plenè probatum non sit; aut non fuerit perfecte consummatum; aut si Reus tortus, quidem est, non tamen iuxtà valorem indiciorum; & etiam in pluribus alijs casibus, de quibus in priori Parte passim locuti sumus, debet Reus ad pœnam extraordinariam condemnari. Tali ergo casu Sententia condemnatoria debet esse vt sequitur.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra num. V.*

Dicimus, & declaramus Fratrem N. licet non confessum, nec plenè conuictum, nihilominus grauissimè esse indiciatum, & repertum culpabilem de &c. & hic describatur crimen, iuxtà indicia, & probationes in processu existentes &c. proindè esse vere de iure punibilem, & aliquam pœnam, nostro arbitrio subeundam, sibi esse infligendam. Quapropter condemnamus illum in pœnam &c. & hic pœna describatur. Reseruantes Nobis Ministro &c. *vt supra num. XV.*

XVII. Forma Sententiæ ferendæ in Processu per viam Exceptionis.

In nomine Indiuiduæ &c. *vt supra num. V.*

Dicimus probatum concludenter remanere à P. Fr. N. Exceptore impedimentum canonicum, propter, quod institit; P. Fratrem N. repelli debere ab electione, siuè à confirmatione in Officio Prouincialis, siuè Diffinitoris, siuè Guardiani, nempe quod dictus P. Fr. N. contrà quem proposita fuit Exceptio commisit &c. & hic exprimaturn factum probatum, ad quod sequitur ineligibilitas ad Officia Ordinis; ob

quod ad legum nostrarum præscriptum ipse P. Fr. N. redditur ineligibilis ad Prælaturas Ordinis; propterea declaramus non posse eligi ad Officia Prouincialatus &c. & si eligatur; electionem esse ipso iure nullam; & sic Eligentes priuari, pro hac vice, iure eligendi, ipso facto, debere, ad Sacrorum Canonum præscriptum, pronunciamus. Ità hoc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die.. loco &c.

Ità pronunciauimus &c. *vt supra numero VII.*

Si autem non probata remanet causa Exceptionis nec plenè, nec semiplenè, & Exceptio proposita est criminaliter iuxta ea, quæ diximus Par. p. Tit. Exceptio §. 2. numero 6. pag. 472. & seqq. pronunciari debet Sententia, vt sequitur.

Dicimus nullo modo nec plenè, nec semiplenè probatum remanere, P. Fr. N. commisisse delictum, ratione cuius fuit proposita Exceptio; nempe quod &c. *Et hic exprimaturn delictum propositum ab Exceptore, contrà Exceptum.* Quapropter dicimus, & declaramus prædictum P. Fr. N. nullo impedimento canonico detineri, quominus eligi possit, siuè confirmari debeat, in Officio Prouincialis &c. Dicimus pariter P. Fr. N. Exceptorem, quia exceptiuam causam non probauit, vt de iure tenebatur, ad normam nostrarum Constitutionum, pœnæ Nobis arbitrariæ esse subiiciendum. Quapropter eum condemnamus ad pœnam &c. *Et hic exprimaturn pœna infligenda.* Ità hoc & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die loco &c.

Ità pronunciauimus &c. *vt supra numero VII.*

Si autem probauit quidem Exceptor semiplenè, sed Exceptus probationem in suis defensionibus euacuauit; & per hoc neque Exceptor sit puniendus, (sicut, nec punitur Accusator semiplenè probans) debet Sententia formari, vt sequitur.

Dicimus nullo modo &c. *vt paulò supra.* Dicimus pariter P. N. Exceptorem, quantum est ex se, semiplenè probasse causam Exceptionis, quamuis ipsius probatio contrarijs defensionibus fuerit expugnata. Proindè iudicamus, & sententiamus, præfatum P. Fr. N. Exceptorem nulli pœnæ esse obnoxium, & à quacunque obseruatione iudicij, ex hac causa, esse absoluum, quemadmodum ipsum, vt

præfertur, absolutū sententiamus. Itā hoc & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die &c. loco &c.

Itā pronunciauimus &c. vt supra numero VII.

Si autem Exceptio fuerit proposita ciuilitate, & non probata, & proinde debeat Exceptus absolui, nulla facienda est mentio de Exceptore non probante, eo quia nullam pœnam ex hoc subire deberet.

Sententia autem ferenda à Iudice in casu Exceptionis contra Testes, Notarium, Peritum, & alios, contra quos potest excipi, vel qui possunt recusari, interlocutoria est, & fertur ad modum Decreti, quo Iudex decernit, constare, vel non, de causa asserta Exceptionis.

XVIII. Forma Sententiæ ferendæ ab Arbitris in casu Recusationis Iudicis.

Antequam feratur ab Arbitris Sententia super validitate Recusationis factæ à Reo, debet Iudex audiri, vt probauimus.

Pag. p. Tit. Canones. num. 122. pag. 169. Et admitti ad opponendum contra probationes adductas à Recusante. Postquam igitur Arbitri examinauerint Testes, & alia instrumenta à Recusante producta, antequam Sententiam ferant, debent mouere Iudicem recusatum, vt si velit aliquid opponere contra Recusantem, vt repellatur à Recusatione, illud proponat. Potest autem factum describi, vt sequitur.

Consequenter R. R. P. R. Arbitri, qui supra; æquum esse censentes, audire etiam A. R. P. Prouincialem, vt si quid haberet opponendum contra probationes à prædicto Fr. N. Recusante factas, illud posset proponere, ordinarunt mihi Actuario, vt Acta, coram memoratis Arbitris hucusque gesta, ad memoratum P. Prouincialem deferrem, & copiam illi facerem ea lustrandi; & nomine ipsorum Arbitrorum eidem significarem, quod si vellet contra probata per Recusantem aliquid adducere, quantocitiùs illud dignaretur producere, vt Causa posset breuiter expediri. Quo mandato per Me expleto, & visis Actis, & accuratè perlectis ab eodem A. R. P. Prouinciali gratias egit. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c. In Ronuentu &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si visis actis, Prouincialis nihil volet opponere, & hoc significabit Actuario immediate post illorum lecturam, poterit ista superscripta descriptioni addere. Gratias egit, & dixit, nihil sibi occurrere opponendum contra Recusantem. Et poterunt ad Sententiam Arbitri procedere. Si autem dixerit se responsurum, debet Prouincialis scripto mandare contrarias rationes, quas habebit, & accito Actuario, eas illi tradere Arbitris presentandas, & describi factum, vt sequitur.

Anno Mense Die &c. A. R. P. Prouincialis vocare in cameram suam fecit Me infra scriptum, & mihi consignauit scripturam, in qua continentur oppositiones, quas ipse facit contra adducta à Fr. N. Recusante &c. & mihi iussit, vt P. P. Arbitris illam præsentarem; quod cum perfecissem prædicti P. P. Arbitri mandarunt mihi, vt eam inter Acta infererem, quod præstiti, signando eam littera &c. vel numero &c. & incipit &c. & desinit &c. & ponatur tenor. In quorum &c.

ADNOTATIO

XIX. Aduertendum, quos si Prouincialis in oppositione contra Recusantem proponat Articulum facti, ad cuius probationem assignet Testes, debent Arbitri illos citare, & examinare eo modo, & forma, quo examinantur Testes producti à Recusante, quæ cum sit data supra Sectio IV. num. XL. eam non ducimus hic esse superflue repetendam. Illis examinatis, & cæteris discussis fertur Sententia, vt sequitur.

In nomine indiuiduæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatissimæ V. Mariæ. Iesu Christi Saluatoris sacrosancto nomine inuocato, Nos Fr. Fr. N. & N. Arbitri iuris electi, & respectiue à Partibus destinati, ad sententiandum in Causa Recusationis in Iudicem factam à Fr. N. Reo prætenso de persona A. R. P. N. Ministri Prouincialis, examinatis Testibus, & probationibus hinc inde productis, & pluries auditis Partibus, pro, & contra informantibus, plenèque discussis Causæ meritis, Deum solum omnis iustitiæ fontem præ oculis habentes.

Christi Iesu nomine repetito dicimus nullo modo nec plenè, nec semiplenè constare de causa assertæ Recusationis, puta, quod &c. Et hic exprimaturs causa, vel causa adducta pro fundamento legitimo Recusationis.

tionis. Proinde sententiamus; prædictam Recusationem nullius esse valoris, & per eam nullo modo impediri auctoritatem ordinariam eiusmodi A. R. P., quominus Causam contra prædictum Fr. N. Recusantem inceptam, siue incipiendam profequatur. Ità pronunciauimus Nos qui suprâ hæc Die &c.

Ego N. Arbiter.

Ego N. Arbiter.

Ego N. Actuarius.

Si verò causa Recusationis fuerit probata, saltem semiplenè, dici debet.

In nomine indiuiduæ &c. *vt suprâ.*

Christi Iesu nomine repetitò dicimus sufficienter constare de causa assertæ Recusationis, puta &c. Proinde sententiamus; prædictam Recusationem, vt potè legitimam in iure, & factò sustineri; dicimusquè prædictum A. R. P. Prouincialem debere abstinere à prosecutione, siue inceptatione Causæ contra R. F. N. Recusantem; sed teneri eam ad Superiores reijcere, siue alium Iudicem non suspectum, de consensu eiusdem P. Fr. N. Recusantis, ad Causam memoratam delegare. Ità pronunciauimus &c.

XX. Formæ Sententiæ condemnatorię in casu Notorij.

In nomine indiuiduæ Trinitatis &c. *vt suprâ num. V.*

Dicimus Notorium esse, quod Fr. N. est repertus culpabilis, & de iure punibilis, eo quia notoriè commisit &c. *Et hęc exprimatur delictum cum omnibus suis circumstantijs.* Quapropter ipsum esse ex hac causâ in pœnam statutariam condemnandum iudicamus. Quia verò solitus est in hoc crimine delinquere, cum de eo aliàs fuerit penitentiatus. &c. Ideò ordinariam pœnam sibi augendam esse pronunciamus. *siue* Quia verò ex animo indeliberato, feruore iracundiæ, & prouocatus deliquit; ideò de pœna ordinaria aliquid sibi esse minuendum iudicamus. Quapropter illum condemnamus in pœnam &c. *Et hęc exprimatur pœna, quæ, vt aliàs diximus, debet esse purè Statutaria, si crimen simpliciter commissum est: augeri autem, vel minui, iuxtà circumstantias, quæ occurrunt in facto, siue in persona Delinquentis, & debent*

in Sententia ex primi. Ita hæc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die &c. loco &c.

Ità pronunciauimus &c. *vt suprâ VII.*

XXI. Formæ Sententiæ condemnatorię Rei conuicti reperti in fragranti, siue sit confessus siue non.

In nomine indiuiduæ &c. *vt suprâ numero V.*

Dicimus Fr. N. Reum repertum fuisse in fragranti delicto, puta &c. *Et hęc describatur delictum, cum omnibus circumstantijs;* Proinde esse de iure punibilem ad formam Statutorum. Quapropter ipsum condemnamus ad pœnam &c. *Et exprimitur pœna; quæ si vltra statutariam debet augeri, vel minui, fiat, vt suprâ dictum est de Notorio num. XX.*

Ità pronunciauimus &c. *vt suprâ numero VII.*

XXII. Forma Sententiæ condemnatorię contra Reum contumacem, & absentem.

Antequam feratur Sententia contra Reum fugitiuum contumacem, & absentem, debet accusari contumacia, & denuò citari ad Sententiam audiendam; & quia citationes, quæ fiunt post affixionem Monitorij, (quod dedimus suprâ Sectio V. num. XI.) & lapsus termini in eo assignati, sunt solemnitates iuris, ad quas Regulares non tenentur, ideò omittuntur, sed accusatur contumacia, & fit citatio ad Sententiam, prout sequitur.

Cum elapsi essent Dies assignati in Monitorio contra Fr. N. Reum affixo, & publicato, prout supra, in actis; & ad abundantem per alios octo dies A. R. P. Minister expectasset, nec vnquam prædictus Fr. N. Reus comparuisset; declarauit idem A. R. P. memoratum Fr. N. incidisse in contumaciam, & tanquam contumacem contra eundem ad vltiora procedere decreuit. Quapropter ipsum citari per publicum Libellum, prout de iure, ordinauit; mandauitque formari, & publicari necessarium Libellum citationis. Acta sunt hæc Die

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Harum

Harum seriè, citatur Fr. N. ex aduersò Principalis, vt compareat coràm Nobis in Conuentu N., in camera nostra, in qua Tribunal ereximus Die &c. Mensis & Anni &c. ad videndum concludi in Causa contra ipsum actitata, & ad audiendum declarari se incidisse in pœnas in Monitorio contra eum in Actis registrato, & fulminato, contentas, & ad relaxandum, propter horum executionem, opportunum mandatum .Dat. Die &c. loco &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Die, & loco supradictò Fr. N. Socius A.R.P. Ministri, medio iuramento, retulit mihi infrascripto, se, coràm Testibus N. & N., affixisse duas copias supradictæ citationis authenticas ad valuas Refectorij, & ad parietem publici Dormitorij propè lampadem, vt omnibus paterent. In quorum &c.

Ego N. Laicus.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Ego N. Actuarius.

In termino verò citationis Sententia ferenda est, vt sequitur.

In nomine Indiuiduæ &c. vt sup. n. V. Visis, & diligenter consideratis omnibus, & singulis indicatijs, & probationibus, coràm Nobis factis in processu fabricato contra Fr. N. diffamatum, siue denunciatum, siue accusatum de crimine, de quo in Actis. Considerato insuper, quod patratò delicto ipse Reus fugam arripuerit, & licet citatus à Nobis in debita forma, per nostrum Monitorium legitime publicatum, & sub pœnis in eo contentis, non comparuerit in termino non solum ibi præfixo, sed etiam ad octiduum post dilatato. Considerato pariter, quod delictum delicto accumulans, fugit à Religione Apostata, ob quod fuit publicè, & in forma consueta declaratus excommunicatus; Visis tandem omnibus videndis, ac consideratis considerandis, & insuper habito super his consilio, & assensu Diffinitorij nostri, Deum solum præ oculis habentes, vt de illius vultu nostrum iudicium prodeat.

Christi Iesu Saluatoris nomine repetito per hanc nostram diffinitiuam Sententiam, quam in his scriptis ferimus; dicimus, declaramus, & sententiamus Fratrem N. esse Reum &c. *Et hic exprimat delictum &c.* de quo delicto sufficienter indiciatus in Actis, per ipsius fugam, & contumaciam censendus est confessus. Dicimus insuper ipsum in crimen Apostasiæ grauissimæ incidisse, & de his duobus delictis esse verè, ac realiter culpabilem, & de iure punibilem, & pœnas in citato Monitorio sibi comminatas incurrisse declaramus, & sententiamus. Quapropter commensurando pœnas delictis, condemnamus ipsum in pœnam &c. *Et hic apponatur pœna criminibus proportionata.* Decernentes pœnam prædictam illum afficere post lapsum trium dierum à publicatione præsentis Sententiæ numerandorum, nisi intra ipsos comparuerit. Quibus elapsis, si in fortijs Religionis deuenierit, & nullam legitimam causam suæ absentiae adduxerit, pœnam supradictam subire cogatur; cuius temperationem Nobis Ministro Prouinciali, de Diffinitorij nostri consilio, & assensu reseruamus. Ità hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit die &c.

Ità pronunciauimus &c. vt supra num. VII.

XXIII. Forma Sententiæ condemnatoriae Rei, qui petijt, & obtinuit compositionem.

Nos Fr. N. Minister Prouincialis &c. Attenta supplicatione nobis exhibita sub die &c. prout in Actis, per Fr. N. prætensum Reum in Causa, & Causis, de quibus supra in processu; ipsaque communicata Patribus Diffinitorij nostri, auditoque eorum consilio, & habito assensu; Vt Religionis; & ipsiusmet Supplicantis, quantum in Domino possumus, quieti, paci, bonoque prospiciamus, alijsque rationalibus de causis eidem Diffinitorio nostro manifestatis, & approbatis, animum nostrum mouentibus, prædicti Fr. N. supplicationibus inclinati, virtute præsentis Decreti, Compositionem quam per supradictam supplicationem dictus Fr. N. ex se, spontè, & in scriptis cum Regulari nostra

Curiae

Curia exoptulat, & offert, admittimus, & acceptamus. Ea tamen lege, vt &c. *Et hic exprimatür pœna, quæ decreta fuerit per Diffinitorium.* Et ita Causæ prædictæ finem imponimus, & perpetuum silentium indicimus; itaut super præmissis amplius non debeat, vel valeat molestari. Sic dicimus, acceptamus, & decernimus, & omni alio meliori modo. Dat.&c.

Subscribant Diffinitores &c.

Ita est Ego N.Prouincialis &c.

Ego Fr. N. liberè, ac spontè assentior supradictæ Compositioni, & accepto supradictum Decretum cum gratiarum actione. Et in fide manu mea subscribo.

Ego Fr.N. accepto vt sup.

Ego Pr.N. fui præfens.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego N.Actuarius.



SECTIONONA.

In qua dantur Formæ Appellationis, & aliorum actuum post Sententiam.

I. *Diximus de Appellatione plura Par. p. Tit. Canones. num. 26. pag. 107. & seqq. & qui vult ea videre, locum citatum consulat. Quo verò ad Formulas, iuxta quas fieri debeat Appellatio, non magna est varietas; sed ad duas tantum reducuntur; puta ad Formulam Appellationis à Sententia interlocutoria, siue Decreto Iudicis, & appellandi à Diffinitiva, seu Sententia finali, & de his duabus damus hic Formulas necessarias.*

II. Forma Appellandi à Sententia interlocutoria.



*P*otes est contingere multipliciter casus appellandi à Sententia interlocutoria; puta, quando Iudex pronunciauit de notorietate Delicti, vt diximus Par. p. Tit. Canones. nu. 60. pag. 127. Et

quando Reus appellat à Decreto Torturæ, vt habetur Tit. Tortura num. 94. pag. 614. Et à denegata exclusionem Diffinitoris recusati, vt suspecti, à Diffinitorio; vt scripsimus, Tit. Patronus num. 180. pag. 759. Et à denegata admissionem Articuli interrogatorij, seu defensorij, siue recusationis Iudicis sub pretextu, quod causa Recusationis sit friuola; & pluribus alijs casibus, de quibus in prima Parte passim dictum fuit. Forma ergo vniuersaliter seruanda in omnibus prædictis, & similibus casibus incidentibus in Causa, est vt sequitur.

Comparet coram A. R. P. N. Ministro Prouinciali siue Commissario Delegato, Frater N. & dicit, se esse grauatum per eundem A. R. P. in Decreto contra se facto puta, quod constet de Notorietate criminis, de quo ipse Comparens imputatus fuit. siue Quod prædictus Comparens debeat subijci Torturæ; siue Quod non constet de causa legitima, ob quam excludi debeat à Diffinitorio P. N. Diffinitor à se recusatus; siue Quod non sit admittendus Articulus à se, & à Patrono suo proposi-

Pars II.

tus; siue Quod reiicienda sit Recusatio de ipso A. R. P. in Iudicem tanquam friuola. Aut exprimat tenor Decreti à Iudice facti, quo Reus se grauatum sentiat iuxta casuum exigentiam. Quia &c. & hic debet assignari causa grauaminis, puta quia Testes, per quos probata est Notorietas sunt eius Inimici, periuri, inhabiles &c. siue, quia rationes adductæ à suo Patrono, vt non torqueatur sunt validæ, & subsistentes; siue quia constat de legitima causa exclusionis à Diffinitorio &c. & subsequatur.

Ideo cum omni humilitate, & reuerentia, non animo protelandi iudicium, sed se eximendi à grauamine, appellat super prædicto Decreto, & vult, & instat, ipsum rescindi, aliter prouocat ad Superiorem Generalem, Eminentissimum Protectorem, & ad Apostolicam Sedem; & petit sibi responderi de apostolis instantè, instantius, & instantissimè. Dat. &c.

Ego Fr. N. appello, vt supra.

Præsentata, & ad mandatum A. R. P. Ministri in Actis recepta, & non admissa, nisi prout erit de iure, fuit suprascripta appellatio hac Die &c. Anni &c. in loco &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Aduertendum, quod suprascriptum Decretum fertur casu, quo Iudex velit deferre appellationi, & dimittere Appellantem ad Superiorem. Sed si velit illam, tanquam friuolam, reiicere debet subiungi, vt sequitur.*

Considerata ab A. R. P. causa Appellationis producta à suprascripto Recusante, inuenit eam in iure, & facto insubsistentem, proinde eam reiecit tanquam friuolam, & nullius valoris, & decreuit, ea non obstante, ad vltiora procedere. Quod Decretum cum fuisset per me intimatum Parti, illi acquieuit. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

S

Si verò

Si verò Recusans tali Decreto, non acquiescat, & denuò appellet, scribi debet. Quod Decretum cum fuisset per Me intimatum Parti, denuò à præsentis Decreto appellauit; & denuò institit prædictam Appellationem admitti, & iterùm, atque iterùm petijt apostolos instanter, instantiùs, & instantissimè. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

IV. *Aduertendum, quod bonum est Appellationem supradictam proponere coràm Iudice; tamen, si fiat coràm Actuario Cause sufficit. Quia verò posset siuè Iudex, siuè Actuarius illam dissimulare; & inter Acta processualia non recipere, optimum est, quod si Reus dubitat de integritate Iudicis, siuè Actuarij; aut si non potest haberi præsentia Iudicis; vel si timetur; vel si absens est; optimum inquam est, vel adhibere Testes, quando presentatur Appellatio, qui subscribant, & fidem faciant de tali præsentatione, sicut diximus de præsentatione Libelli recusatorij Iudicis Sectio. p. numero XVII., vel proponere Appellationem coràm honestis Viris prout adnotauimus ibid. num. XIX. vel eam facere per edictum, vt diximus de Recusatione loc. cit. num. XXI. Nè ergo Lector, non multum versatus, hæreat in facti contingentiâ, circa modum; Formulas sequentes damus.*

V. *Forma Appellationis ab interlocutoria coràm honestis Viris.*

Cum grauatum Me sentiam ex Decreto factò ab A. R. P. Ministro Prouinciali, quo decreuit, non constare de inimicitia inter Me, & R. P. N. Difinitorem à Me Recusatum, ne admitteretur cum alijs ad sententiandum in causa contrà Me; siuè decreuit Me subijcere Torturæ Arrestationis; siuè &c. & debet exprimi tenor Decreti, super quo appellatur. Ex eo quod rationes, pro parte mea adductæ plenè, & ad abundantem, probent contrarium, imò, destruant opposita fundamenta; Cumque ob timorem reuerentialem, siuè ob absentiam ipsius A. R. P. Ministri, nequeam ipsum præsentialem adire; cogor R. R. P. P. N. & N. coràm Vobis, tanquam coràm spectabilibus, & honestis Religiosis, Ap-

pellationem meam proponere. Ipsam ergo coràm Vobis produco hinc manu mea exaratam, & à Testibus præsentibus subfignatam, rogoque Vos, (vltrà obligationem ad quam de iure tenemini,) vt eam præfato A. R. P. Prouinciali iudicialiter presentetis, & recipi ab ipso inter acta curetis.

Comparet coràm A. R. P. Ministro &c. vt supra num. II.

Præsentata fuit suprascripta Appellatio R. R. Patribus N. & N. Die Mense.... Anno loco &c.

Ego N. appello, & peto vt supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui præfens.

VI. *Forma appellandi ab interlocutoria per modum Edicti.*

Ex quibus causis proponi possit recusatio per modum Edicti, vt diximus Sectio. p. num. XXI. potest similiter proponi Appellatio, quæ fiet, vt sequitur.

Notum fit, pateatque omnibus præfentes inspecturis, quod cum in Causa, quæ contrà Me actitatur, coràm A. R. P. Ministro Prouinciali, ipsemet A. R. P. decreuerit Me esse Arrestationi subiiciendum, siuè &c. & hic exprimatür tenor Decreti, super quo interponenda erit Appellatio iuxta casuum exigentiam. Tali Decreto Me intolerabiliter grauatum sentio. Quapropter cogor ad euadendum grauamen, & non aliàs, nec aliter, beneficio Appellationis vt, referuata tamen in cæteris erga eundemmet A. R. P. debita reuerentia. Quia verò timore reuerentialem impeditus eius præsentiam adire non audeo; nec mihi licuit reperire occasionem opportunam virorum Religiosorum, coràm quibus, tanquam coràm honestis Viris, Appellationem infra scriptam publicarem, vt indemnitati meæ consulere, coactus sum Appellationem infra scriptam publicare per affixionem ad valuas Refectorij, & ad parietem Dormitorij, tanquam locis cui uis patentibus, vt eiusdem Appellationis notitia ad aures prædicti A. R. P. perueniat; sicq; affixa, & publicata ita valeat, ac si coràm ipso, & ad eius Tribunal producta fuisset.

Comparet coràm A. R. P. Ministro vt supra num. II.

Publicata fuit suprascripta appellatio per affixionem ad valuas Refectorij, & ad parietem Dormitorij propè lampadem

padem in Conuentu N. Die Mense
Anno &c.

Ego N. appello, & peto, vt sup.

VII. Forma Appellationis à Sententia Diffinitiuā.

In Appellatione à Sententia Diffinitiuā nulla necessariò, de iure communi, assignanda est causa Appellationis, sed sufficit simpliciter appellare, & apostolos petere. Vnde illi Religiosi tantum, qui in suis Constitutionibus prohibentur appellare, prout sunt Prædicatores, tenentur in Appellatione à Diffinitiuā causam exprimere, vt appellatio subsistat, prout docet Passerinus Prax. cap. 10, num. 218. Nos autem, qui circa hoc iure Canonico communi utimur, ad expressiōnem talis causæ non tenemur. Vnde prolata Sententia, si Reus dicit, Appello, & peto apostolos, Actuarius debet Appellationem registrare, vt sequitur.

Cum lecta, & intimata fuisset, vt præfertur, præfat. Sententia prædicto Fr. N. Reo, ipse appellauit, & apostolos petiit; cui A. R. P. respondit se præstiturum ea, quæ de iure esse, iudicabit. Acta sunt hæc Die &c.

Ego Fr. N. appello, & peto Apostolos.
Ego N. Actuarius.

Quia verò, prout diximus Par. p. Tit. Canones n. 32. p. 110. & Tit. Sententia. n. 40. pag. 782. potest Appellatio interponi intra decem dies post intimationem Sententiæ; casu quo Reus non appellet immediatè post Sententiam latam, sed post aliquos dies (intra terminum tamen assignatum,) potest Actuarius Appellationem excipere, prout sequitur.

Anno Mense Die loco &c. comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. qui supra, qui appellauit à Sententia contrà ipsum publicata sub die &c. prout in Actis, & apostolos petijt. Cui A. R. P. respondit se præstiturum, quæ de iure esse debita iudicabit. In quorum &c.

Ego Fr. N. appello.
Ego N. Actuarius.

Potest etiam Reus ipse scripto presentare Libellum Appellationis, vt sequitur.

Anno Mense Die loco
Pars II.

&c. Comparet coram A. R. P. Ministro, & Ministro, & Testibus infra scriptis Fr. N., & dicit se esse enormiter grauatum per per Sententiam contrà eum latam sub die &c. proinde ab ea appellat, & petit apostolos instanter, instantius, & instantissimè. In quorum &c.

Ego Fr. N. appello, vt supra.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.

Præsentata fuit supradicta appellatio, & si, & in quantum admissa fuit, & in Actis recepta, ad mandatum A. R. P. qui respondit, se, prout erit de iure, præstiturum. In quorum &c. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

VIII. Forma concedendi apostolos.

Quid nam sint, & quotuplices apostoli diximus abundè Par. p. Tit. Canones. à num. 35. pag. 112. & seqq., & tibi potest Lector benè obseruare quæ diximus. Quantum verò attinet ad casus, & formas, illos concedendi, sciendum, quod interposita Appellatione, petendi sunt apostoli, vt dictum est supra, in formulis Appellationis. Quia verò Appellatio potest interponi super Decreto interlocutorio, siuè super Sententia Diffinitiuā; etiam apostoli in ipsis petiti possunt diuersificari, & diuerso modo concedi; puta potest Iudex dare refutatorios, aut reuerentiales, aut dimissorios, & horum omnium formam damus. Demus ergò casum, quod Reus appellauerit super Decreto interlocutorio Iudicis, per quod Iudex pronunciauerit se reiicere tanquam friuolam recusationem à Reo factam de persona sua, vt sibi suspecta, siuè Accusatorem, aut Testem, contrà quos excepit Reus esse integros, siuè non examinandum esse Testem à Reo pro se productum; siuè non admittendum esse Articulum interrogatorium, seu probatorium à Patrono præsentatum; siuè admittendum ad consiliandum, siuè sententiandum in Diffinitorio, Diffinitorem à Reo recusatum, vt sibi suspectum; siuè Reum esse Arrestationi, vel alteri Torturæ subiiciendum; in summa in quouis casu, in quo sustinetur Appellatio ab interlocutoria; interposita Appellatione, & petitis apostolis

stolis, non potest Iudex illos denegare, ut diximus loco citato, sed concedere debet saltem Apostolos refutatorios; & qui nam sint hi, & quid operentur videndum est cit. Tit. Canones num. 40. pag. 115. Forma ipsorum est, ut sequitur.

IX. Forma concedendi apostolos refutatorios.

Cum Fr. N. appellauerit sub die &c. coram Nobis super Decreto à Nobis prolato sub die &c. prout in actis; & Causam Appellationis produxerit, prout latius in citatis Actis continetur; talem Appellationem, & eius causam, ut potè nullius valoris reieçimus, & reiçiendam iudicauimus, prout de facto eam iterum reiçimus. Verùm quia denuò à Decreto reiectionis appellauit, & apostolos petiit, ipsos, prout de iure, eius Appellationis causam refutantes, concedimus, & Causam super hoc Articulo incidenti ad Reuerendissimum P. Generalem, & successiuè ad alios, prout de iure, ablegamus, & remittimus. Intendendo, quod per hoc, talem Reum à nostra iurisdictione minimè dimittimus, sed ipsius Causam, ut de iure, profèqui, ac diffinire, velle pronunciamus. Dat. &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego Fr. N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

X. *Aduertendum, quod quoties Iudex potest reiçere Appellationem, ut Notoriè friuolam, ex eo, quod eius causa est Notoriè friuola, & nulla tum in iure tum in facto, non tenetur Iudex concedere apostolos, neque refutatorios. Sed si Reus denuò appellet à tali Decreto, per quod pronunciat; constare de Notorietate nullitatis causæ, & appellationis, non potest Iudex denegare Apostolos refutatorios, ut diximus citat. Tit. Canones. num. 42. pag. 116.*

XI. Forma apostolorum reuerentialium.

Cum Fr. N. &c. ut sup. num. IX. vsque ad illa verba, Verùm quia.

Verùm quia denuò à Decreto reiectionis appellauit, & apostolos petiit,

quamuis hæc noua appellatio Nobis friuola fuerit visa, tamen ob nostram reuerentiam erga Reuerendissimum P. Generalem, & alios, ad quos appellauit, prædictæ Appellationi duximus deferendum, & de facto detulimus, & petitos apostolos reuerentiales harum seriè concedimus Dat. &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

XII. Forma apostolorum dimissorialium.

Quamuis apostoli dimissoriales dari possint, etiam supposita Appellatione ab interlocutoria, tamen communiter non dantur nisi à Diffinitiuâ. Eorum forma potest esse, ut sequitur.

Cum in Causa Furti, siuè homicidii &c. siuè exprimat aliud Delictum, super quo fuerit Processus fabricatus de quo diffamatus, siuè denunciatus, siuè accusatus Fr. N. Sententiam Diffinitiuam tulerimus; & à nostra Sententia prædictus F. N. appellauerit, & prouocauerit ad Reuerendissimum P. Generalem, & successiuè ad Eminentissimum Protectorem, & ad Apostolicam Sedem; Nos appellationi huiusmodi, ut par est, deferentes ipsum Appellantem à Nostro iudicio dimittimus, & eius Causam, cum copia actorum sigillata, ad prædictum Reuerendissimum P. Generalem remittimus. In quorum &c. Dat. &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O

XIII. *Aduertendum, quod, adnotata in Processu concessione apostolorum; copia Actorum omnium authenticata, & sigillata consignari debet Reo; & si Reus petere debebit præsentiam Patris Generalis, prout regulariter fit, in Appellatione à diffinitiuâ, debet Prouincialis Reo tradere Literas obedientiales, quas possit in itinere Superioribus localibus ostendere. Si autem Pater Generalis delegauerit Commissarios in partibus, qui videant merita Appellationis, siuè ab interlocutoria, siuè à Diffinitiuâ, & Commissarij sint intra Prouinciam Rei, sufficit illi tradere copiam actorum sigillatam, ut dictum est. Si verò extra propriam Prouinciam Reus, debet*

debet eos adire, tradendæ illi sunt Literæ obedienciales tenoris sequentis.

XIV. Forma Literarum obediencialium Reo cum copia actorum tradendarum.

Cum in Causa coràm Nobis actitata contrà te Fratrem N. huius Nostræ Prouinciæ Sententiam Diffinitiuam protulerimus; & ab ea appellaueris prouocando ad Tribunal Reuerendissimi P. N. Ministri Generalis, Nos appellationi tuæ deferentes, prout de iure, Te, cum copia actorum tibi tradita, ad eundem Reuerendissimum P. ablegamus; siuè ad R. R. P. P. N. & N. Prouinciæ N. Commissarios ab eodem Reuerendissimo P. in hac Causa deputatos ablegamus. Quapropter has Testimoniales nostras, quæ vires habebunt validæ obedienciæ, fieri iussimus, & charitati Superiorum, apud quos hospes diuertaris, Te plurimum in Domino commendamus, Dat. &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Sigillentur.

De mandato A. R. P.

Ego N. Actuarius.

XV. Forma concedendi apostolos testimoniales.

XV. *Dantur frequentissimi casus, quod Iudex non multum versatus in re criminali, & fretus potentia superioritatis, nolit vilo modo deferre Appellationi legitimæ, siuè ab interlocutoria, siuè à Diffinitiuâ, & ex consequenti denegat apostolos, & per vim velit, quod Reus succumbat Torturæ Arctationis, siuè pœnæ inflictæ per Diffinitiuam; & ad hoc monitoria intimet Reo in publica Communitate Fratrum, comminando, quod, elapso termino peremptorio, detrudetur in carceres. Tali casu potest Reus petere apostolos testimoniales, hæc seruata cautela.*

Quando Iudex, (vt communiter fit, licet non legitime) vocat Reum, vt ieiunia, flagellationes, vel Arctationem, siuè aliam pœnam latam per Interlocutoriã, vel Diffinitiuam subeat, & hoc, sub formali præcepto Obedienciæ, illi intimat, protestando, quod nisi paruerit, carcerabitur, seu declarabitur excommunicatus; Reus genuflexus humili gestu, & voce

illi respondeat, R. A. P. non vt vestra mandata spernam, sed vt meæ idemnitati consulam, cogor à vestra ordinatione, Sententia, & Decreto appellare. Appellauit ad Reuerendissimum P. Generalem, & successiuè vsque ad Apostolicam Sedem, & iterum peto, & voco in Testes huius meæ Appellationis P. P. F. F. N. & N. His dictis surgat, & petat locum suum. Facta autem secunda intimatione, & præcepto à Prouinciali, vt supra, respondeat pari modo, vt supra. Tum petat Patres illos, quos vocauit in Testes, & ab illis petat apostolos testimoniales, quos suadente iustitia, & obaritate, concedere tenentur in forma sequenti.

Fr. N. Theologus &c. & Fr. N. Concionator &c. Prouinciæ N. &c.

Tenore præsentium omnibus, & singulis has literas inspecturis, pariter, & lecturis fidem facimus, & cum iuramento testamur, qualiter Fr. N. Prouinciæ huius nostræ N. coràm Nobis, & tota Communitate Fratrum Conuentus N. congregata in Refectorio publico, intra terminum à iure Statutum sub die &c. & die sequenti non semel tantum, sed iterum, & tertio, & pluries appellauit à Decreto contrà se interlocutoriè prolato, siuè à Sententia contra ipsum Diffinitiuè lata, ab A. R. P. N. Ministro Prouinciali; & ab eo repetitis vicibus instanter, instantius, & instantissimè petiit, vt sibi responderetur de apostolis ad suam Appellationem prosequendam: *Qui tamen* ab eodem P. Ministro fuere denegati. In quorum fidem &c.

Siuè Qui tamen, procrastinante, & differente eodem A. R. P. Ministro, eidem dati non fuere; quæ procrastinatio cum minùs canonica Nobis visa fuerit, ne iustitia impediatur, rogati obnixè ab eodem Fr. N. hos eidem apostolos testimoniales concessimus. In quorum &c.

Siuè Qui A. R. P. Minister cum de tali Appellatione se grauatum, & offensum ostenderet, & replicatis præceptis formalibus ipsum Fratrem N. vrgeret ad obediendum Decreto, siuè Sententiæ per eum latæ; minando, quod, factò præcepto peremptorio, ille per vim cogeretur ad parendum, timens periculum iniustæ carcerationis, idem Frater de tali iniustitia coràm Nobis conquestus fuit; & à Nobis bis terue, instantissimè petiit, vt super prædictis apostolos testimoniales concederemus. Quod considerantes æquitati, rationi, & charitati congruere, maximè cum

solitus

solitus sit prædictus Pater Prouincialis comminationes exequi, proximi indemnitati consulentes, hos testimoniales apostolos libenter concedimus. Dat. &c.

Ego N.Theologus.

Ego N.Concionator.

ADNOTATIO.

XVI. *Aduertendum, quod si Reus non reperiret duos Patres graues, qui vellent tales apostolos concedere, sufficeret vnus, & tunc deberet ab alijs duobus Testibus scriptum confirmari, vt perfectè probaret. Pariter necessarium est, quod scriptura talium apostolorum roboretur, aut manu Notarij publici, aut sigillo Conuentus, & subsignatione Guardiani. Et quia fortè Guardiani, ne incurrant malevolentiam Prouincialis, hoc facere non audebunt, Patres illi, qui concedunt apostolos, possunt sibi ostendere proprias subscriptiones solas rogando, vt eas authenticet; dicendo, non esse opus, nec conuenire ob bonum finem, vt contenta in Scriptura ipse sciat. Porrò Guardianus potest subscriptiones eorum authenticare, vt sequitur.*

Suprascriptas subsignationes esse factas manu, & characteribus RR.PP.N.&N. ipsosque esse tales, quales se faciunt, attestor, hac Die &c.

Locus † sigilli.

Ego F.N.Guardianus Conuentus N.

Habitis autem talibus apostolis, Reus adeat recta via Superiorem Cause.

XVII. *Forma tenenda à Iudice ad quem in reuisione Cause.*

Videnda ad hoc omninò sunt, quæ scriptissimus Tit.Sententia. Quest.final.per totam questionem. Quia verò Appellationis Iudex potest esse super Appellatione ab interlocutoria, aut à diffinitiuà; pariterque fieri Appellatio à Iudice Delegato, & ab Ordinario, de omnibus casibus forma procedendi tradi debet. Sit ergo primo Appellatio ab interlocutoria prolata à Iudice Delegato: tali casu Iudex Appellationis erit Ordinarius, qui delegauit, siue fuerit Prouincialis, siue

Generalis. Sed quia Generales, vt plurimum committunt huiusmodi Appellationes in partibus, & infrà loquemur de forma tenenda ab huiusmodi Iudicibus Commissarijs; trademus pro nunc formam, secundum quam segeret Prouincialis super Appellatione interposita ab interlocutoria, prolata à suo Delegato, & est, vt sequitur.

In nomine Domini. Cum comparuisset coràm A.R.P. Ministro Prouinciali Fr.N. siue P. F. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi, & exposuisset se appellasse à Decreto interlocutorio, interposito à P.F.N. Delegato ab eodem A.R.P. Ministro super &c. *Et hic exprimatür Decretum, super quo fuerit appellatum; & præfatus F.N. appellans institisset, vt admitteretur ad probandam coram eodem A.R.P. causam, & causas prædictæ Appellationis à se productas, idem A.R.P. volens, prout de iure, procedere, vocato me coràm infrascriptis Testibus, mihique dato iuramento fidelitatis, Notarium creauit, ad effectum &c. Acta sunt hæc Die Mense Anno loco &c.*

Ego N. Minister.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter idem A.R.P. visis causis Appellationis productis à prædicto Fr. N. appellante pronunciauit eas de iure esse legitimas; & ad videndum, an subsistant in facto, de eiusdem mandato, vocatus fuit Fr.N. Appellans, qui suprà, coràm eodem A.R.P., & se paratum dixit probare causas expressas il Libello Appellationis in Actis existentes, & Testes super primo Article produxit FF. N. & N. super secundo Fratres N. & N. &c. *Et sic deinceps assignet Testes, seu producat literas, scripturas, siue alia documenta, per quæ causæ ab ipso adductæ probentur; & omnia in processu adnotentur. Quæ omnia ab A. R. P. fuere recepta, & admissa si, & in quantum, & decreuit ad vltiora, prout de iure procedere. Acta sunt hæc &c.*

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Debet expost Prouincialis formiter examinare Testes productos ab Appellante, iuxta formam traditam sup. Sect. IV. num.

XXXIX. *ijſque examinatis, debet citare Appellantem ad dicendum, ſi aliud habeat producendum pro ſe; poteſt autem totum deſcribi, ut ſequitur.*

Examinatis ſupradictis Teſtibus à præfato F.N. Appellante productis, A.R.P. Miniſter vocare fecit coram ſe memoratum Fr.N. Appellantem, & iuſſit illi, ut ſi aliud haberet deducendum ad probandas cauſas adductas Appellationis à ſe interpoſitæ, illas produceret. Qui reſpondit, ſe nihil aliud habere deducendum. Et ita dimiſſus eſt; decreuitque A.R.P. requireret conſilium Patrum Diffinitorij, & pronunciare, opportuno tempore, ſuper validitate cauſarum prædictæ Appellationis. Acta ſunt hæc &c.

Ego N. Miniſter &c.

Ego N. affirmo, ut ſupra.

Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma Sententiæ pronunciandæ ſuper validitate Appellationis ab interlocutoria.

In nomine Domini. Amen. Viſa Appellatione interpoſita à Fr.N. Reo prætenſo ſuper Sententia interlocutoria lata per P.F.N. noſtrum Iudicem Delegatum ſub Die &c. Menſis &c. Anni &c. Viſiſque cauſis prædictæ Appellationis à memorato Reo prætenſo propoſitis; Viſiſque & maturè ponderatis deſiſtionibus Teſtium, & alijs instrumentis ab Appellante productis, per hanc noſtram Sententiam, quam de Diffinitorum noſtrorum conſilio, & aſſenſu ferimus, DECLARAMVS, & dicimus malè fuiſſe à memorato Iudice interlocutum, & benè appellatum. Quapropter cauſam à prædicto Delegato ad noſtrum Ordinarium Tribunal auocamus. Dat.&c.

Ego N. Miniſter Prouincialis.

Ego N. Cuſtos.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Actuarius.

Quod ſi iudicata fuerit Appellatio inſubſiſtens, debet dici.

Declaramus, & dicimus benè fuiſſe à memorato Iudice interlocutum, & ma-

lè à prædicto Fr.N. appellatum. Quapropter, non obſtante prædicta Appellatione, debere prædictum Iudicem in Cauſa procedere, iuxta ſibi à Nobis datam commiſſionem decernimus, & pronunciamus. Dat.&c.

Debet autem Proceſſus factus à Iudice ad quem, ſimul cum Sententia, mitti ad Iudicem à quo appellatum fuit, & totum inſeri inter Acta, ſi Appellatio fuerit iudicata inſubſiſtens. Si verò Sententia fuerit ad fauorem Appellantis, Cauſa debet terminari à Iudice, ad quem, iuxta exigentiam, & formulas procedendi ſuprà traditas.

A D N O T A T I O I.

XIX. *Aduertendum, quod ſi cauſæ Appellationis ab interlocutoria pendeant, non à probatione Teſtium, ſed à puncto iuris, Reus appellans debet producere fundamenta legalia, ob quæ ipſe appellauit; nec enim tunc examinandi ſunt Teſtes ad probandum factum; ſed tantum perpendenda iura, an per ea probetur iuſtitia cauſarum Appellationis. Quod ſi Reus Appellans ſit idiota, & petat à Iudice ad quem Patronum doctum, ut ſua iura formiter deducat; debet iſte ſibi indulgeri.*

A D N O T A T I O II.

XX. *Aduertendum ſecundò, quod quæ dicta ſunt de probandis cauſis Appellationis, debent pari modo ſeruari in probandis cauſis Reuſationis Iudicis Delegati: tali enim caſu, cauſæ non eſſent probandæ coràm Arbitris, ſed coràm Ordinario Delegante, ut aliàs diximus. Licet melius ſit, quod Ordinarius alium non ſuſpectum deleget, quàm quod perdatur tempus in probandis cauſis Reuſationis, quæ licet ſemiplenè tantum probentur, & dubiæ remaneant, nihil minus remouent Iudicem à proſecutione Cauſæ.*

XXI. Forma tenenda à Iudicibus Delegatis à P. Generali ad cognoscendum de cauſis Appellationis ab interlocutoria.

Videnda ſunt, quæ ſcripſimus Par.I. Tit. Sententia num. 147. & ſeqq. & incipiendus Proceſſus, prout ſequitur.

In nomine Domini, Amen. Cum à Reuerendiſſimo P. N. Miniſtro Generali miſæ

missæ fuerint ad infra scriptos Patres literæ tenoris sequentis &c. & registrentur per extensum literæ Commissionales RR. PP. N. & N. commissionem sibi demandatam, vt par est, exequi volentes, coràm se congregatis in camera &c. vbi suum Tribunal erexerunt, vocare fecerunt Me F. N. & in præsentia PP. FF. N. & N. Testium ad hoc specialiter vocatorum, & adhibitorum, à me iuramentum fidelitatis exegerunt, quod præstiti, tacto pectore more Sacerdotum; & Notarium creauerunt ad effectum, vt sibi pro Actuario in Causa, vt præfertur ipsis demandata, inferuirem. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. Delegatus.

Ego Fr. N. Delegatus.

Ego F. N. fui Testis.

Ego F. N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit coràm prædictis Fr. N. qui Appellationem interposuit ad prædictum Reuerendissimum P. Generalem, & illi iussum, vt Acta sibi consignata à Iudice, à quo appellauit, produceret. Qui exhibuit inuolucrum quoddam clausum, & sigillatum sigillo minori Prouinciæ N. & dixit inibi contineri Acta omnia processualia sibi consignata à Iudice à quo. Quibus habitis pro tunc fuit dimissus. Aperto autem prædicto inuolucro, & lectis per Me infra scriptum prædictis Actis, audientibus prædictis RR. PP. Commissarijs; communicato inter se consilio, & pluribus hic inde propositis maturatis, & discussis, TANDEM vnanimi consensu pronunciauerunt causas Appellationis à prædicto interpositas, esse de iure legitimas, & decreuerunt, esse ab ipsis vltèrius procedendum, prout & procedere determinarunt ad videndum super iustitia earundem causarum in facto. Acta sunt hæc Die &c.

Ego Fr. N. Commissarius.

Ego Fr. N. Commis.

A D N O T A T I O.

XXII. *Aduertendum, quod si Commissarij aduerterint causas Appellationis de iure non subsistere, debent absque vltèri inquisitione, Acta demum sigillare, & Causam remittere ad Iudicem à quo fuit appella-*

tum; nisi bñc appellationem, quæ de iure non debebat admitti, admississet; tali enim casu, quantumuis Iudices ad quod declararent, causas Appellationis de iure non subsistere, nil minùs Causa non reuenteretur ad Iudicem à quo, & hoc in pœnam suæ negligentie, siue ignorantie cum detulerit Appellationi, cui de iure deferre non debuit, vt diximus Par. I. Tit. Sententia num. 148. Debet autem describi totum, vt sequitur.

Consequenter vocatus fuit coràm prædictis Fr. N. &c. vt num. superiori &c. Tandem vnanimi consensu pronunciauerunt, causas prædictæ Appellationis propositas à memorato Fr. N. Appellante, non esse de iure legitimas, neque admitendas, sicut & eas non admisit Iudex à quo, cum eidem Appellanti apostolos refutatorios concesserit. Proindè decreuerunt remittere Appellantem, cum Actis transmissis sigillatis, ad prædictum Iudicem, vt Causam inceptam terminet; prout præsentis Decreto remittunt. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

XXIII. *Forma prosequendi cognitionem causarum Appellationis ab interlocutoria.*

Vocatus fuit coràm RR. PP. Commissarijs, qui supra, idem Fr. N. Appellans, iussumque illi fuit, vt produceret iura, Testes, Scripturas, siue alia documenta, quibus probare possit, causas à se interpositæ Appellationis in facto subsistere. Qui &c. *Hic describi debet totum, quod Appellans exponet; potest enim dicere, quod grauenamen super quo appellauit apparet ex ventre processus; vel producere Testes ad probandum aliquod factum, ex quo resultat grauenamen; vel proponere iura, literas, siue alia documenta ad probandum intentum suum; & omnia hæc debent exactè in processu describi.*

A D N O T A T I O.

XXIV. *Potest etiam dari casus, quod Reus inueniat, siue suspicetur, Acta transmissa esse vitata, ex eo quod non inuenitur in ijs aliquod expressum faciens ad sui fauorem,*

uorem, quod tamen factum fuit, & in Actis originalibus reperitur. Tali casu, ad instantiam eiusdem Rei, debent Commissarij scribere ad Iudicem à quo, & mittere ad eum Acta sigillata, quæ ipse tradidit Appellanti, ordinando, quod acta illa collationare faciat cum originali, citata parte, (puta aliquo ex Amicis, seu confidentibus nominatis ab Appellante) & assistente collationi ipsi. Potest verò factum describi, ut sequitur.

Comparuit coràm RR. PP. Commissarijs Fr.N. qui appellauit, vt supra in Actis; & dixit, quod cum intellexerit, inter Acta transmissa non contineri, quod &c. Et hic describatur factum, siue aliud, quod ommissum fuerit, quod tamē pro certo habet, contineri in Actis originalibus; suspicatur proindè, Acta prædicta, ad sui grauamen, fuisse transmissa manca, decurtata, & adulterata. Instat proindè, quod Actis ita transmissis nulla fides adhibeatur, donec ipsa collationata sint, citata Parte, puta P.Fr.N. siue P.Fr.N. quos ipse Comparens eligit, & nominat in Procuratores suos coniunctim, seu diuisim, vt nomine ipsiusmet Comparentis, collationi faciendæ personaliter interueniant. Reseruato sibi iure, quando opportunum erit, si Acta ipsa inuenientur vitiata, agendi contra eos, quorum malitia, seu dolo, fuerint adulterata. Qui RR. PP. Commissarij responderunt se esse præstituros, que de iure competere iudicabunt. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius,

Considerata à RR. PP. Commissarijs supradicta petitione facta à Fr. N. Appellante, & ab ipsis iudicata legitima, annuendum esse petitis decreuerunt. Vnde ad ipsorum mandatum scriptæ, & directæ fuerunt ad A. R. P. Ministrum Prouinciæ N. literæ tenoris sequentis.

A. R. P. Remittimus ad P. V. acta, quæ à Nobis fuere transmissa per Fratrem N. qui appellauit à Sententia interlocutoria per vos lata in Causa, quæ coram Vobis actitur, contra memoratum Fratrem N. Nam licet per Actuarium vestrum fuerint subsignata, & authenticata, apposito sigillo Officij vestri, tamen contra illa exceptum coram Nobis est à prædicto Ap-

Pars II.

pellante, qui asserit, se suspecta habere talia Acta, tanquam non fideliter collationata, & non integraliter transumptata. Quapropter auctoritate Reuerendissimi P. Generalis Nobis delegata, Vobis iniungimus, vt Acta prædicta ad Nos transmissa fideliter collationare faciatis, citatis prius PP. FF. N. & N. electis à prædicto F. N. in Procuratores suos ad hoc, vt ambo, siue quilibet ex ipsis collationi faciendæ interueniat, & illi subscribat. Confidimus autem P. V. A. R. esse, (vt iniungimus, & de iure est,) fideliter præstituram, & Acta prædicta, vt præfertur, ad Nos sigillata transmissuram. Valeatis. Dat. &c.

Ego N. Commissarius Delegatus.

Ego N. Commissarius Delegatus.

Ego N. Actuarius.

XXV. Forma tenendi à Ministro Prouinciali post receptum mandatum suprascriptum.

Cum A. R. P. Minister Prouincialis recepisset mandatum sibi factum à RR. PP. Commissarijs Delegatis à Reuerendissimo P. Ministro Generali in causa Appellationis interpositæ à Fr. N. Reo prætenso, prout in actis &c. volens, vt par est, illud exequi, vocare coram se fecit PP. FF. N. & N. & ipsis significauit se esse nominatos à prædicto Fr. N. in Procuratores suos, vt coniunctim ambo, siue vnus ex illis assisterent collationi Actorum transmissorum faciendæ cum originali. Qui Patres prædicti nominationi prædictæ de se factæ consenserunt, & ad mandatum A. R. P. iurarunt, se fideliter præstituros munus suum, & collationi prædictæ faciendæ interuenturos. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Procurator.

Ego N. Procurator.

Ego N. Actuarius.

Facta autem collatione cum interuentu vnius, seu amborum Procuratorum in calce eorundem Actorum describi debet, prout sequitur.

Præsens copia extracta fuit ab Actis originalibus, & de verbo ad verbum fideliter cum illis collationata, citatis, & interuenientibus collationi prædictæ PP.

FF.N.& N.Procuratoribus Fratris N.pro-
ut supra. In quorum &c.Dat.die &c.

Ego N. Procurator.

Ego N. Procurator.

Ego F.N.Actuarius.

Excindè debet in presentia eorundem
Procuratorum sigillari, & illis consignari, ut
transmittant ad Commissarios; ne fortè, fa-
cta collatione, Actuarius mutaret aliqua
folia, & denuò acta vitaret. Sed melius
fiet si in calce cuiuslibet folij collationati
Procuratores se subscribant, hoc enim pacto
non poterunt mutari folia; & tunc non est
necessè, quod Acta coram Procuratoribus si-
gillentur, neque illis consignentur.

ADNOTATIO I.

XXVI. Aduertendum, quod si notabilis
aliqua alteratio in præiudicium Appellan-
tis fuerit inuenta, debet adnotari ab Actis
primo transmissis; ut possit detegi vitatio
actuum, & conuinci Vitiator, si interuene-
rit malitia, & dolus. Debet vero factum de-
scribi, ut sequitur, & circa hoc Procuratores
sint valdè attenti.

Facta collatione Actuum, inuenta
sunt vitia sequentia.

Primò. Fol.&c.copiæ, linea &c.habe-
tur sic, & sic &c. in originali verò folio &c.
habetur sic, & sic &c.

Secundò. Fol.&c.copiæ, linea &c.ha-
betur sic &c. in originali verò fol. &c. ha-
betur sic &c.

Tertiò. Fol.&c.copiæ, post lineam &c.
sequitur sic &c. in originali autem fol.&c.
sequitur sic &c. vndè omissum fuit in co-
pia hoc, & hoc &c. In quorum &c.

Ego N. Procurator.

Ego N. Procurator.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

XXVII. Si euidenter constiterit de do-
losa vitiatione Actuum primo transmissio-
rum in præiudicium Appellantis, poterit iste
agere contrà Actuarium, ut potè corruptorem
presumptum; actio autem debet intentari
coram Ministro Generali; hoc tamen erit
postquam Causa principalis fuerit totaliter
terminata.

XXVIII. Forma terminandi cogni-
tionem Causarum Appellationis.

Presentatis Actis, ut supra dictum
fuit, siuè ea fuerint à principio integra, siuè
fuerint denuò, ut præfertur collationata, &
ad Commissarios transmissa, debent Commis-
sarij examinare merita causarum Appella-
tionis, ponderando iura, rationes, scripturas,
& alia documenta per Appellantem produ-
cta. Quod si necessarium fuerit Testes exa-
minare super Articulis ab Appellante pro-
positis, Commissarij debent eos examinare,
seruando formulas datas Sect. 4. n. XXXIX.
& seqq. Et tandem debent citare Appel-
lantem ad hoc, quod si aliud habeat addu-
cendum, pro sustinenda sua Appellatione, il-
lud adducat, & forma talis citationis data
est supra nu. 17. vers. Examinatis. His om-
nibus peractis deuenire debent ad Senten-
tiam, ut sequitur.

XXIX. Forma Sententiæ dandæ à
Commissarijs super Appellatione inter-
posita ab interlocutoria.

In nomine Domini. Amen. In Cau-
sa Appellationis interpositæ à P. Fr. N. su-
per decreto interlocutorio lato per A. R.
P. N. Ministrum Prouincialem Prouinciæ
N. prout latius in Actis contiuetur. Visis
causis per prædictum P. Fr. N. Appellan-
tem productis. Visis, & maturè ponde-
ratis depositionibus Testium, rationibus,
scripturis, & alijs documentis à memora-
to Appellante productis. Visis pariter, &
benè discussis Actis processualibus; Visis
tandem omnibus videndis, ac considera-
tis considerandis, Nos Iudices Commissa-
rij, à Reuerendissimo P. N. Ministro Gene-
rali in hac Causa deputati, Christi nomi-
ne inuocato, Deumque præ oculis ha-
bentes, ut de illius vultu nostrum iudi-
cium procedat, per hanc nostram Senten-
tiam, quam in his scriptis ferimus.

Dicimus Appellationem interposi-
tam in iure, & factò esse legitimam, &
præmemoratum P. Prouincialem malè
essè interlocutum. Quapropter Senten-
tiam illius interlocutoriam circumscri-
bimus, & reuocamus; Causamque prin-
cipalem ad Nos ex integro auocamus;
inhibemusque prædicto P. Ministro Prou-
uin-

uinciali, nè ampliùs in memorata Cauſa ſe immiſceat. Ita pronunciamus, & ſententiamus hac die &c.

Ego N. Commiſſarius.

Ego N. Commiſſarius.

Ego N. Actuarius.

Si verò Appellatio non ſuſtineatur ſcribi debet, vt ſequitur.

Dicimus Appelationem interpoſitam non ſuſtineri, & benè à præfato A. R. P. Prouinciali eſſe interlocutum, & malè ab Appellante fuiſſe appellatum; proindè Cauſam, prout de iure, terminandam, ad eundem P. Prouincialem remittimus. Ità pronunciamus &c.

quod in caſu Appellationis à Diffinitiuâ, Generales grauioribus curis diſtracti, nequeunt per ſe luſtrare proceſſus, ideò committunt aliquibus viris doctis reuiſionem Cauſæ, ordinantque illis, vt referant cum voto. Pariter poteſt dari caſus, quod etiam in caſu Appellationis ab interlocutoria, Generalis remittat Cauſam ad aliquos Commiſſarios in partibus, prout ſuprà dictum eſt, reſeruato ſibi iure pronuncianti ſuper meritis Appellationis. Talibus in caſibus Conſultores, ſiue Delegati benè aduertant, quæ ſcripſimus Tit. Sententia num. penult. & num. finali, & relationem cum voto ſuo, debent formare, vt ſequitur.

ADNOTATIO I.

XXX. *Aduertendum, quod ſicut probauimus Tit. Canones num. 122. & ſeqq. ſi Cauſa Appellationis, ſeu Recuſationis ſit Iudici turpis, ſiue Iudex procedat, ex Officio, ipſe debet audiri à Iudice à quo; & proindè ſi ipſe inſtet, & impugnet probationes factas ab Appellante, pro ſuſtinenda Appelatione, debet à Commiſſarijs admitti, vt de Arbitris dictum fuit ſuprà Sect. 8. num. XVIII. Tali ergo caſu, in proceſſu adnotari debent Acta omnia, quæ mittentur ſcripta à Iudice à quo, pro inualidanda Appelatione, & etiam in Sententia Commiſſariorum debet adnotari; quod ponderata ſint ea, quæ producta fuerunt à Iudice à quo, pro annullanda Appelatione.*

ADNOTATIO II.

XXXI. *Aduertendum ſecundò, quod ſi Cauſa Appellationis ſuſtinebitur, Commiſſarij debent cognoscere de Cauſa principali, quæ ad illos remanet, ex tali titulo deuoluta. Vnde tenentur Cauſam continuare uſque ad Sententiam diffinitiuam excluſiue, ſiue incluſiue, iuxta tenorem Delegationis ſibi commiſſæ. Continuationis autem proceſſus, formam non damus, quia illa eſt ſeruanda, quam iuxta caſuum exigentiam, in ſuperioribus dedimus.*

XXXII. *Forma voti Conſultorum, quandò Generalis committit reuiſionem Proceſſus in caſu Appellationis à Sententia Diffinitiuâ.*

Contigit aliquandò, & vt in pluribus, Pars II.

Reuerendiſſime Pater.

De mandato Reuerendiſſimæ P. V. Nos infraſcripti vidimus, & examinauimus acta proceſſualia in Cauſa actitata coràm Miniſtro Prouinciali Prouinciæ N. contra Fratrem N. diffamatum, ſiue denunciatum, ſiue accuſatum de &c. Et hic apponatur titulus proceſſus fabricati, ſiue delicti, ſuper quo facta fuit inquiſitio. Vidimus pariter proceſſum deſenſiuum, iura deduſta, & omnia alia propoſita à P. N. Patrono, ad tutelam, & excuſationem præfati Fr. N. Appellantis. Vidimus inſuper reſponſionem ad prædicta datam à P. F. N. pro parte Fiſci; & replicationem è contra factam in fauorem prædicti Appellantis à præmemorato P. Fr. N. Patrono. Vidimus tandem Sententiam latam per Diffinitorium prædictæ Prouinciæ, & Appelationem ſuper ſuper illa interpoſitam ad Reuerendiſſimam P. V. Mature autem, & ad normam iuris, iuxta noſtri ingenioli tenuitatem hinc indè omnia contulimus, & ponderauimus, & inuenimus, quod &c. Hic autem debent fideliter recenſeri, quæ, deduſtis exceptionibus, & omnibus in contrarium facientibus, remanent ſeu plenè, ſeu ſemiplenè, ſeu præſumptiue de iure probata; ſiue ſpectent delictum pro, vel contra Reum; ſeu modum procedendi legitimum, vel non, pro, vel contra Iudicem; ſeu grauitatem Sententiæ congruentem, vel non, delicto, iuxta Conſtitutiones &c. Quapropter ſumus in voto, quod &c. & hic, iuxta cauſarum varietatem, debet exprimi, vel quod Reus ſit abſoluendus ſimpliciter, aut cum clauſula rebus ſic ſtantibus; vel quod Sententia vt nimis grauis moderetur; vel circa ſpeciem, vel circa extensionem, ſeu durationem præ-

na; vel quod eadem Sententia plenè sustineatur, & Reus malè, & temerariè appellauerit; & ideo ad normam Statutorum Ordinis pœna sit illi duplicanda. Ità saluo &c. sentimus hac Die &c.

Ego N. Consultor.

Ego N. Consultor.

XXXII. Forma Sententiæ dandæ à Ministro Generali in casu Appellationis à Diffinitiuâ.

In nomine Indiuiduæ Trinitatis, ac Beatissimæ Virg. Mariæ. Amen. Christi Iesu Sacrosancto nomine inuocato Nos Fr. N. totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ac Iudex Ordinarius, visis, & diligenter consideratis omnibus, & singulis actis in Causa, & Causis discussis coram P. N. Ministro Prouinciali Prouinciæ N. contra Fr. N. diffamatum, siuè denunciatum, siuè accusatum, de &c. & hîc exprimat^{ur} delictum, de quo facta fuit inquisitio. Visis item omnibus productis in iure, & facto ad fauorem prædicti Fr. N. Visa pariter Sententia Diffinitiuâ contra eundem

prolata per Diffinitorium memoratę Prouinciæ N. Visa tandem Appellatione ad Nos interposita, ipsiusque causis, iuribus, & probationibus coram Nobis productis ad ipsam sustinendam consideratis, & maturè pensatis, & plenè discussis totius Causæ meritis, auditoq; consilio Patrum Consultorum de mandato nostro ad hoc deputatorum. Visis tandem omnibus videntis, & consideratis considerandis, per hanc nostram Diffinitiuam Sententiam, quam de consilio prædictorum in his scriptis ferimus.

Christi Iesu Sacrosancto nomine repetito, vt de ipsius vultu nostrum iudicium prodeat, Nos Fr. N. Minister Generalis &c.

Dicimus &c. *Et hîc ponatur tenor Sententiæ absolutoriæ, seu condemnatoriæ, iuxta casuum varietatem.*

Ità pronunciauimus Nos, qui supra pro Tribunali sedentes hac Die &c.

Ego N. Minister Generalis.

Ego F. N. Secretarius Generalis.


Ego F. N. fui Testis.

Ego F. N. fui Testis.



SECTIO DECIMA

In qua pro singulis casibus recapitulantur Formulæ tenendæ in construendis Processibus.

I.  NTEQVAM peculiaris, ac specificæ Formulæ procedendi recapitulantur, iuxta tradita in Sectionibus præcedentibus, necessarium est recapitu-

lare quædam generalia, quæ occurrere possunt in omni forma, & modo procedendi. Si enim diuersitatem casuum, iuxta quos possunt talia generalia accidere, vellemus in omni, & singula recapitulatione recensere, fierent inutiles repetitiones. Ideò antecedenter, & separatim eam damus.

II. Recusatio Iudicis, & aliorum interuenientium iudicio.

Recusatio Iudicis, quæ potest fieri ante Visitationem generalem iudicalem, habetur *Seç. I. num. XVI.*

Si autem inceptus sit Processus, recusatio proponenda est, iuxta formam datam *Seç. I. num. XXIII.*

Si Reus non potest habere præsentiam Iudicis, vel ipsum adire ex metu reuerentiali, potest Recusationem proponere coram honestis viris, iuxta formam datam *Seç. I. num. XIX.*

Si non inuenit Testes, qui velint assistere, potest publicare Recusationem per modum edicti, cuius forma data est *Seç. I. num. XX.*

Iudex autem recusatus, audita recusatione debet interponere decretum, iuxta diuersitatem modorum, quibus fuerit proposita Recusatio; & forma Decreti habetur *Seç. I. num. XXII.*

Si recusandus sit Notarius, Peritus, Consiliarius &c. talis Recusationis forma habetur *Seç. I. num. XXV.*

Si recusandus sit aliquis de Diffini-

torio, forma traditur *Seç. sexta numer. XXXVIII. & XXXIX.*

III. Probatio Corporis Delicti.

Si Corpus Delicti reliquit vestigium post se, sed tamen disparuit ante aduentum Iudicis; vel si delictum de sui natura nullum vestigium reliquit, Corpus Delicti probatur per Testes, & forma habetur *Seç. 4. num. XI.*

Si manet vestigium delicti, quod euidenter ex se apparet, probatur per Visitationem Iudicis, cuius forma traditur *Seç. 3. num. I.*

Mox examinantur Testes, qui interfuerunt Visitationi, iuxta formam datam *Seç. 3. num. IX.*

Si mahtia delicti non est ex se euidentis, sed debent adhiberi Periti ad iudicandum de illa, præmitti debet Decretum de adhibendis Peritis, & eius forma habetur *Seç. 3. num. V. vers. Cum A.R.P. visitasset &c.*

Si Periti adhibendi sunt Sæculares, petenda est licentia ab eorum Iudice, iuxta formam datam eadem *Seç. 3. num. V. vers. Illustrissime.*

Mox examinandi sunt, secundum formam datam *Seç. 3. num. IV. & V.*

Si agatur de vulneribus, quæ à Iudice, ratione periculi, visitari non possunt, examinandus est Chirurgus, & forma traditur *Seç. 3. num. VII.* Et postea examinandus est Vulneratus, & forma habetur *Seç. 3. num. VIII.*

Si agatur de veneno examinandi sunt Medici, cuius forma habetur *Seç. 3. num. VI.*

Si agatur de defloratione, examinandæ sunt Obstetrices, & forma traditur *Seç. 3. num. X.*

Si agatur de furto, Corpus Delicti probatur, iuxta formam datam *Seç. 3. num. XI.*

Si agatur de falsificatione Scripturæ, Monetæ &c. probatur Corpus Delicti, secundum formam, quæ habetur *Sect. 3. num. XIII.*

Si agatur de Libello famoso, probatur per Testes, qui viderunt ipsum affixum, & forma datur. *Sect. 4. num. XI.*

Si Corpus Delicti est extra iurisdictionē Iudicis Regularis, & manet iam probatum coram Iudice Sæculari, eius descriptio, & probatio desumitur à processu facto per Iudicem Sæcularem, & inferitur in processu Regulari; & forma datur. *Sect. 3. n. XIV.*

Si verò non est pronatum in alio Tribunali, seruanda est forma, quæ traditur *Sect. 3. num. XVI.*

IV. Examen Testium.

Ante examen Testium consideranda sunt, quæ scripsimus *Sect. 4. à nu. I. ad IX.* circa generalia, quæ seruanda sunt in examine Testium. Examen Testium describitur initiatiuè iuxta formam traditam *Sect. 4. num. X.* Et concluditur secundum formam datam citata *Sect. 4. num. XIII.*

Si ex aliqua causa examen non potest vno contextu compleri, interrumpitur, & ex post continuatur, iuxta formas traditas eadem *Sect. 4. nu. XVII. & XVIII.*

Si Testis simpliciter vocatus ad examen non vult comparere, debet citari iudicialiter, & formæ habentur *Sect. 4. num. XLVIII. & seqq.*

Si Testis à parte productus est omninò inhabilis, potest ante examen contra ipsum proponi exceptio nè examinetur; & forma ad hoc datur *Sect. 4. num. LXVI.* Et quomodo se gerere debeat Iudex sibi proposita exceptione habetur forma eadem *Sect. 4. num. LXIX. & seqq.*

Si delictum probandum est per Testes, seruatur forma data *Sect. 4. num. XI.*

Si delictum est manifestum, & ignotus Delinquens in casu homicidij, seu vulnerationis, vel percussionis, traditur forma *Sect. 4. num. XX.* In causa furti datur forma citata *Sect. 4. num. XXI.*

In causa Libelli famosi, traditur forma *Sect. 4. num. XXII.*

Si delictum est notorium, & Delinquens extraiudicialiter scitur, siue indicatus est, in Causa vulnerationis seruatur forma data *Sect. 4. num. XXV.*

In causa furti traditur forma eadem *Sect. 4. num. XXVII.*

In Causa Libelli famosi habetur forma citata *Sect. 4. num. XXVIII.*

Et pro recognitione illius scripturæ per comparisonem literarum, obseruatur forma descripta supradicta *Sect. 4. num. XXIX. & seqq.*

In Causa suspecti consortij habetur forma eadem *Sect. 4. num. XXXI.*

In Causa lapsus carnis consummati, traditur forma *Sect. 4. num. XXXII.*

In Causa copulæ carnalis attentatæ videatur forma data eadem *Sect. 4. num. XXXIII.*

In Causa conspiracy in Superiorem seruetur forma, quæ posita est *Sect. 4. num. XXXIV.*

In Causa Apostasiæ habetur forma eadem *Sect. 4. num. XXXVI.*

Si Delictum, & Delinquens est notorius, obseruatur forma descripta supradicta *Sect. 4. num. XLIII.*

Si Testes examinandi sunt super indicij de inimicitia, traditur forma *Sect. 4. num. XXXVII. & XXXVIII.*

Si de amicitia, & familiaritate habetur forma eadem *Sect. 4. num. XXXIX.*

Si de confessione extraiudiciali extat forma *Sect. 4. num. XXXV.*

Si examinandi sunt Testes præsentati à Parte, teneatur forma tradita *Sect. 4. num. XL.*

Si Testis est pertinax, seu irreuerenter se gerit coram Iudice, punitur ad formam datam *Sect. 4. num. LIV.*

Si negat scire delictum, cui constat interfuisse torquetur iuxta formam datam *Sect. 4. num. LVI.*

Si aliud dicit cum iuramento, & aliud sine iuramento, torquetur, & habetur forma eadem *Sect. 4. num. LVII.*

Si est varius, vacillans &c. torquetur iuxta formam traditam *Sect. IV. num. LX.*

Si cum varietate adest suspicio subornationis, torquetur iuxta formam datam citata *Sect. 4. num. LXIII.*

Si Testis torquendus non est Subditus Iudicis Regularis seruanda est forma data *Sect. 4. num. LXIV.*

Si Testis inhabilis torquendus est ad purgandam infamiam, seruetur forma descripta supra *Sect. 4. num. LXV.*

V. Rei constitutio, & examen.

Si Reus est de fuga suspectus, debet carcerari ad custodiam, & formam dedimus *Sect. 5. num. II.*

Si Reus est absens, citandus est per literas, & forma habetur *Seç. 5. n. IX.*

Si Reus est fugitiuus, citatur per Monitorium, cuius forma datur *Seç. 5. num. X. & XI.*

Et si reuertatur à fuga, seruatur forma data *Seç. 5. num. XII.*

Si Reus citatus, vult ex legitima causa, recusare Iudicem, debet seruare formam datam *Seç. 5. num. XIV.*

Pro primo constituto seruatur forma data *Seç. 5. num. XV.*

Pro secundo habetur forma tradita *Seç. 5. num. XVIII.*

Pro vltimo constituto tenenda est forma descripta *Seç. V. num. XIX.*

Si Reus non vult respondere absolute, aut non præcisè; vel est vacillans; vel est inter contradictoria non concordabilia, cogitur per torturam, & in tortura examinatur iuxta formam datam *Seç. 5. num. XX. & seqq.*

Si Reus confrontandus est cum Testibus, seruabitur forma tradita *Seç. 5. num. XXV.*

Si confrontandus cū Socio criminis, teneatur forma præscripta *Sec. 5. n. XXVI.*

Si recognoscendus est à Testibus, obseruetur forma data *Seç. 5. num. XXIX.*

Si Reus neget se esse eum, qui fuit aliàs condemnatus in contumacia, sit recognitio iuxta formam datam *Seç. 5. nu. XXX.*

Si Reus delinquit coram Iudice punitur iuxta formam datam *Seç. 5. n. XXXII.*

Si delictum est notorium Reus examinatur, vt habetur *Seç. 5. nu. XXXIV.*

Si Reus repertus est in fragranti delicto, examinatur iuxta formam datam *Seç. 5. num. XXXVI.*

VI. Defensiones.

Decreta à Iudice concessione Defensionum, si Reus illis renunciât, teneat formam traditam *Seç. 6. num. II.*

Si acceptat terminum defensorium, & Patronum eligit, teneat formam datam *Seç. 6. num. III.*

Si Patronus electus renuat acceptare munus, compellatur iuxta formam datam *Seç. 6. num. VII.*

Si Reus vult sibi ipsi formare Defensiones, & sit carceratus, concedi debet illi Procurator, & forma datur *Seç. 6. n. IX.*

Si petitur à Patrono, seu Procuratore, prorogatio termini, siue aliud ad Defen-

siones necessarium, teneantur formæ datæ *Seç. 6. num. XI. & XV.*

Si proponantur Articuli interrogatorii Iudici à Patrono, seruatur forma data *Seç. 6. num. XVIII.*

Et Iudex Articulos corrigat, secundum formam datam *Seç. 6. num. XX.*

Si Testes sint repetendi; hoc fiat iuxta formam, quæ habetur *Seç. 6. nu. XXI. & seqq.*

Si petitur à Iudice fabricatio processus defensiui proponantur Articuli secundum formam traditam *Seç. 6. num. XXVI.*

Citetur à Iudice Patronus ad producendos Testes, & forma traditur *Seç. 6. num. XXX.*

Si aliquis Testis renuerit examinari, Patronus instet, vt compellatur ad ferendum testimonium, & forma traditur *Seç. 6. num. XXXI.*

Si Iudex in examine Testium aliquo modo deficiat, & Patronus ipsum, vt suspectum vult recusare, seruatur formam datam *Seç. 6. num. XXXII.*

Si Iudex aliquid faciendum fauore Rei omiserit, Patronus petat reparationem omissorum, iuxta formam datam *Seç. 6. num. XXXIII.*

Defensiones fiant, & presententur secundum formam datam *Seç. 6. numer. XXXV. & seqq.*

Si loco Defensionum Reus vult se componere cum Fisco, petat Compositionem, cuius forma datur *Seç. 6. nu. XXXVII.*

Si Reus habet suspectos aliquos de Diffinitorio, potest ipsos recusare; & forma traditur *Seç. 6. num. XXXVIII. & XXXIX.* Aut si Prouincialis vult excludere Diffinitorem *ibidem num. XL.*

Si Reus in Tortura confessus est, petitur, & datur copia Actorum; fiunt, & presentantur defensiones, iuxta formam datam *Seç. 7. num. XXXVIII.*

Fiunt responsiones pro parte Fisci, & replicationes pro parte Rei, & forma tradita est *Seç. 7. num. XLI. & seqq.*

VII. Tortura.

Ante Decretum de Tortura inferenda, conuocari debet Diffinitorium, & forma traditur *Seç. 7. num. I. & II.*

Si ex legitima causa, adhibendi ad consilium sint Patres alij periti, seruanda est forma data *Seç. 7. num. III.*

Antè executionem Torturæ præmittitur Decretum, cuius forma descripta est *Sectio.VII. num. V.*

Si Tortura inferatur per Arctationem simplicem, seruetur forma tradita, *Sectio.VII. num. VI.*

Si per qualificatam, teneatur forma tradita, *Sectio.VII. num. VII.*

Si per flagellationem, fiat vt præscribitur *Sectio.VII. num. X.*

Si per sibilos, obseruetur forma præscripta *Sectio.VII. num. XI.*

Si per funem, habetur Forma *Sectio. num. XIV. & seqq.*

Si per ignem, traditur Forma *Sectio. VII. num. XXIX. & seqq.*

Si Tortura sit replicanda, habetur Forma *Sectio.VII. num. XXXI.*

Si danda sit Tortura super Complicibus, seruetur Forma data. *Sectio.VII. VII. num. XXXIII.*

Post Torturam si Reus confessus est crimen, debet ratificari confessio iuxta Formam traditam. *Sect.VII. n. XXXVI.*

Traditur copia actorum *Patrono. Sectio.VII. num. XXXVIII.*

Nouæ defensiones præsentantur. *Sectio.VII. num. XL.*

Illis respondetur pro parte Fisci post assignationem Aduocati Fiscalis iuxta Formam datam. *Sect.VII. num. XLI. & XLII.*

Replicatur contrà pro parte Rei. *Sect. VII. num. XLIII.*

VIII, Sententia.

Generalis Forma Sententiæ ferendæ traditur. *Sectio.VIII. num. V.*

Si est Sententia absolutoria ob Delictum non commissum, seruatur Formam tradita. *Sectio.VIII. Sectio VII.*

Si ex absolutoria Rei non inuenti culpabilis, quia indicia non suffecerunt ad Torturam, fiat, vt dicitur *Sectio.VIII. num. VIII.*

Si est absolutoria ob indicia sufficienter purgata per Torturam, habetur Forma. *Sectio.VIII. num. IX.*

Si est absolutoria Rei, & Accusatoris, seruatur Forma data. *Sect. VIII. num. X.*

Si est absolutoria Rei, & condemnatoria Accusatoris, fertur secundum Formam datam *Sectio.VIII. num. XI.*

Si est condemnatoria contrà Reum conuictum per Testes, traditur Forma. *Sectio.VIII. num. XII.*

Si est condemnatoria Rei confessi, fertur iuxta Formam traditam. *Sectio.VIII. numero XIII.*

Si pœna danda sit citra, vel vltra Statutariam, obseruatur Forma expressa. *Sectio.VIII. num. XV.*

Si pœna extraordinaria sit danda ob delictum non plenè probatum, Sententia condemnatoria erit secundum Formam expressam. *Sectio.VIII. num. XVI.*

Si Delictum fuerit Notorium, Sententia condemnatoria fertur iuxta Formam datam *Sectio.VIII. num. XX.*

Si Reus deprehensus est in fragranti, datur Sententia iuxta Formam descriptam. *Sectio.VIII. XXI.*

Si Sententia pronuncietur contrà Reum contumacem, & absentem, obseruetur Forma tradita. *Sect.VIII. nu. XXII.*

Si Reus petierit, & obtinuerit compositionem cum Fisco, Sententia dabitur secundum Formam datam, *Sectio.VIII. num. XXIII.*

IX. Appellatio.

Appellatio ab interlocutoria interponitur, vt præscribitur *Sectio.IX. nu. II.*

Si non potest interponi coràm Iudice, fiat coràm honestis Viris, & Forma traditur *Sectio.IX. num. V.*

Vel fiat per modum edicti iuxta Formam datam. *Sectio.IX. num. VI.*

Appellatio à Sententia Diffinitiuua fit. secundum Formam traditam. *Sectio.IX. num. VII.*

Apostoli refutatorii concedendi sunt ad Formam expressam. *Sectio.IX. num. IX.*

Reuerentiales autem iuxta Formam traditam. *Sectio.IX. num. XI.*

Dimissoriales verò, secundum Formam datam. *Sectio.IX. num. XII.*

Testimoniales tandem traduntur ad Formam datam. *Sectio.IX. num. XV.*

X. Processus per viam Inquisitionis Generalis, siuè Visitationis Iudicialis.

1. Præmittitur Visitatio iudicialis. *Sectio.p. num. XII.*

2. Si Visitatio fiat à Commissario Delegato. *Sectio.p. num. XIII. & XIV.*

3. Si Iudex Recusetur antè inceptam Visitationem. *Sectio. X. n. 2.*

4. Incipitur Inquisitio specialis. *Sectio. II. num. II.*

5. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
6. Si non probatum concludenter remanet Corpus Delicti, & terminatur processus. *Sectio III. numero XVII.*
7. Si probatum plenè est Corpus Delicti fit Decretum. *Sectio. III. numero XVII.*
8. Examinantur Testes. *Sectio. X. numero IV.*
9. Fit Decretum de Reo constituendo *Sectio. V. num. VII.*
10. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
11. Constituitur Reus. *Sectio. X. numero V.*
12. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. numero VI.*
13. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio. X. num. VII.*
14. Fertur Sententia. *Sect. X. n. VIII.*

XI. Processus per viam Inquisitionis specialis ex Fama, siuè Clamorosa insinuatione præcedente.

1. Processus incipitur. *Sectio. II. numero VII.*
2. Probatur Fama. *Sectio. II. num. VII.*
3. Fertur Decretum de Fama probata, nec ne. *Sectio. II. numero VII. & X.*
4. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
5. Fit Decretum *Sectio. III. nu. XVII.*
6. Examinantur Testes. *Sectio. X. numero IV.*
7. Fit Decretum de Reo constituendo. *Sectio. V. num. VII.*
8. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
9. Constituitur Reus. *Sectio. X. nu. V.*
10. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones, *Sectio. X. numero VI.*
11. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio. X. num. VII.*
12. Fertur Sententia. *Sect. X. n. VIII.*

XII. Processus per viam Inquisitionis mixtæ.

1. Processus incipitur. *Sect. II. nu. XI.*
 2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio X. num. III.*
- Prosequitur Processus iuxta dicta de Inquisitione speciali numero præcedenti.*

XIII. Processus per viam Denunciationis.

1. Præmittitur denunciatio, quæ si est oretenùs forma habetur. *Sectio. II. numero XIII.*
Si per Libellum, aut per literas, fit vt habetur. *Sectio. II. num. XIV.*
Si Denunciator ignorat Delinquentem, feruatur Forma data. *Sectio. II. num. XVIII.*
Si denunciatio detur ciuilitè, habetur Forma. *Sectio. III. num. XIX.*
2. Incipitur processus. *Sectio. II. numero XII.*
3. Si Denunciatio sit contrà Prælatos, aut insignes personas debet conuerti in Accusationem. *Sectio. II. num. XV.*
4. Continuatur processus per examen Denunciantis. *Sectio. II. num. XVII.*
5. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
6. Fertur Decretum. *Sectio. III. numero XVII.*
7. Examinantur Testes. *Sectio. X. numero IV.*
8. Fertur Decretum de Reo constituendo. *Sectio. V. num. VII.*
9. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
10. Constituitur Reus. *Sectio. X. nu. V.*
11. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. numero VI.*
12. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio X. num. VII.*
13. Fertur Sententia. *Sect. X. nu. VIII.*

XV. Processus viam Querelæ.

1. Præmittitur querela, cuius Forma datur. *Sectio. II. num. XX.*

2. Processus incipitur, & terminatur, vt fit per viam Denunciationis.

XIV. Processus per viam Accusationis.

1. Præmittitur Accusatio, cuius Forma datur. *Sectio. II. num. XXII.*
Et in præsentatione eius, si opus erit, seruatur cautela data. *Sect. II. num.*
2. Initiatur Processus. *Sectio. II. numero XXI.*
3. Si Accusator cognoscitur à Iudice, vt Religiosus zelans, acceptetur Accusatio; sin minùs, examinentur Testes super qualitate Famæ Accusatoris. *Sectio. II. num. XXV.*
4. Citatur Accusator ad producendos Testes. *Sectio. IV. num. XL.*
5. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
6. Fit Decretum. *Sectio. III. nu. XVII.*
7. Examinantur Testes. *Sectio X. numero IV.*
8. Fertur Decretum de Reo constituendo. *Sectio V. num. VII.*
9. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
10. Constituitur Reus. *Sect. X. nu. V.*
11. Conceduntur, fiunt, & præsententur Defensiones. *Sect. X. nu. VI.*
12. Citatur Accusator ad opponendum contrà Defensiones à Reo factas. *Sectio. VII. num. XLIV.*
13. Communicantur Patrono Rei oppositiones factæ ab Accusatore.
14. Replicatur à Patrono contrà oppositiones Accusatoris. *Sectio. VII. num. XLIII.*
15. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio. X, num. VII.*
16. Citatur Accusator ad producenda omnia, quæ habet contrà Reum. *Sectio. VIII. num. III.*
17. Sententiatur. *Sectio X. num. VIII.*

XVI. Processus per viam Exceptionis Ciuilis.

1. Præmittitur Libellus Exceptorius; si est contrà Eligendum, ne eligatur. *Sectio. II. num. XXVIII.*
Si est contrà Electum ne confirme-

- tur, habetur. *Sectio. II. nu. XXXII.*
2. Incipitur Processus. *Sectio. II. numero XXVII.*
 3. Examinantur Testes ab Exceptore producti. *Sectio. IV. num. XL.*
 4. Fit Decretum de Reo constituendo. *Sectio. V. num. VII.*
 5. Examinatur Reus. *Sectio. X. numero IV.*
 6. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio X. numero VI.*
 7. Citatur Exceptor ad contradicendum Defensionibus. *Sectio VII. num. XLIV.* vt fit in Accusatione.
 8. Replicatur ab Excepto oppositionibus Exceptoris. *Sectio. VIII. num. XLIII.* vt fit in Accusatione.
 9. Fertur Sententia. *Sectio. VIII. numero XVII.*

XVII. Processus per viam Exceptionis criminalis.

1. Præmittitur Libellus Exceptorius. *Sectio. II. num. XXX.*
2. Initiatur Processus, & profequitur vt fit in Accusatione.
3. Fertur Sententia. *Sectio. VIII. numero XVII.*

XVIII. Processus ex Officio præcedentibus indicijs in Processu Exceptiuo.

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. numero XXXIV.*
2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
3. Fertur Decretum post probationem Corporis Delicti. *Sectio. III. num. XVII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio. X. numero IV.*
5. Fit Decretum de Reo constituendo. *Sectio. V. num. VII.*
6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
7. Constituitur Reus. *Sectio X. numero V.*
8. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. numero VI.*

9. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio X. num. VII.*
10. Sententia fertur. *Sectio. VIII. numero XVII.*

XIX. Processus per viam Notorij.

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. numero XXXVI.*
2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
3. Fertur Decretum. *Sectio. III. numero XVII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio. IV. numero XLIII.*
5. Pronunciatur constare de notorietate. *Sectio. IV. num. XLIV.*
6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
7. Fit Decretum constituendi Reum. *Sectio. V. num. VII.*
8. Reus examinatur. *Sectio. V. numero XXXIV.*
9. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. numero VI.*
10. Sententiat. *Sectio. VIII. numero XX.*

XX. Processus contra deprehensum in fragranti crimine.

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. numero XXXVIII.*
2. Si Delinquens captus, & adductus fuerit coram Iudice, examinentur illi qui adduxerunt. *Sectio. II. numero XXXVIII.*
3. Si deprehensus est à Superiore. *Sectio. II. num. XXXVIII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio II. numero XXXVIII.*
5. Visitatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
7. Examinatur Reus. *Sectio. V. numero XXXVI.*
8. Conceditur illi Patronus, & Defensiones. *Sectio. VI. num. I. & sequent.*

9. Sententiat. *Sectio. VIII. numero XXI.*

XXI. Processus contra Fratres Conuentus, qui rebellant ab obedientia Prouincialis.

1. Initiatur Processus, & præmittitur Monitorium. *Sectio. II. numero XXXIX.*
2. Fertur, & publicatur contra Fratres Excommunicatio, & affiguntur Cedulones. *ibid.*
3. Inuocatur auxilium brachij sæcularis. *ibid.*
4. Carcerantur Rebelles. *ibid.*
5. Prosequitur Processus, vt supra in Delicto Notorio.

XXII. Processus faciendus à Visitatore, si non reciperetur contumaciter à Fratibus alicuius Conuentus.

1. Initiatur Processus. *Sectio II. numero XL.*
2. Præmittitur Monitorium. *ibid.*
3. Prosequantur omnia Acta, vt dictum est de Fratibus Conuentus rebellis Prouinciali. *ibid.*

XXIII. Processus faciendus ab Arbitris in causa Recusantis Iudicis.

1. Initiatur Processus. *Sectio II. numero XLI*
2. Citatur Recusans ad producendos Testes. *Sectio. IV. num. XL.*
3. Examinantur Testes producti. *Sectio. IV. num. XL.*
4. Citatur Iudex recusatus, si est Ordinarius ad opponendum contra probationes factas à Recusante. *Sectio VIII. num. XVIII.*
5. Sententia fertur. *Sectio VIII. numero XIX.*

XXIV. Processus quiuis, qui fiunt
à Delegatis.

1. Initiatur Processus. *Sectio II. numero XLIV.*
2. Inferuntur literæ patentes. *Sect. II. num. XLIV.*
3. Proceditur, vt in Superioribus iux-
tà exigentiam Causæ.

XXV. Processus faciendus à Dele-
gato, cui ampliata est iurisdictio.

1. Initiatur Processus. *Sectio II. nu-
mero XLVIII.*

2. Proceditur, vt in Superioribus, ad
Causæ exigentiam.

XXV. Processus faciendus à Iudi-
ce Ordinario ex Officio super Delicto
cognito incidenter in alio iudicio.

1. Initiatur Processus. *Sectio II. nu-
mero XXXVII.*
2. Proceditur, vt in Processu ex indi-
cijs emergentibus ex Processu Ex-
ceptiuo, vt *suprà num. XVIII.*



SECTIO VNDECIMA

In qua miscellanæ Formulæ traduntur circa agenda à Superioribus Prouincialibus, & Localibus.

I. Forma Processus faciendi à Prouinciali pro Expulsione Incurribilis ab Ordine.

Videnda sunt omninò, quæ scripsimus Par. p. Tit. Pœnarum à num. 24. ad 45. & à num. 121. vsque ad 165. Processus verò debet incipi, vt sequitur.



N nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Minister Prouincialis &c. aduerterit inter suos Subditos connumerari Fratrem N. dyscolum, scandalosum, & plurimis vitijs deditum, qui multa grauia delicta commisit, de quibus, licet punitus fuerit, ad nostrarum legum normam, nunquam tamen resipuit; imò incurribilem *de iure* se prodidit; & cum ex sua conuersatione non modica oriatur inter Religiosos conturbatio, & Sæculares plurimi ex sua mala vita scandalizentur, imò maximum periculum imineat, ne malo suo exemplo plurimos perdat, & in viam perditionis trahat; cumque omnes paternas exhortationes expertus fuerit, fuisse, & esse inutiles, ad ipsum reducendum ad bonam frugem, decreuit, iuxta Sac. Congr. Decretum, & Ordinis Constitutiones, hoc membrum putre resicare, ne malignitate sua totum corpus Religionis inficiat. Accito igitur Me infra scripto Secretario, quem Notarium creauit in solita forma coràm Testibus infra notatis, decreuit Diffinitorium congregare ad effectum habendi consilium, & assensum, prædictum Fratrem N. incarcerandi, & omnia alia prout de iure peragendi. Acta sunt hæc Die &c. In Conuentu &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego Fr. N. Actuarius.

II. Consequenter Anno Mense & Die in prædicto Conuentu N. N. in cameram, in qua solet congregari Diffinitorium, ab eodem Admodum R. P. conuocati fuerunt R. P. N. Custos, & R. R. P. P. N. N. N. & N. Diffinitores, & præmissa, vt moris est, Spiritus Sancti inuocatione, portari coràm illis fecit librum ex Archiuio Prouinciæ extractum, in quo adnotata sunt, iuxta Ordinis Constitutiones, copiae Sententiarum, pœnitentiarum notabilium, & Monitionum Canonicarum. Et ipso coràm omnibus aperto, legi per Me Actuarium fecit Sententiam olim prolatam contra supradictum Fratrem N., siue notabilem pœnitentiam datam eidem Fratri N.; quæ registrata est in prædicto libro folio &c. & est tenoris sequentis. *Et scribatur tenor per extensum.*

Similiter aliam Sententiam, siue memoriam notabilis pœnitentiæ eidem similiter inflictam, & notatam in eodem libro folio &c. *Et ponatur eius tenor.*

Pariter aliam Sententiam, siue memoriam pœnitentiæ notabilis præfato Fr. N. incussam, descriptam in memorato libro folio &c., quæ ita se habet, *Et scribatur itidem tenor illius.*

Quasquidem Sententias, & memorias, omnes Patres Diffinitorij oculariter inspexerunt authenticas in eodem libro. Subiunxit postea idem A. R. P. Prouincialis, prædictum Fratrem N. minimè post tales pœnitentias fuisse correptum, imò à pluribus Religiosis cordatis, grauibus, non maleuolis, sed omni fide dignis, qui secum de familia commorati sunt, accepisse, illum esse Fratribus molestum, scandalosum, tumultuosum, crapulæ, & vino deditum, à Choro alienum, orationis mentalis inimicum, mordacem, murmu-

ratores, fufurronem, & peffimæ con-
ficientiæ; Vndè propofuit idem A. R. P.
Prouincialis Patribus Diffinitorij prædi-
ctis; An ipfe Fr. N. debeat incarcerari
per annum iuxta Sac. Congregationis De-
cretum ad hoc, vt à diutino carcere ad
emendationem reducatur, vel eius incor-
rigibilitas plenè probetur? Qui R. R. P. P.
maturè ponderatis omnibus, & benè in-
formati de mala illius conuerfatione,
confilium, & affenfum dederunt, vt car-
ceri formali per annum manciparetur.
Acta sunt hæc &c.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor,

Ego N. Diffinitor,

Ego N. Diffinitor,

Ego N. Custos.

Ità eft ego N. Secretarius.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

III. *Aduertendum, quod potest dari ca-
sus, quod aliquis fuerit notabiliter peni-
tentiatus, & quod, præ incuria Secretarij, in
libro Prouinciæ talis penitentia non fuerit
adnotata. Tali casu debet Prouincialis exa-
minare duos, aut tres Testes super Notorie-
tate talis penitentiae, & potest seruari forma
quæ sequitur.*

Confequenter volens A. R. P. Pro-
uincialis antè conuocationem Diffinitorij
facere constare in actis de notabilibus pœ-
nitentijs inutiliter inflctis præfato Fratri
N., licet hoc fit publicum, & Notorium,
decreuit super hoc congruos Testes, ex
Officio assumptos, examinare. Proindè
vocare coràm se fecit P. Fr. N. Sacerdotem
ætatis annorum &c. Religionis verò &c.
& ipsi dato iuramento &d. prout iurauit
&c. fuit.

Interrogatus. An, & a quo tempore
cognoscat Fratrem N.?

An fuerit secum de familia?

Cuius vitæ, & famæ sit prædictus
Fr. N.?

Quomodò hoc sciat?

An fecerit aliquod, seu aliqua delicta
ob quæ fuerit notabiliter penitentiat?

Dicat quænam fuerint, vbi quando,
& quoties commissa?

Quas pœnitentias, vbi, quandò, &
quoties ob hæc subierit?

De causa scientiæ?

An hoc communiter in Prouincia fit
Notorium?

De causa scientiæ?

An post tales pœnitentias emenda-
tionem præse tulerit?

Quomodo hoc sciat?

An amore, vel odio deposuerit?

Quibus habitis, & si, & in quantum
acceptatis, lecto sibi suo examine &c. di-
missus est &c. Acta sunt hæc Die &c.
loco &c.

Ego N. affirmo, vt sup.

Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

*Sub eadem Formula examinet alios
duos, aut plures Testes, & melius est, quod
sint Sacerdotes graues, de quorum dictis non
possit ambigi ad plenè, & superplenè proban-
dam notorietatem. In descriptione verò con-
uocationis Diffinitorij, loco eius, quod su-
pra num. II. dicitur, quod portare coram
se fecit librum ex Archiuio &c. Dicatur,
quod Prouincialis statuerit coram Diffi-
nitorio depositiones Testium, ex quibus
probatum remanet dictum Fratrem N.
fuisse ter notabiliter, & publicè pœniten-
tatum, sed minimè correctum &c.*

IV. Anno igitur Mense Die
&c. idemmet A. R. P. Prouincialis vocari
coram se in publica Fratrum Communi-
tate fecit prædictum Fratrem N., ipsoque
genuflexo, ad eum habuit paternum, &
grauem sermonem, in quo exprobauit illi
repetita delicta, puta quod tali tempore,
& loco &c. commisit tale scandalum &c.
& recenseantur delicta trina, seu plura, ob
quæ fuit penitentiat notabiliter, seu iu-
ridicè. Et quod nihilominus per peniten-
tias nihilo melioratus est; imò nouos adie-
cit defectus, & scandala, puta &c. & hic
describantur mali illius mores, vita rela-
xata &c. proindè, cum Diffinitorii confi-
lio, & assensu, decernit carcerandum for-
maliter, iuxta Ordinis Statuta, per an-
num, vt, per hanc pœnitentiam, a mala
vita resipiscat. Protestando ex nomine
suo, & totius Religionis, quod si post
hanc pœnitentiam in sua peruersitate, &
malitia permanserit, tanquam incorrigi-
bilis, iuxta Sac. Canones, & Apostolica
Decreta, a Religione expelletur. Hortatus
est tandem, & ipsum obsecrauit per visce-
ra D. N. I. C. vt de sua salute recogitaret,
& ex corde pœniteret. Et omnibus Fratri-
bus meritum S. Obedientiæ dedit, si spe-
cialem

cialem orationem facerent pro conuersione ipsius, ne ex ipsius incorrigibilitate cogeretur, ad ipsum eijciendum de gremio Religionis. In cuius decreti executionem carceribus mancipatus est. Acta sunt hæc Anno &c. præsentibus infrascriptis Testibus ad hæc specialiter rogatis.

Ego Fr. N. Minister Prouincialis.

Ego Fr. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego F.N. Actuarius.

A D N O T A T I O .

V. *Aduertendum, quod si Reus fortè ad hoc sit in carcere in pœnam tertij Delicti commissi, ut diximus Par.p. Tit. Pœnarum num. 35. pag. 246. post quem potest decerni carcer ad probationem incorrigibilitatis, debet hoc in Processu adnotari; sicut etiam omnia alia, quæ contingere poterunt in carceratione, prout docuimus dicta Par. pr. Tit. Pœnarum num. 144. Vide ibi.*

VI. Consequenter Anno Mense Die &c. instante fine anni carcerationis prædicti Fratris N. prout supra, volens prædictus A.R.P. Prouincialis experiri, an per talem carcerationem prædictus Fr. N. ad emendationem sit mutatus, vocari coram se fecit P. N. Ex Ministrum, Ex Custodem, seu Guardianum, & P. Lectorem Theologum &c. Et ipsis iniunxit, vt se conferrent ad carcerem, vbi prædictus Fr. N. est detentus, & ipsius mentem diligenter explorarent, an amodò velit præcepta Dei, & Regulæ, ac Ordinis Constitutiones seruare; a malis moribus, in quibus antea versatus est, se corrigere; & tandem exemplariter, & religiosè viuere; Et fideliter referrent omnia, quæ ex tali colloquio sequerentur. Qui prædicti Patres promiserunt, se omnia diligenter, & fideliter præstaturos. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

VII. Eodem Anno Mense & Die & loco, quo supra coram prædicto P.A.R. Ministro Prouinciali, & Me infrascripto prædicti P. P. N. & N. comparuerunt, & sub iuramento, quod exhibuerunt, tacto pectore, more Sacerdotali, retulerunt, se associatos a P.P.F. Fr. N. &

N. Testibus ad hoc a se specialiter rogatis, & abhibitis, vt interessent colloquio habendo cum prædicto Fratre N. Carcerato, & omnia audirent, adiuissè carcerem, & intra admitti a Custode carceris, simul cum præfatis Testibus, interrogauerunt eum, an vellet amodò, vt bonus Religiosus viuere, suam vitam in melius mutare &c. Qui præfatus Fr. N. respondit &c. *Et hic describantur ea omnia, quæ ipse carceratus dixerit, aut fecerit &c.* Et hæc omnia Testes infrascripti, medio iuramento, quod præstiterunt, confirmarunt, prout suprascriptum est accidisse in eorum præsentia. In quorum &c.

Ego Fr. N. Deputatus affirmo.

Ego Fr. N. Deputatus affirmo.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

VIII. *Si prout adnotauimus Par.p. Tit. Pœnarum num. 149. pag. 307. carceratus humilitatem, & emendationis propositum ostenderit, debet processus ita prosegui.*

Anno Mense & Die Cum completus esset annus carcerationis prædicti Fr. N. ad normam Decreti Sac. Congregationis, & ad iuratam relationem suprascriptorum Patrum N. & N. ipse Reus signa pœnitentis, & conuersionis dedit, prout supra dictum est, A.R.P. Prouincialis conuocato Diffinitorio in cameram solitam, per Me Actuarium legi fecit totum Processum; quo lecto, ab ipsis consilium petiit, quid sibi videretur in hoc casu agendum? Qui Patres maturè consideratis omnibus, & attentis signis emendationis promissæ a Reo datis, & quod Deus de lapidibus suscitare potest filios Abrahamæ, & quod nullius, dum viuit, desperanda est correctio, in eam iuerunt sententiam, vt è carcere educeretur; coram Diffinitorio grauiter admoneretur, & (præmissa protestatione, quod si pacificè, & religiosè cum aliis Fratribus non vixerit; vel aliud scandalum graue commiserit, habebitur pro incorrigibili de iure, & irremissibiliter ad perpetuum carcerem, seu ad triremes damnabitur, iuxta Ordinis Statuta, vel ad placitum Reuerendissimi Patris Generalis ab Ordine expelletur) a carcere liberaretur. Tunc P. Prouincialis immediatè adduci coram omnibus prædi-

prædictis fecit prædictum Fratrem N. ad quem genuflexum, & humiliter veniam petentem, & emendationem promittentem, grauem sermonem habuit, & aduocatis ad hoc specialiter Testibus qui fuerunt P.P. F. F. N. & N. protestatus est, vt supra. Qui Reus denuò emendationem promittens, protestationem sibi factam acceptauit, & sic pro tunc dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. promitto,
& accepto, vt supra.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. Diffinitor.

Ego Fr. N. Diffinitor.

Ego Fr. N. Diffinitor.

Ego Fr. N. Diffinitor.

Ego Fr. N. Custos.

Ita est Ego Fr. N. Minister Prouinc.

Ego Fr. N. Actuarius.

IX. Si verò Reus interrogatus in carcere à Patribus missis à Prouinciali ad explorandam ipsius voluntatem, (vt supradictum est) nulla signa dederit emendationis, aut ambigua, prout diximus. Par. p. Tit. Pœnarum num. 152. pag. 308. & hoc referant dicti Patres Prouinciali, sub iuramento, vt præfertur, debet congregari Diffinitorium, & totum proponi, & describi, prout sequitur.

Anno Mense Die &c. cum completus esset annus carcerationis prædicti Fratris N. & ad iuratam depositionem Patrum, vt supra missorum ad explorandam voluntatem memoratis Fratris N. carcerati, intellexerit ipsum ambigua, siue nulla signa conuersionis dedisse, vt patet ex ipsorum relatione in Actis supra existente, conuocauit Diffinitorium, & totum Processum per me Actuarium legi fecit, & ab ipsis Patribus Diffinitorij petijt consilium in hoc casu. Qui mature consideratis omnibus, censuerunt esse ad vltiora procedendum in ordine ad expulsionem iuxta Ordinis Constitutiones. Acta sunt hæc Die....&c. in Conuentu &c.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Diffinitor.

Ego N. Custos.

Ita est Ego N. Prouincialis.

Ego N. Actuarius.

X. Potest etiam dari casus, quod Reus postquam exiit à carcere, & nondum expleto triennio (post quod diximus Par. p. Tit. Pœnarum num. 150. & 151. pag. 308. processum ad expulsionem esse comburendum) nouum graue scandalum committat. Potest pariter dari casus, quod nullum tale committat, sed vt prius relaxatè viuat, orationem, & Chororum fugiat, turpia loquatur, seriat discordias; familiam conturbet, & ab eius consortio fugiant ceteri Fratres. In his duobus casibus, (qui frequentius accident) potest deueniri ad expulsionem. De primo, patet, cum enim nouiter deliquerit, & intra tempus requisitum ad ostendendum factis realem morum emendationem; liquet quod ipse de facto se prodit incorrigibilem. De secundo pariter euidentis res est; quia, vt demonstrauimus, Par. p. Tit. Pœnarum num. 35. pag. 246. non est necessarium quod expellendus post triplex crimen commissum, nouum addat; sed sufficit, quod irreligiosè viuendo demonstrat, se minimè fuisse correctum, vt probauimus loc. cit. num. 37.

XI. In primo ergo casu Prouincialis debet instruere Processum ex Fama, Denunciatione, siue Accusatione iuxta Formam, præscriptam in Sectionibus præcedentibus, & probato semiplenè delicto, debet Reus assecurari in carcere, examinari, sibi assignari Patronus, & omnia perfici vsque ad Sententiam diffinitiuam exclusiue; hæc enim debet dari a Generali, est enim Sententia expulsionis, aut perpetui carceris, aut Triremium, que Reo datur ob incorrigibilitatem demonstratam hoc nouo delicto.

XII. In secundo autem casu instituenta est Inquisitio mixta, puta generalis quo ad delicta, specialis verò quo ad personam. Hæc autem potest institui, aut ex fama præcedente, aut ex Denunciatione, siue Accusatione; sed compendiosius fiet, si occasione Visitationis generalis Conuentus, ipsa instituat, vt sequitur.

XIII. In nomine Domini, Amen. Cum A. R. P. N. Minister Prouincialis degens in Conuentu N. a pluribus Religiosis grauibus, & fide dignis extra iudicialiter audierit Fratrem N., (qui per annum integrum iuxta Ordinis Constitutiones probatus est in carcere formali, in ordine ad expulsionem) non mutasse in melius mores suos, iuxta id quod in carcere existens promiserat, prout apparet ex Processu in specie fabricato, qui asseruatur in Archiuio Prouinciæ; imò in vita antiqua perseverare irreligi-

irreligiosè viuendo, decreuit inquirere veritatem per ordinariam iuris viam. Quapropter in præsentia N. & N. Testium in cameram suam vocato Me infra scripto, per exhibitionem iuramenti fidelitatis, quod præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creauit, ad effectum, vt illi inferuirem pro legitimo Actuario in fabricando processu. Acta sunt hæc Anno Mense Die &c.

Ego N. Minister Prouincialis,

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit Fr. N. &c. &c. ætatis annorum &c. Religionis &c. Testis ex officio assumptus, cui dato iuramento de veritate dicenda, prout iurauit &c. fuit

Interrogatus. In quo Conuentu, in quo officio, & à quo tempore habitat?

An cognoscat, & à quo tempore Fratrem N. commorantem de familia in eodem Conuentu?

An viderit dictum Fratrem N. compositè, & Religiosè vixisse, Chorum, Orationem, & alia boni Religiosi munia præstitisse; conuixisse pacificè cum alijs Fratribus; honestè cum omnibus, & maximè Sæcularibus, locutum fuisse?

Quomodò hoc sciat?

Quisnam alius sciat, quæ ipse Testis deposuit?

An amore, vel odio deposuerit?

Et concludatur.

Quibus habitis, etsi, & in quantum acceptatis, dimissus est, lecta sibi prius sua depositione, cui se subscripsit. Acta sunt hæc die &c.

Ego Fr. N. deposui, vt supra.

Ego F. N. Minister.

Ego F. N. Actuarius.

Iuxta ergo præscripta interrogatoria omnes Fratres illius Conuentus sunt examinandi, & postquam duo, vel tres examinati sunt, & concludenter probata mala vita illius Fratris, potest Prouincialis ipsum in custodia assecurare, & interim cæteros Testes examinare.

ADNOTATIO I.

XIV. *Aduertendum primò, quod si aliquis Testis, qui interfuit alicui factò concernenti probationem vitæ immorigeratae expellendi, fuerit in alio Conuentu, debet iste pariter examinari, vt plenè probetur factum, per quod cumulantur cætera indicia incorrigibilitatis.*

ADNOTATIO II.

XV. *Aduertendum secundò, quod cum hic agatur de probanda tantummodò mala vita Expellendi, facta illa, quæ non essent aliàs materia inquisitionis criminalis, sufficiunt in hoc casu ad probandam incorrigibilitatem; proindè benè probanda sunt omnia illa, vt negligentia ad Chorum, fuga ab oratione mentali, crapula, comestiones, murmuraciones, discursus inhonesti, verba obscæna, conuersatio affectata cum mulieribus, & huiusmodi, quæ probant malam conscientiam, ac vitam relaxatam.*

ADNOTATIO III.

XVI. *Aduertendum tertio, quod Iudex debet esse valdè cautus in examinando, & nullo modo debet querere de crimine, aut defectibus Eijciendi, nec in generali, nec in particulari, ne videatur suggestiuè Testes interrogare, sed debet querere, Num Eijciendus benè vixerit? prout supra diximus in Schemate interrogationis Testium. Quia verò semper inter alios Testes reperietur aliquis Amicus, Partialis, seu Factionarius Eijciendi, qui interrogatus de eius vita, respondebit, illum esse optimum Religiosum, & exemplarissimè viuere, licet sit totum oppositum; ideo ne cum læsione Religionis, & veritatis, eius testimonium labefactet dicta aliorum, optimum erit, quod Iudex querat ab alijs examinatis. An Testis ille taliter deponens sit Amicus Eijciendi, ac eius intimus &c. An eius defensionem contrà alios Fratres se conquerentes de illo susceperit? Et alia querat, per quæ ex ventre processus appareat probata illius partialitas cum Reo, & sic fides ipsius testimonio dematur.*

XVII. *His peractis debet Reus constitui, eo modo, quo diximus Sect. 5. per totam, examinari, ipsi tradi copia Actorum, assignari Patronus, & fieri defensiones iuxta for-*

mas, quæ suprâ traditæ sunt pro cæteris processibus, quas hic non repetimus, quia superfluas iudicamus.

XVIII. *Sic compilato processu, & defensionibus, debet processus mitti ad Generalem, qui si distat à Prouincia minus quam per tres dietas, prout diximus Par.I. Tit. Pœnarum num. 152. debet adiri à sex Patribus deputatis in Capitulo ad expulsionem Incorrigibilium, & debent oratenus dare votum suum pro expulsionem; & potest continuari processus, vt sequitur.*

Consequenter A. R. P. Prouincialis aduertens, quod Reuerendissimus P. Generalis, ad quem spectat, iuxta Sac. Congregationis Decretum, proferre Sententiam Diffinitiuam, non distat à Prouinciæ confinio ultra tres dietas, decreuit pro suo munere, omnium hucusque Actorum transumpta authentica, clausa, & sigillo Prouinciæ munita, per idoneam personam ad ipsum fideliter mittere, & insuper commonefacere RR. PP. N. N. N. N. N. Iudices deputatos, & electos in Capitulo ad expulsionem Incorrigibilium, ad quos opportunas literas obedientiales dabit, vt quantocius iter arripiant ad eundem Reuerendissimum Patrem, ea, quæ sunt sui muneris, præstaturi. Et mihi iussit, Acta processualia omnia sigillare, & literas obedientiales formare. Acta sunt hæc Anno &c.

Ita est Ego N. Minister Prouincialis.
Ego N. Actuarius.

Sigillato ergo, vt debet Processu, de foris debet scribi Titulus hoc modo. Processus criminalis contra Fr. N. Laicum Prouinciæ N. in ordine ad expulsionem à Religione.

Ad Reuerendissimum Patrem N. Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum.

XIX. *Si verò Generalis abest ultra tres dietas, debet Prouincialis vocare sex Patres suprâdictos, vt votum suum forment, vt possit simul cum processu ad Generalem transmitti; & processus continuabitur, vt sequitur.*

Consequenter aduertens A. R. P. Prouincialis Reuerendissimum P. Ministrum Generalem abesse à confinijs Prouinciæ ultra tres dietas, decreuit conuocare sex Patres in Capitulo Prouinciali deputatos ad expulsionem Incorrigibilium, ad hoc,

quod ipsi iuxta indultum Sac. Congregationis vota sua super hac causa pendente transmittant ad eundem Reuerendiss. Patrem. Vocare ergo coram se fecit RR. PP. N. N. N. N. N. & N. vt præfertur deputatos, & per Me Actuarium copiam authenticam omnium Actorum illis consignare fecit, vt possent super Causa prædicta inter se conferre, & vota, vt de iure debent, ad memoratum Reuerendissimum Patrem transmittere. Qui præfati RR. PP. prædictam copiam receperunt, & promiserunt se quantocius munus suum esse præsturos. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Prouincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

XX. *Maturè, accuratè, & cum charitate, omnique passione humana seposita, consideratis actis; & inter se collatis sententijs, & etiam exquisito consilio secreto, in punctis arduis ab aliquo Canonista exercitato in materia Regulari, ac Deum timente, debent Patres suprâdicti, si in vnâ coeant sententiam, vnicum votum (prout diximus Par. I. Tit. Pœnarum num. 152.) Formare, & illud propria subscriptione, & signis munire Votum porro potest esse, vt sequitur.*

Reuerendissime Pater.

XXI. In Causa actitata coram P. Ministro Prouinciali N. de consilio, & assensu Diffinitorij contra Fratrem N. memoratæ Prouinciæ ad effectum ipsum expellendi ab Ordine, tanquam perniciosum, & incorrigibilem Nos infra scripti Iudices, iuxta dispositionem Decreti Sac. Congregationis electi in Capitulo Prouinciali ad ferendum votum in casibus expulsionis ab Ordine, vidimus diligentissimè, & maturè perpendimus Acta omnia processualia, tam contrâ, quam pro Reo. Perspeximus autem, quod &c. Et hic neruose, & succinctè tangantur puncta delictorum, probationum, iurium adductorum per Patronum, & maximè releuantia pro, vel contrâ Reum, & citentur textus Canonici, aut Ciuiles, siue Constitutiones Apostolicæ, vel Statuta Ordinis, aut Classicorum Doctorum sententia, quæ faciunt ad singula puncta. Quapropter inuocato Spiritus Sancti auxilio, adhibito studio, & considerationè, collatis inter Nos sententijs, & consultis viris doctis, ac pijs, sumus in voto, attentis suprâ
nota-

notatis, quod &c. *Et hic describatur votum, siue ad expulsionem, siue non.* Saluo semper meliori consilio P. V. Reuerendissimæ, ad quod &c. Dat. &c. Die &c. in Conuentu &c. & subsignetur ab omnibus.

Quod si in diuersas abeunt sententias, illi, qui in vnâ partem inclinant, possunt commune votum formare, cæteri autem suum, ad instar tamen schematis præcedentis. Bonum tamen esset, quod huiusmodi voti duo ferent exemplaria ab iisdem Patribus subsignata, quorum vnum conseruaretur in Archiuo simul cum Actis originalibus, ne aliquo inopinato euentu in transmissione ad Generalem deperiret; aliud verò cum copia Actorum, vt præfertur transmitteretur.

XXII. *Formato autem voto, vt dictum est, debent sex Patres suprascripti vniti restituere Ministro Prouinciali copiam Actorum, simul cum eorum voto, & processus sigillari, vt sequitur.*

Anno Die &c. Comparuerunt coràm A.R.P. Ministro Prouinciali suprascripti sex Patres, qui restituta ipsi copia Actorum, præsentarunt duo authographa voti ab ipsis formati super Causa prædicta, ad effectum conseruandi alterum istorum cum Actis originalibus, aliud verò transmittendi cum copia ad Reuerendissimum P. Generalem. Qui P. Minister Prouincialis cum gratiarum actione illa recepit, & iussit mihi, vt insererem illa respectiue in originali, ac copia actorum, quod præstiti. Votum porrò incipit &c. & desinit &c. & ponatur tenor, & hic inseritur signatum litera &c. siue numero &c. Et tandem idem A.R.P. decreuit omnia quam primum ad Reuerendissimum P. Generalem mittere, proindè mihi mandauit, vt Processum cum voto prædicto sigillarem. In quorum &c.

Ego Fr. N. Minister Prouincialis.
Ego N. Actuarius.

Et sigillato Processu, apponatur titulus sicut paulò suprâ dictum est.

XXIII. *Tandem Generalis viso processu, & voto Patrum, si iudicauerit esse expellendum, potest procedere ad Sententiam expulsionis prout sequitur.*

Christi nomine iauccato. Nos F. N. Totius Ordinis Minorum Minister Generalis; Viso processu fabricato à P. N. Ministro Prouinciæ nostræ N. contra Fratrem N. eiusdem Ordinis, & Prouinciæ Laicum,
Pars II.

seu Clericum &c. in ordine ad eum expellendum ab Ordine tanquàm incorrigibilem; Visa, & considerata forma, secundum quam processum est in hac Causa, in qua seruata sunt omnia præscripta à Sac. Congregatione circa annuam carcerationem in ieiunio, & pœnitentia; Visis defensionibus propositis à P. Fr. N. Patrono memorati Fr. N. Rei ad ipsius fauorem; Viso voto Patrum N. N. N. N. N. & N. deputatorum in Capitulo suprascriptæ Prouinciæ ad Causas Incorrigibilium examinandas, iuxta Decretum Sac. Congregationis. Visis tandem omnibus videndis, & consideratis considerandis; Nos Fr. N. Minister Generalis, qui suprâ, Deum solum præ oculis habentes, vt de illius vultu nostrum iudicium prodeat, per hanc nostram definitiuam Sententiam, quam in his scriptis ferimus, Christi nomine repetito, pronunciamus, declaramus, & sententiamus dictum Fr. N. esse verè incorrigibilem, & vt talem esse ab Ordine nostro eijciendû; ideoque illum per hanc nostram definitiuam Sententiam à memorato Ordine nostro eijcimus, & eiectum esse declaramus; admonentes eundem nullatenus ilberum à votis in professione facta inter nos emissis remanere; Et extra Religionem nostram degentem, esse perpetuò suspensum ab exercitio Ordinum suorum; & subditum Ordinario loci, in quo habitare ipsum contigerit, facultate relaxandi, aut moderandi dictam Suspensionem, per Decretum prædictæ Sac. Congregationis memorato Ordinario, penitus interdicta; & quandiu, vita in melius mutata, pœnitens verè ad Religionem, & obedientiam non redierit, in habitu, & tonsura Clerici Sæcularis incedat.

Lata, lecta, & publicata fuit Romæ in Conuentu &c. die &c. præsentibus N. & N. Testibus ad hæc specialiter rogatis.

Ego N. Minister Generalis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Secret. Generalis.

Quod si Eijciendus sit Laicus, siue Clericus nullo Ordine insignitus, post illa verba, inter nos emissis remanere. Subiungatur.

Et vt habitu nostræ Religionis nullo modo, & tempore vtatur sub pœna falsi, & alijs latis contra eos, qui, cum Laici sint,

habitum alicuius Religionis assumunt. Iniungentes ei, vt statim ac è carcere liberatus erit, Diœcesano, siue Ordinario suo se præsentet, & eius iurisdictioni, & obedientiæ se subiiciat, vt in memorato decreto Sac. Congregationis mandatur. Lata, lecta &c. vt supra &c.

XXIV. *Transmissa Sententia à Generali ad Prouincialem, debet Reo in carceribus existenti intimari, & post decem dies, (si non appellauerit) debet educi, & secularizari, prout diximus Par. I. Tit. Pœnarum num. 153. Si verò appellauerit, debet detineri in carcere, vsque ad diffinitiuam Iudicis ad quem. Si autem fugerit à carcere, & sit Apostata, debet Sententia Generalis publicari coram tota Communitate, & affigi ad valuas Refectorij.*

XXV. *Potest autem dari casus, quod patrato tertio graui delicto Reus fugerit Apostata; siue in carcere existens fugam arripuerit; vel non completo integro anno carcerationis, pro experientia incorrigibilitatis, similiter apostatauerit; in his casibus non potest seruari forma superius prescripta. Si ergo Reus post tertium delictum, aut è carcere ubi pro tertio delicto detinebatur ad custodiam, siue ad pœnam aufugerit, processus ad expulsionem incipietur, vt sequitur.*

XXVI. In nomine Domini. Amen. Cum è carcere Conuentus nostri N. fugam arripuerit Frater N. qui ibi detinebatur ad custodiam, siue ad pœnam delicti à se commissi in Conuentu N., prout latius continetur in processu, super hoc fabricato, ad quem &c. A.R.P.N. Minister Prouincialis &c. considerans, quod prædictus Frater N. replicatis suis scandalis, & delictis perniciosus est Religioni, quam malè viuendo conturbat, & maculat, duxit, sui muneris esse, hoc membrum putrè, quod cœtera potest inficere, esse refecandum, & eijciendum ab Ordine, tanquam incorrigibilem. Ideò coram infra scriptis Testibus me Secretarium suum in suam cameram vocare fecit, & mihi dato fidelitatis iuramento, quod præstiti, tacto pectore amore Sacerdotum, Me Notarium creauit, vt sibi pro Actuario inseruirem in actis faciendis ad expulsionem prædicti Fratris N. legaliter decernendam. Acta sunt hæc Anno Mense Die &c. in Conuentu &c.

Ego Fr. N. Minister.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

A D N O T A T I O.

XXVII. *Aduertendum, quod antè quam deueniatur ad inexceptionem processus ad expulsionem, oportet, quod terminatus sit processus pro tertio delicto, & sententia lata abierit in iudicatum, per lapsum decem dierum, ex quo prolata fuit. Etenim ad hoc, quod quis dicatur de iure incorrigibilis oportet, quod de tribus delictis fuerit punitus; si verò non fuisset prolata sententia super tertio delicto, non posset dici Reus ter punitus, & ità non posset ad normam Decreti Sacre Congregationis declarari formaliter incorrigibilis.*

XXVIII. *Consequenter Anno &c. vt sup. num. 2. vsque ad illa verba; Quas quidem Sententias &c. & sequatur.*

Pariter statuit coram ipsis processum fabricatum contrà eundem Fratrem N. super delicto &c. & hìc ponatur delictum, de quo fuit processatus, ob quod (cum fugam à Religione arripuerit) fuit in contumacia condemnatus ad &c. & hìc exprimat pœna contenta in Sententia. Quibus stantibus idem A.R.P. Prouincialis proposuit prædictis Patribus Diffinitorij, An debeat institui Processus ad expulsionem ab Ordine prædicti Fratris N., & expediat petere à Sac. Congregatione dispensationem, ità vt possit deueniri ad Sententiam expulsionis absque eo, quod prædictus Fr. N. fugitiuus probetur incorrigibilis per annum carcerationem? Qui RR. PP. maturè consideratis omnibus, consilium, & assensum dederunt, quod instrueretur processus, & vt præfertur, peteretur nomine Prouinciæ dispensatio. Acta sunt hæc &c. & subscribatur ab omnibus.

A D N O T A T I O.

XXIX. *Aduertendum, quod sobriè intelligendum est, quod docuimus Par. I. Tit. Pœnarum num. 38. circa continuationem moralem trium delictorum, qua necessariò præcedere debent expulsionem. Potest enim dari, quod aliquis punitus de delicto per vnum, aut alterum mensem, donec recens est memoria inflictæ pœnitentiæ, compositè viuat; ex post redeat ad vomitum libertinam vitam ducendo, licet aliud graue scandalum, notabile, aut enorme non committat, nisi post duos, vel tres annos. Etenim diximus quidem triennium transactum inter vnum,*

unum, & aliud graue delictum interrompere moralem continuationem delictorum necessariam ad incorrigibilitatem; sed debet intelligi, quod in triennio intermedio Religiosus semper, aut pro maiori parte ostenderit mores in melius formatos, ac primò habebat. Sed si conuersatio ipsius mutata per unum, aut alterum mensem, redierit ad primæuos mores, viuendo relaxatè, vt priùs; dico, quod si nouum graue delictum cõmittat, licet sit ultra triennium à delicto præcedenti, delicta habent moralem continuationem sufficientem ad expulsionem. Etenim illud paruum tempus, in quo benè vixit pro nihilo reputatur in comparatione illius, per quod vixit relaxatè; imò ostenditur, quod mutatio morum pro illo tempore non fuit effectus pœnitentiæ prodeuntis à voluntate contrita de antiquis malefactis, sed potiùs naturalis alicuius timoris nouæ pœnæ subeundæ, quo euanescente, voluntas mala assueta redijt ad vitam pristinam, quam nunquàm radicitus, & ex corde detestatus est; & ex consequenti non potest dici ille de primo, & antiquo delicto verè correctus, sed permansisse in antiqua malitia vsque ad consummationem alterius delicti, etiam per triennium interiectum inter unum, & aliud. Quia verò duratio talis malitiæ per continuationem maiorum morum necessariò probanda est, vt rectè procedatur in expulsioue, idè debet super hac Prouincialis Testes examinare, prout sequitur.

XXX. Consequenter A.R.P. Prouincialis considerans, quod inter unum, & aliud, & tertium delictum commissum à prædicto Fr. N. multum temporis mediavit, in quo nescit an prædictus Fr. N. benè, & morigeratè vixerit, itaut si ex post deliquit, hoc fuerit ex humana fragilitate, & non ex nunquàm mutata peruersa voluntate, an verò è contrà, decreuit super hoc necessarias informationes sumere. Vocare ergo coram se fecit P. Fratrem N. Sacerdotem &c. ætatis annorum &c. Religionis verò &c. Testem ex officio assumptum, cui dato iuramento &c. prout iurauit tac. &c. fuit

Interrogatus. An sciat causam suæ Vocationis?

De anno tali &c. sub Prouincialatu A.R.P.N. in quo Conuentu ipse examinatus mansit de familia?

Per quodnam tempus, & in quo officio ibi mansit?

Quisnam erat Guardianus, & qui Fratres de Familia ibi habitabant?

An Fr. N. quem dixit ibi esse de Familia, eototo tempore Religiosè vixerit, frequentando Chorum, Orationem, & alia exercitia Religiosa; fugiendo Sæculares; pacificè conuersando cum Fratribus; neminem prouocando &c.?

De causa scientiæ?

An ob prædictam malam vitam fuerit correctus, & paternè pœnitentiatus à Guardiano, aut Prouinciali in Visitatione?

An audierit bonos, & graues Religiosos conqueri de vita relaxata talis Fratris?

Quosnam, quoties, quando, vbi, & qua occasione audierit?

Cuius famæ sit ille Fr.?

Quomodo hoc sciat?

An hoc sit publicum, & notorium in Prouincia?

An sit eius Amicus, vel Inimicus?

Et concludatur ex amen sic.

Quibus habitis, etsi, & in quantum receptis, lecto priùs suo examine, cui subscripsit dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. deposui, vt supra.

Ego Fr. N. Minister.

Ego N. Actuarius.

XXXI. Sub hac forma examinandi sunt omnes Testes, & aduertendum est, quod melius fiet, si Testes erunt Sacerdotes senes, & viri graues; & optimum esset, quod examinarentur illi, qui erant Guardiani, Vicarij, & Discreti Conuentuum, in quibus moratus est Reus temporibus illis, de quibus inquiritur. Quod si aliquis partialis, aut Factionarius Rei deponat eum benè tunc, & Religiosè vixisse, seruetur cautela, quam tradidimus supra num. XVI. in casu simili.

XXXII. Examinatis Testibus omnibus, benè fiet, si ad abundantem, & ex officio, Prouincialis deputet Reo Patronum, nè videatur condemnatus absque eo, quod fuerit defensus. Et processus ita continuabitur.

Cum completæ fuissent informationes sumptæ contra Fratrem N. qui supra, decreuit A. R. P. Prouincialis ex officio deputare Religiosum doctum, & grauem, qui tanquam Patronus Rei præfati produceret ad sui defensam omne id, quod iuri consonum putauerit ad illius fauorem alle-

allegandum. Quapropter vocare coram se fecit R. P. Theologum &c. cui iniunxit munus Patroni suscipere, & Defensiones formare pro memorato Fratrem N. Qui P. N. promptè obediens munus acceptauit, & ad mandatum eiusdem A. R. P. iuramentum exhibuit, tacto pectore, de exercendo officio Patroni omni diligentia, fidelitate, & integritate, iuxta proprias vires, & Causæ iustitiam. Tandem mihi iussit, vt copiam facerem prædicto Patrono iustrandi Processum toties, quoties sibi erit necessarium; & illi assignauit quindecim dies, intra quos teneretur Defensiones præsentare; quem terminum ipse acceptauit reseruato sibi iure petendi nouas dilationes, si necessarias habebit. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c.

Ego F. N. Minister Prouincialis.

Ego Fr. N. Patronus Deputatus.

Ego N. Actuarius.

XXXIII. Patronus autem, si opportu- num iudicauerit, poterit formare Articulos interrogatorios, siue defensorios, petere à Prouinciali fabricationem processus defensus, excipere contra personas, & dicta Testium, & omnia facere ad fauorem Rei, quæ diximus de Patrono Sect. 6, num. IV. & seqq. Fabricatis verò, ac presentatis Defensionibus, debet Prouincialis deputare Aduocatum Fisci, qui respondeat Defensionibus; & responsiones sunt communicandæ Patrono, vt contra eas replicet, prout docuimus citata Sect. 5, num. XXI. & seqq.

XXXIV. Completis Actis, contra, & pro Reo, debet formari Memoriale, simul cum Summario processus, & omnia subsignari à Patribus Diffinitorij, & munita sigillo minori Prouinciæ transmitti ad Sacram Congregationem formula autem Memorialis poterit esse, vt sequitur.

Eminentiss. & Reuerendiss. D.D.

Minister Prouincialis, Custos Vocalis, & Diffinitores Prouinciæ N. Ordinis Minorum &c. EE. VV. obsequentissimi filij repræsentant; in sua Prouincia reperiri Fratrem N. Laicum &c. qui plura, & replicata scandala, (de quibus, licet punitus, non tamen correctus est,) committendo

plurimum Prouinciam conturbauit, Religionem totam inquietauit, vt pote EE. VV. patere, ex lectura Summarij processus, quod hic adnexum datur. Cum autem vellent Superiores, ad normam Decreti huius Sacræ Congregationis, prædicti Rei incorrigibilitatem experiri, per annum ipsius carcerationem, ipse fugam arripuit, & à Religione apostatauit; & nescitur vbi locorum reperiatur. Quapropter, vt ab vltiori molestia, quam ab ipsius scandalis pati potest, Religio liberetur.

Supplicant omnes paternam benignitatem EE. VV. quatenus dignetur dispensare, super annua carceratione, indulgentes, vt seruatis omnibus alijs in memorato Decreto præscriptis, possit, contra eundem Reum ferri Sententia expulsiōnis, quantumuis ille non fuerit per talem carcerationem probatus incorrigibilis. Quod totum &c. & subsignetur Memoriale ab omnibus.

XXXV. Summarium processus contra Fratrem N. Laicum professum Ordinis Minorum &c. Prouinciæ &c.

Frater N. indutus habitu Religionis de Anno &c. Die &c. in Conuentu &c. ritè professionem emisit Anno Die &c. in Conuentu &c.

Anno Mense Die &c. commisit &c. & hinc describatur summarie delictum cum omnibus circumstantijs; & de tali delicto fuit processatus, & sententiat; siue notabiliter pœnitentiatus pœnitentia &c. & hinc exprimatur pœna sibi inflicta pro tali delicto. Proc. fol. &c.

Ex post, licet per paucos dies, specimen mutationis vitæ dederit, tamen vitam, vt prius relaxatam vixit. Process. fol. &c.

Anno Mense Die &c. aliud delictum commisit &c. & describatur sicut supra dictum est.

Ex post quamuis per vnum, vel per alterum Mensem, specimen emendationis dederit, ad vomitum redijt &c. Process. fol. &c.

Anno tandem, Mense Die &c. aliud delictum patrauit, puta &c. & describatur, vt prius; & fugam arripuit &c. Process. fol. &c.

Testes examinati viri graues, & Religiosi omni exceptione maiores sunt, puta Pater N. Exprouincialis, siue Exdiffinitor,

tor. Pater N. olim Guardianus . Pater N. olim Vicarius . Pater N. olim Discretus &c. & sic deinceps, & supradicti examinati deponunt de mala vita prædicti Fratris N. Process. fol. &c. & fol. &c. & fol. &c. respectiuè.

Fr. N. Diffinitor.
Pr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Custos.

Ita est Fr. N. Minister .

Ego Fr. N. Actuarius .

† Sigilli locus .

XXXVII. *Habito fauorabili rescripto, Prouincialis copiam Actorum, simul cum Memoriali decretato, sigillatam, vt supra dictum fuit, transmittat; moneat Patres deputatos ad expulsionem, & det illi obedientiam, vt vadant ad Generalem, si non abest ultra tres dietas, vt diximus supra num. XVIII. Si longius abest, conuocet Patres ad formandum votum suum, vt diximus supra num. XIX. Formetur votum, vt dictum est num. XXI. Et Generalis ferat Sententiam, iuxta formam datam numer. XXIII. excepto, quod debet in ea fieri mentio de dispensatione obtenta circa annuam carcerationem.*

XXXVIII. *Si autem Processus in ordine ad expulsionem inceptus est, & Reus carceratus ad probationem incorrigibilitatis, & ante annum completum fugiat è carcere; debet formari Memoriale ad Sacram Congregationem, vt supra num. XXXIV. Et in eo debet exprimi, quod Reus iam erat carceratus, & fugit, supplicetur proindè, vt dispensetur super residuo temporis, quod debeatur pro complemento annuæ carcerationis; Et tandem cætera terminentur, vt supra dictum fuit à num. XXI. ad XXV.*

XXXIX. *Quia ex Decreto sæpè citato Sacre Congregationis debet Superior Regularis insinuare Ordinario loci, siue Patrie Rei Expulsionem, ad hoc vt Ordinarius amodò illum, tanquam suum Subditum agnoscat, vt diximus Par. I. Titul. Pœnarum num. 157. & 158. Et hoc in scriptis, ne aliquid huic nostro Opusculo desit ad informationem inexpertorum, damus formulam*

prædictæ insinuationis, quæ poterit fieri, vt sequitur.

Illustrissime, & Reuerendissime
Domine.

XL. *Frater N. Minister Prouincialis Prouinciæ N. Ordinis Minorum &c. significat, Illustrissimæ, & Reuerendissimæ D.V., sicuti Fr. N. de N. &c. Sacerdos, siue Clericus Subdiaconus &c. siue Laicus Conuersus, professus in Religione sua, qui in sæculo antea vocabatur N. filius N. de N. de loco, seu Parochia N., seruato adamussim Sacre Congregationis Decreto à Religione prædicta fuit expulsus, vt patet ex Sententia pronunciata à Reuerendissimo P. Ministro Generali Totius Ordinis Minorum, cuius originale seruatur in Archiuio prædictæ Prouinciæ, situato in Conuentu N. & est tenoris sequentis. Et hic per extensum ponatur transumptum Sententiæ. In cuius Sententiæ executionem prædictus Fr. N. in sæculo vocatus N. de N., coram Fratribus Conuentus N., capitulariter per sonum campanulæ congregatis, fuit expoliatus habitu nostræ Religionis, & ita ab eadem expulsus, eiectus, & separatus, & indutus habitu sæculari sibi conueniente, & resignatus sub totali dominio, & iurisdictione Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Dominationis Vestræ ad præscriptum Sacrorum Canonum. Quapropter harum ferie prædictam expulsionem idem Minister Prouincialis, qui supra, vt tenetur Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Dominationi Vestræ significat, & insinuat, vt amodò prædictum Expulsum sibi immediatè, & foro suo subiectum, agnoscat, & recipiat, moneat, corrigat, & puniat. In quorum fidem has fieri curauit, quas propria subscriptione, & maiori sigillo prædictæ Prouinciæ muniuit, & Episcopali Cancellario consignari mandauit. Dat. hac die &c. in Conuentu &c.*

Ego Fr. N. Minister Prouincialis .

Locus † Sigilli .

Ego F. N. Secret. Prouinciæ,

Peritum, docet, post *Sanchez, Fermosinus*, vt testatur *Passerinus*; (*p*) qui, ex *Scialoia* subiungit, etiam *Commissarium* destinatum ad recipiendum examen, posse per solum iuramentum recusari; non quia non requiratur causa legitima recusationis, sed quia sufficit causa leuis, & idè per simplex iuramentum probanda. (*q*) Licet verò nonnulli (*r*) dicant, quod in Recusatione *Notarij* non sufficiat iuramentum, sed probari debeat causa Recusationis per examen Testium, & alia legitima documenta; tamen hoc intelligendum est in foro

Laico, in quo adsunt *Notarij ex officio*, qui, ex scriptura, mercedem recipiunt: vnde ex leui, aut non legitima probata causa, non debent damnificari tum in existimatione communi, tum in omissione lucri, quod ex scriptura perciperent. Apud Nos autem *Notarij ex officio* regulariter non sunt, nec ex labore scripturæ commodum capiunt, & idè cum, per recusationem, talem iacturam non incurrant, benè possunt simplici iuramento recusari, hoc est adducta causa Recusationis, & ea probata per iuramentum.

VI. Quæritur. Quid facere possit Reus, si Iudex pronunciet, esse friuolam causam Recusationis, quæ Reo videtur legitima?

SUMMARIVM.

120. *Iudice reiiciente causam Recusationis, vt friuolam, ab eo potest appellari.*

Iudices sint faciles in Arbitris admit- tendis.

120. **R**espondeo, quod huic quæstioni satisfacit *Abbas*, (*s*) dicendo, quod si *Iudex* non defert *Recusationi* de se factæ, & pronunciat causam illius esse friuolam, & ad vltiora procedit, *Reus* potest se tueri per *Appellationem*: appellando scilicet à decreto, siue sententia interlocutoria declarante causam addu-

ctam esse friuolam, & idè spernendam. Et sententia *Abbatis* fundatur in argumento cuiusdam *Canonis*, (*t*) & hic casus potest esse frequentissimus, dum proponitur à *Reo* *Recusatio*. Ex hoc ergo discant *Iudices* non esse difficiles in admittendo electionem *Arbitrorum*, pro cognoscenda validitate causarum *Recusationis*. Licet enim ipsi *Recusationem* nolint admittere, & ad normam iuris *Arbitros* eligere, tenentur tamen deferre *Appellationi* interpositæ super decreto nullitatis causæ productæ, aliter acta indè sequuta possent nihilominus reddi nulla à *Iudice*, ad quem *Appellatio* huiusmodi deuoluta fuerit.

VII. Quæritur. Quidnam facere debeant Arbitri, recepto munere iudicandi super causis Recusationis.

SUMMARIVM.

121. *Arbitri, quæ præstare debeant, accepto arbitrio.*

Debent examinare, sic ausa Recusationis subsistit in iure.

Item assignare Recusanti terminum ad probandum in factis.

Item Testes formiter examinare, & eorum testimonia per Notarium scribere.

Testes renuentes possunt compellere.

Vt veri Iudices habent iurisdictionem, & coercionem.

Non possunt Notarium creare.

Debent procurare, vt à Prouinciali creetur

Antè sententiam debent citare Recusantem.

Debent sententiam ferre scripto.

Et si est causa Recusationis dubia, debent pronunciare pro Recusante.

121. **R**espondeo, quod cum *Arbitri* sint veri *Iudices*, debent, seruata tela iudiciali, cognoscere de causa *Recusationis*. Primo ergo debent considerare, si causa sit legitima, vel friuola ex iure; si friuola sit, debent sententiare statim eam talem esse, & *Recusantem* ad *Iudicem* recusatum remittere. Si autem legitimam ex iure eam agnouerint, eo quia est vna ex expressis in iure, vel habet similitudinem ad eas, debent statuere

tuere Recusanti terminum, intrà quem habeat probare, ex facto, causam allatam esse subsistentem, vt dicitur in vna *Decretali*: (u) & si *Reus* petat termini prorogationem, debent eam sibi concedere competentem ad hoc, vt possit suas probationes deducere, præsentando attestations, instrumenta, Testes, & alia subministrando, quæ de iure faciunt ad probationem. Habent ergo *Arbitri* examinare Testes à Recusante productos formiter, & accito *Notario*, vt veri *Iudices*, processum formare, & possunt etiam procedere contrà illos, qui nollent se subijcere examini, per Censuras, & alia iuris remedia: cum enim sint *Iudices*, illis *sicut iurisdictio, sic & cætera, sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse commissa*, vt ait *Textus*: (x) vnde vt ibi habet *Glossa*, *Habent iurisdictionem, & coercionem, & possunt compellere Testes, & impedientes punire*, & idè cognoscunt de omnibus ad causam suspicionis spectantibus, incidentibus, & necessarijs, vt dicunt *Canonista*. (2)

Quod si quæras, an habeant facultatem creandi *Notarium* pro suo processu, censerem, quod non, cum huiusmodi facultas, vt aliàs dictum est, sit concessa *Prelatis Prouincialibus* per priuilegium, quod cum sit odiosum, quia exorbitat à iure, recipit strictam interpretationem, nec potest extendi ad non expressa. Si ergo nolint vti *Notario* causæ iam coeptæ à *Iudice* recusato, (quod & consulo) feligant virum idoneum, quem præsentent *Pro-*

uinciali, qui, seruata forma aliàs tradita, ipsum creet *Notarium*, vt *Arbitris* seruiat. Et omnia acta ista scribantur à *Notario* causæ, & inferantur in *Processu*. Et si *Prouincialis* ibi non est, quia fortè Recusatus est *Delegatus*, scribant *Arbitri* ad *Prouincialem*, vt sibi, vel alijs det facultatem creandi *Notarium* pro processu *Arbitrorum*.

Insuper debent antè sententiam citare Recusantem, ad dicendum, si aliquid habet subministrandum pro probatione causæ propositæ, ne locus sit querelæ, quod eius iura non fuerint audita, & denuò petat admitti ad nouas probationes.

Tandem debent sententiam ferre, & illam *Iudici* recusato significare ad hoc, vt causam incoeptam prosequatur, si causa fuerit iudicata friuola, vel ad *Superiorem* remittat, si causa Recusationis fuerit iudicata legitima. Si autem causa Recusationis dubia est, vel ex iure, vel ex facto, quia sufficientes probationes non habet nec pro, nec contrà, & est tantum semiplenè probata; *Arbitri* debent sententiare pro *Reo*; hoc enim manifestè habetur in *Textu*, (a) vbi ordinatur, quod *dubia Appellationis existente sententia in Rei fauorem Iudex inclinare tenetur*. Et cum *Arbitri* verè *Iudices* sint, & iuridicè procedant, & Recusatio, ac Appellatio æquiparentur, sicut fit in cognoscendo de validitate Appellationis, ità fieri debet de Recusatione.

VIII. Quæritur. An *Arbitri* debeant admittere *Iudicem* recusatum, ad opponendum contrà causam Recusationis propositam, & eius probationes?

SUMMARIVM.

122. *Iudex recusatus non admittendus ab Arbitris ad dicendum contrà recusationem, si causa est incoepa per accusationem.*

Pariter quando causa Recusationis non est Iudici turpis.

Sed si causa est turpis, aut Iudex procedit ex Officio, debet admitti.

123. *Præsumptio oritur contrà Iudicem, cuius sententia fuit retractata.*

Præiudicium Iudicis maius est in Recusatione, quam in Appellatione.

122. **R**espondeo, quod distinguenda est quæstio hæc, cum sit valde perplexa, nec adsint aperta iura, quæ de illa loquantur. Dico ergo, quod vel causa procedit per *Accusationem*, vel in ea *Iudex* agit *ex officio*. Pariter vel causa Recusationis producta à *Reo* est *Iudici* turpis, vel non. Si iudicium est incoeptum per *accusationem*, & *Reus* recusans *Iudicem*, producit causam Recusationis non turpem ipsi *Iudici* recusato, puta dicendo, quod recusat *Iudicem* ex hoc, quod est *Consanguineus*, vel *Factionarius Accusatoris*, censerem *Iudicem* recusatum nec requirendum, nec admittendum esse ab *Arbitris*, ad impugnandas causas Recusationis

de prædictis informati, iuxta supradicta, Nobis non reuelauerunt excommunicamus; bonis omnibus Christianis communibus priuamus, atque ab omnium Christianorum societate, & Sanctæ Matris Ecclesiæ liminibus in Cælo, & in Terra excludimus, & separamus, & taliter excommunicatos, & anathematizatos esse decernimus, volumus, & declaramus; cumque Diabolo, & Angelis eius Apostatis, atque omnibus reprobis damnatos pariter iudicamus. Propterea, (*hic vox eleuetur, & maiori emphasi, & pausa inter unam, & aliam maledictionem.*) Maledicti sint domi, & extra, Maledicti in Ciuitate, & in agro, Maledicti vigilando, & dormiendo, Maledicti manducando, & bibendo, Maledicti ambulando, & sedendo, Maledicta sit caro, & ossa eorum, & à planta pedis, vsque ad verticem, non habeant sanitatem, Veniat super illos maledictio hominis, quam per Moysen in Legge Filijs iniquitatis Dominus Deus promisit. Deleantur nomina eorum de Libro viuentium, & cum iustis non scribantur, sed cum damnatis in æternum computentur. Sit hæreditas eorum in Inferno cum Cain Fratricida; cum Datan, & Abiron, & Core quos viuentes deglutiuit ignis Inferni; cum Anania, & Saphira; cum Simone Mago, cum Iuda proditore, & cum omnibus damnatis, qui bibent in æternum vasa iræ, & furoris Iustitiæ Dei viuentis, Pereant in die Iudicij, & nisi Furtum restituant, & Furem, & Complices reuelent, contra eos Dominus noster Iesus Christus formidabilem illam Sententiam fulminet, Ite maledicti in ignem æternum.

XLVII. Tum Prouincialis, & omnes Sacerdotes alta voce clament, Fiat, Fiat, Fiat; & eodem tempore proijciantur candelæ in terram, & Sacerdotes adstantes eas pedibus conculcent. Vidi in aliquibus locis, post prolata Sententiam anathematis, proiectis in terram candelis, & pessumdatis illis, ab Excommunicante proiectos tres lapides in terram contra easdem candelas, in signum maledictionis à tribus personis Diuinis confirmate. Hæc praxis magnum Populo incutiebat terrorem, & posset etiam practicari, cum nihil contrarium huic inueniatur. Pariter dum Prouincialis, & Sacerdotes clamant Fiat, Fiat, &c. debent campanulæ Ecclesiæ, Chori, & Refectorij pulsari, non tamen in signum lati-

tiæ, & vt fit in Sabbato Sancto ad Gloria in excelsis, sed ad ostendendum merorem, & frequentibus ictibus, vt fit quando pulsatur ad conuocandum Capitulum. Sententia prædicta anathematis debet affigi in Refectorio, & publicari, & affigi in omnibus Conuentibus, vt de Monitorio factum fuit, & absque dubio, si furtum fuerit commissum à Fratribus detegatur, vt multoties accidisse, audiui.

XLVIII. Forma tenenda à Superiore locali in describendo Corpore Delicti,

Quando obligentur Superiores locales ad describendum Corpus Delicti, dictum fuit Par. p. Tit. Delictorum num. 14. pag. 194. Videantur ibi dicta. Circa descriptionem autem, aduertendum est, quod Prelatus localis debet solum describere illa, quæ sensui patent, nec tenetur, nec debet adhibere iudicium Peritorum circa Corpus Delicti; quia ad eum non spectat facere constare de alia qualitate, & circumstantia, in quâ formalitas Delicti consistit, eò quia ipse Iudex non est; sed in hoc casu simplex Testis, qui testificari tenetur, & potest de ijs solis, quæ cadunt sub sensu; & si scripto mandat ea quæ vidit, hoc est solum ad obsequendum legi nostræ municipali, quæ hoc statuit in subsidium iustitiæ, ne, ex lapsu temporis, deficiant circumstantiæ, quæ possunt Iudici persuadere Delictum fuisse sic, vel sic commissum, & non raro ex his etiam de Delinquente cognitionem habere. Dato ergo casu, quod aliquis fuerit percussus, aut vulneratus (siuè Frater, siuè Sæcularis fuerit) ab alio Fratre; siuè inueniatur Cadauer occisi, aut mortui sine vulneribus intra claustra, &c. Prouincialis verò tam longè absit, vt verisimiliter non poterit venire antequam circumstantiæ Corporis Delicti fuerint notabiliter mutata, debet Superior localis Corpus Delicti describere, vt sequitur.

XLIX. Cum audiisset Fr. N. Guardianus Conuentus N., inuentum fuisse in sua Cella, siuè in Claustro, Horto, Sylua &c. Conuentus, cadauer olim Fratris N. vel Frat. N. fuisse vulneratum, aut percussum & in lecto decumbere &c. & P. A. R. Prouincialis longè distet; & licet commune factus per nuncium expressum difficulter possit venire antequam Corpus tradatur sepulturæ; siuè antequam vulnera, aut fl-

gna percussione notabiliter alterentur, decreuit ad præscriptum nostræ Practicæ criminalis venire ad descriptionem Corporis Delicti consignandam memorato Patri Prouinciali. Assumptis ergo in Testes Patribus F.F. N. & N. Sacerdotibus suæ familiæ, accessit vbi erat Cadauer prædictum, quod erat in sua camera; siue in Claustro, Horto &c. & ipse Guardianus cum prædictis Testibus, & alijs Fratribus vidit, quod prædictum Cadauer indutum tali habitu &c. cum chorda, caputio, fœmoralibus &c. & iacebat in tali, & tali positura &c. habebat oculos semiclausos, os apertum &c. pedem, crus, brachium nudatum &c. spumam ad os, &c. faciem liquidam &c. sanguinolentam &c. & postquam fuit ad mandatum prædicti P. Guardiani spoliatum, inuentum est in tali parte Corporis &c. signum nigrum, vel rubrum &c. figuræ rotundæ, vel oblongæ, &c. tantæ latitudinis &c. & videbatur fuisse facta à percussione, siue casu &c. siue inuentum est vulnus, aut vulnera in tali, seu tali parte Corporis &c. & videbantur facta punctim, aut cæsim; & tale erat talis latitudinis, longitudinis &c. & circa Cadauer in terra erat copia sanguinis &c. aut materiæ alterius, quæ fluxerat ab ore &c. & inuentus est culter, stilius, pugio &c. & videbatur fuisse ibi relictus à percussore &c. & culter erat acutus, attilatus, aspersus sanguine, & habebat capulum (vulgò manicum) osseum album &c. & erat tantæ longitudinis &c. quem Pater Guardianus iussit reponi in capsula, seu armario sito in eadem camera, vbi iacebat Cadauer, ad effectum præsentandi illum cum cæteris rebus Patri Prouinciali &c.

L. *Et ita debent exactissime omnia accidentia adnotari, tum circa Cadauer, tum circa Cellam; vt si inuentus esset occisus Frater gladio, & ostium Camera erat intrinsecus clausum, sed reperta est fenestra aperta, cum aliquo vestigio, ex quo possit conijci, quod percussor ingressus est per fenestram &c. nec possumus circa hoc omnium accidentium descriptionem dare, quia possunt in infinitum variari, sed relinquatur prudentiæ, & sagacitati Superiorum, iuxta schema supra scriptum omnia accidentia, & circumstantias, quæ possunt indicare delictum, & Delinquentem, adnotare; & concludatur.*

LI. Quæ omnia supra scripta, prout recensita sunt, fuerunt à Nobis visa proprijs oculis, & bene obseruata. Et ad
Pars II.

mandatum Patris Guardiani fuit, facta visitatione, Cadauer extractum à prædicta Cella, quæ est sita in Dormitorio &c. versus Orientem &c. & est quarta &c. cui titulus est Sanctus &c. ad effectum tradendi illud sepulturæ &c. & ex post, clausa fenestra, & ostio cameræ prædictæ, fuit sigillata, nil tacto eorum, quæ ibi erant, ad effectum ipsam resignandi Visitationi P. Prouincialis. In quorum &c. Dat. Die &c. In Conuentu &c.

Ego Pr. N. Guardianus.
Ego Fr. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.

LII. *Pariter si aliquis fuit percussus lapide, ligno, pugnis in facie &c. & in facie, manu, brachio &c. essent liuores, scarificationes factæ unguibus, contusiones &c. debent omnia describi, quia talia possunt euanescere, antè quàm veniat Prouincialis. Si verò essent vulnera, quæ curarentur à Chirurgo, qui potest postea examinari à Prouinciali ipso, & ita constare facere de corpore delicti, non est necessarium, quod Guardianus illa describat. Siquidem descriptio à Guardianiano facienda necessario tunc solum est, quando signa maleficii in totum, aut partem deficere possunt antè aduentum Iudicis, qui egrè tunc de corpore, & qualitatibus delicti posset facere constare.*

ADNOTATIO I.

LIII. *Aduertendum, quod; vt diximus Par.p. Tit. Corpus. num. 24. pag. 416. Si esset aliquis Frater mortaliter vulneratus, & iudicio Chirurgi periculum est, quod moreretur ante aduentum Prouincialis, siue Commissarii, Superior localis deberet illum visitare, & describere statum Vulnerati, & omnia eius vulnera adnotare, & ex post examinare vulneratum ipsum iuxta formam datam Sect. III. num. VIII. Et debet Superior simpliciter excipere eius examen; nullo modo autem potest (alijs medijs, vltra præceptum Obedientiæ) cogere ipsum ad reuelandum Percussorem, si non vult reuelare. Et si vulneratus non potest subscribere depositioni à se factæ, loco ipsius subscribant duo Testes, qui fuerint presentes lecturæ depositionis factæ in faciem ipsius vulnerati.*

ADNOTATIO II.

LIV. Aduertendum, quod licet exemplum dederimus de Guardiano; tamen intelligendum hoc est de omni Superiore locali, siue Prelatus sit, ut potè Præses, seu Vicarius in capite; siue non Prelatus, ut est Vicarius Conuentus, siue alius, qui dirigit Conuentum, ut Delegatus à Guardiano in eius absentia à Conuentu per paucos dies; isti enim debent, ut supra dictum est facere descriptionem Corporis Delicti, si Guardianus illo, aut sequenti, ad plus, die non speratur reuersurus; militat enim semper eadem ratio prædictæ descriptionis faciendæ, puta ne pereant totaliter, aut partialiter indicia maleficij.

ADNOTATIO III.

LV. Aduertendum tertio, quod Guardianus non potest, nec debet in casu inuenti Cadaveris, ut diximus supra, visitare cellam, neque res, quæ in ea sunt, ut ex illis eliciat indicia delicti; quia hoc reseruatur Iudici, & tales res, quæ possunt subministrare indicium, non pereunt ex lapsu temporis. Proinde debet armaria, capsulas, & omnia, coram Testibus sigillare, fenestram claudere, & ostium pariter clausum sigillare, & clauem alteri ex Discretis consignare, ut sic possit de sua integritate docere coram Prouinciali, cuius est, Cellam, & res visitare, ab illis indicia venari, & spoliū defuncti, ad normam Statutorum dispensare.

LVI. Forma carcerandi Reum notorium, seu vehementer suspectum de crimine enormi, quam debent seruare Guardiani.

Videnda sunt, quæ diximus Par. p. Tit. Delictorum num. 10. pag. 192. & seqq. Et benè obseruanda, quia faciunt ad hoc punctum. Dato ergo casu, quod aliquis Frater fuerit occisus, aut lethaliter vulneratus, & sciatur homicida, aut percussor, qui visus est; vel vehementia adsint indicia, siue præsumptiones de eo, qui ratione grauitatis criminis sit de fuga suspectus; vel si Frater paratus est apostatare, vel aliud graue, & scandalosum crimen committere, nisi impediatur & non est alia via impediendi, nisi carceretur; tenetur Guardianus Reum prædictis in casibus asscurare in carcere, ut disponit Textus cit. Tit. Delictorum. §. V. & Nos

ibi explicuimus. Debet ergo Guardianus primo consilium petere à Discretis, & factum breuiter describere, ut sequitur.

LVII. Cum repertum fuisset cadauer quondam Fratris N. pluribus vulneribus confossum &c. ut apparet ex facta Visitatione &c. siue Cum repertus fuerit vulneratus Frater N. &c. prout ex Visitatione de eo facta apparet &c. & de tali maleficio Fr. N. sit vehementissimè suspectus, siue notoriè Reus &c. siue Cum P. N. Guardianus accepisset &c. Fratrem N. rixatum fuisse contra Fratrem N. & illum arma parasse ad alium occidendum, mutilandum, seu percutiendum; & omni alia media tentasset, sed inutiliter, ad impediendum tantum malum; dum ille in suo pueruo animo obfirmatus, velit omnimodè suum malum propositum exequi, aut à Religione apostatare; decreuit ad normam Constitutionum Ordinis requirere consilium Discretorum Conuentus ad effectum assecurandi in carcere prædictum Reum, cum non possit in tempore haberi præsentia Patris Prouincialis. Proinde vocatis in suam cameram Patribus N. Vicario, N. & N. Discretis prædicti Conuentus, illis proposuit, an deberet prædictus, F. N. qui ut præfertur occidit, vulnerauit &c. vel de quo adest communis, & vehemens suspicio, quod occiderit, vulnerauerit &c. vel qui vult percutere, vel apostatare &c. in carcere ad custodiam detrudi. Qui P. P. prædicti considerato maturè casu dederunt consilium, quod carceraretur. Et præfato consilio adhærendo, prædictus P. Guardianus decreuit curare, ut carceri Conuentus, ut præfertur, ad custodiam, demandaretur. In quorum &c. Dat. Die in Conuentu &c.

Ego N. Discretus ita consului.

Ego N. Discretus affirmo, ut sup
Ego N. Vicarius Conuentus N.
affirmo.

Ego Fr. N. Guardianus.

ADNOTATIO I.

LVIII. Aduertendum, quod, ut probauimus Par. pr. Tit. Delictorum, num. 13. p. 194. Non solum Guardiani, & alij Prelati locales possunt, & debent, in casibus, ut præfertur, incarcerare, sed etiam alij, qui Prelati non, sunt dirigunt tamen Conuentum in fortuita absentia Prelati localis, idem præsta-

re & possunt, & tenentur, ob rationes, quas ibi dedimus. Debent ergo etiam ipsi petere à Discretis consilium, & adnotare causam, quare ad talem incarcerationem deuenierint, puta quia periculum erat in mora. Et licet scriptura pro tali incarceratione, de rigore, necessaria non sit, optimum tamen, est quod taliter Carcerans describat factum, ut docere possit de consilio petito, & sibi dato, & quod legaliter processit. Quod si Discreti discordent inter se; aut manifestè, ut Reo faueant, nolint consulere incarcerationem poterit nihilominus Superior carcerare, ut diximus cit. Tit. Delictorum, num. II, pag. 193, circ. med. Vide ibi rationes.

ADNOTATIO II.

LIX. Aduertendum secundo, quod non potest Prælatus localis sic, ad sui libitum carcerare etiam ad custodiam, nisi iudicia sint uehementia de Delicto, & timor fugæ Rei sit legitimus, & fundatus. Insuper tenetur statim per Nuncium expressum commonere Prouincialem de Delicto commisso, seu inuincibiliter committendo, & incarceratione Rei indiciati, siue Notorij, ita enim præscribitur in Textu cit. Tit. Delictorum S. V.

LX. Forma carcerandi, & absoluendi Apostatam seruanda à Superiore locali.

Quia ex præscripto Constitutionum tum Ordinis, tum Reformationis tenentur Prælati locales quiuus, & in eorum absentia Superiores, qui dirigunt Conuentum, Apostatas, ad Conuentum eorum diuertentes, carcerare per triduum, & post solemniter absoluere, & absolutos ad propriam Prouinciam dimittere, damus Formam horum omnium præstandorum.

LXI. Si ergo uenit Ianitor ad Superiorem, & ipsum moueat; ad ianuam esse Fratrem absque obedientia, qui petit hospitari, siue prandere, & iter proseguere; Superior ipsum admitti iubeat, de Religioso more sibi abluere pedes per Fratres curet, & cibo recreet. Postquam comederit, Superior associatus à quatuor, vel sex Fratribus validioribus ingrediatur Refectorium, cuius uas claudere post se faciat. Mox interroget Fratrem, & iubeat, ut litteras suas Obedientiales ostendat; si Frater dicat nullas habere, iam se declarat Apostatam; & ideo tunc Superior iubeat Fratribus, ut ipsum

in carcerem conijciant, sibi ablata chorda, & caputio. Post triduum completum solemniter absoluat, ut infra dicemus.

LXII. Si uero Frater dicat se litteras Obedientiales in itinere amisisse ex naufragio; aut quia sportula, siue sacculus, in quo detinebantur fuit sibi surreptus; & Frater habet Socium, & ex aspectu apparet Religiosus grauis, & composita uitæ, & securæ fronte, & uerissimi narratiua, dicit quomodo fuerit obedientialium litterarum amissio; potest Superior illi rationabiliter credere, & in suo Conuentu retinere, donec Aduena possit scribere ad Superiores, & legitimus nouas litteras recipere.

LXIII. Si uero Frater est solus, inuicissimilem narratiuam de ammissione litterarum obedientialium recitet; & ex aspectu conijciatur uagabundus; & interrogatus apud quem Conuentum ultimo hospitatus sit, respondet, se postremo fuisse in Conuentu ualde distanti, ex post semper fuisse hospitatum apud Seculares, & uitasse Conuentus uiciniore, ad quos debebat diuertere, apparent iudicia ipsum esse Apostatam, proinde potest Superior illum carcerare formaliter, ut supra dictum est.

LXIV. Si autem dicat, se fuisse in ultimo Conuentu proximiori, & ibi ostendisse Superiori litteras legitimas, quas amisit in itinere, & aspectus suadeat, quod uera dicat, potest Superior ipsum detinere, & mittere litteras ad Superiorem illius Conuentus, ad hoc quod mittat litteras authenticatas sigillo Conuentus, in quibus testetur, quod Frater ille N. accessit ad suum Conuentum cum legitimis literis Obedientialibus. Et talibus Obedientialibus ipse Frater potest uiri ad proseguendum suum iter. Quod si iste fingat se non posse expectare, quia habet Seculares comites itineris; uel dicens se uole expectare reditum nuncij missi, tamen meditatur discedere, signum est illum esse mentitum, & nullas habuisse Obedientiales, cum uelit, absque necessarijs testimonialibus iter proseguere. Potest proinde, & debet formaliter carcerari.

LXV. Si uero Ianitor defert ad Guardianum litteras sibi datas ab Aduena, que sint falsificata, debet Guardianus litteras quidem restituere, & in Conuentum recipere; & postquam fuerit cibo reficiatus, Guardianus associatus à Fratribus, debet Aduenam interrogare de literis Obedientialibus, & postquam illas produxerit, debet Guardianus dicere, illas esse falsificatas, & ut supra dictum

Eum est, illum carceri demandare. Hoc autem fit, ut Apostata coram Testibus literas producat, ne possit negare, tales literas falsas suas esse, ut facere posset, si absque Testibus Ianitori, siue Guardiano consignasset. Euenit enim aliquando, quod quidam, falsificationis obedientialibus discessit à Prouincia. Mox reuersus, & quasius à Prouinciali, nemine presente, ut sibi literas obedientiales ostenderet, illas protulit, quas Prouincialis apud se retinuit. Ex post vocatus coram toto Diffinitorio, & eisdem literis sibi exhibitis interrogatus; An illae essent suae Obedientiales, quas Prouinciali consignauit? Ille perfricta fronte, negauit, eas esse, quia erant euidenter falsificatae; se autem Prouinciali legitimas literas consignasse; nec potuit Prouincialis contra eum procedere, cum deficerent legitima probationes de consignatione literarum.

LXVI. Si autem Apostata non venit ad Conuentum, & manet apud Sæculares, aut in caupona, siue taberna, ut plerunque fit à talibus nebulonibus; Guardianus, quasi aliud agens ipsum conueniat, non eum carpat, aut reprehendat, vel aliquid exprobet, sed hilari vultu ipsum inuitet, dissimulans eum reputare Apostatam; & hoc modo ad Conuentum perducatur. Mox, postquam fuerit intrà claustra, Officium suum strenuè exequatur, & incarceret. Si tali modo placido, & minimè tumultuoso nequit reducere, curet asscurari à Sæcularibus, inuocando auxilium brachij sui, de quo infra dicemus numero 86. sed hoc fiat, minori strepitu, quam fieri possit; & noctu, ad vitandum scandalum, ad Conuentum perducatur. Et in hoc multus debet esse Guardianus, ut cautè, & secretiori modo possibili, captura fiat, luctuosa enim accidentia accidisse ex imprudenti, & furioso aliquorum zelo, non semel audiui; ex quibus maius detrimentum Religio passa est, ex scandalosa talium captura eo, quod ex ipsorum Apostasia sibi poterat euenire.

LXVII. Forma absolutionis ab Apostasia.

Completis tribus diebus carcerationis, educi, absque chorda, & caputio, debet Apostata, & tempore publicæ refectiois debet, nudatis humeris, se flagellare per integrum, Psalmum Miserere, cum Gloria Patri &c. ex post ipso Apostata genuflexo in medio Re-

fectorij, Superior, & omnes Fratres surgunt, & ille incipit.

Kyrie eleison, Christe eleison,
Kyrie eleison.

Pater noster &c.

✠. Et ne nos inducas intentionem.

R. Sed libera nos à malo.

✠. Saluum fac seruum tuum.

R. Deus meus sperantem in te.

✠. Nihil proficiat inimicus in eo.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

✠. Esto ei Domine turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

✠. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est, misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem sententia excommunicationis constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Mox sedet Superior, & cooperto capite dicit.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & Ego auctoritate ipsius, & facultate Statutorum Ordinis mihi commissa, absoluo Te à vinculo Excommunicationis, in quam incurristi propter Apostasiam à te commissam, & restituo Te communioni, & vnitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesie. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; † R. Amen.

Tunc induitur caputio, & chorda, & dimittitur.

ADNOTATIO

LXVIII. Aduertendum, quod si Apostata aliud crimen diuersum ab Apostasia commiserit, ut potè furtum, Fornicationem, aut falsificationem literarum obedientialium &c. post-

Et postquam absolutus est ab Apostasia, non debet dimitti; sed iterum carcerari ad custodiam, sibi relicta chorda, & caputio; & interim commonesieri Prouincialis, ut veniat, aut mittat ad faciendam debitam Inquisitionem. Insuper quando carceratur in ordine ad ipsum absoluendum, debet Guardianus sportam, & sacculos ipsius, nec non, & habitum, & caputium coram Discretis Conuentus visitare, & omnia exactè describere, ut sequitur.

Res repertæ apud Fratrem N. Prouinciæ N. Apostatam.

In sporta, quæ erat clausa &c. inuenta sunt.

Primò hoc, & hoc.

Secundò hoc vel illud &c. & sic deinceps.

In sacculo lineo, aut laneo talis formæ &c.

Primò. Hoc, & hoc.

Secundò hoc, vel illud &c. & omnia debent adnotari, præsertim si essent instrumenta maleficij, ut sigilla falsa; Scripturæ continentis delictum, Medicamenta venenosa; Pecunia &c. & pari modo describi omnia inuenta in manicis, vel consuta in habitu, aut caputio. Mox debet descriptio talium rerum subscribi à Guardiano, & Discretis, & res inuenta benè custodiri ad effectum illas consignandi Prouinciali, vel Delegato suo.

LXIX. Forma literarum, quæ debent à Superiore locali concedi Apostatæ à se absoluto.

Deberet quidem Superior in literis obedientialibus mentionem facere de absolute, ab Apostasia, data illas deferenti; sed quia hoc nimis esset probrosum, maxime si tales literæ viderentur ab alijs extra Religionem, magis congruit charitati fraternæ eas dare sub sequenti Forma.

Cum ad hunc nostrum Conuentum N. Prouinciæ N. hospes accesseris, & ad negotiorum tuorum exigentiam, congruenti tempore apud Nos manseris, & circa Te ea perfecimus, quæ iuxta Ordinis Constitutiones facienda erant; Harum serie, quæ loco legitimarum literarum obedientialium erunt tibi Fr. N. Prouinciæ N. facultatem facimus, & iniungimus, ut cum Socio tuo Fr. N. (si illum ha-

buerit) suè Socio occurrente Te conferas recta via ad præfatam tuam Prouinciã; & omnibus, apud quos Te hospitari contingerit, plurimum in Domino commendamus. Vale. Dat. &c.

Fr. N. Guardianus Conuentus N. Prouinciæ N.
locus † sigilli.

LXX. Forma carcerandi Subditum inobedientem contumacem tenenda à Guardiano, seu alio Prælato locali.

Videnda sunt omnino, quæ scripsimus Par. p. Tit. Delictorum. à nu. 26. pag. 202. & seqq. Dato, quod Subditus, iussus à Superiore sub formali præcepto Obedientiæ aliquam pœnitentiã subeat, aut faciat aliquid, quod non est contra Animam suam, & Regulam nostram, renuat obedire, debet Superior petere consilium, & assensum Discretorum, antequam carceret. Ut vero possit docere de suo legitimo modo procedendi, debet factum describere, ut sequitur.

LXXI. In nomine Domini. Amen. Cum P. Fr. N. Guardianus Conuentus N. in prandio diei, Mensis Anni &c. in publica Fratrum Refectiõne, vocasset ad culpam Fratrem N., & illi obiecisset, quod prædictus Fr. N. commiserat quosdam defectus, puta &c. & hic describantur defectus, ob quos voluit pœnitentiare &c. iussit illi, ut se pro talibus defectibus disciplinaret, & comederet genuflexus solum panem, & aquam. Sed nolente illo obedire, imò contra dispositionem Statutorum, & reuerentiam Superiori debitam procaciter & temerariè, & alta voce respondente, quod &c. & hic ponantur verba, quæ dixerit Subditus. Pater Guardianus imposito sibi silentio denuò illi iussit sub formali præcepto Obedientiæ, ut iniunctam pœnitentiã perageret. Qui Frater N. denuò denegauit obedire, imò dixit &c. & fecit &c. & hic describantur omnia dicta, & facta ad ipso Reo. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego Fr. N. fui Testis.

LXXII. Pramissa Superiori descriptione facti, conuocet Guardianus Discretos, & consilium petat, & totum describatur ut sequitur.

Consequententer idem P. Guardianus, qui supra, vocare fecit in cameram suam P. Fr. N. Vicarium, & PP. Fr. Fr. N. & N. Discretos Conuentus, & habito inter se colloquio de inobedientia patrata à prædicto Fr. N. ab ipsis petijt consilium, & assensum ad eum carcerandum. Qui præfati Discreti, maturè consideratis omnibus, consuluerunt, quod &c. *& hic describatur illud, quod à Discretis fuerit resolutum, & concludatur.* Acta sunt hæc Die &c. Anno &c.

Ego Fr. N. Discretus consului, vt supra.

Ego Fr. N. Discretus affirmo, vt supra.

Ego Fr. N. Vicarius Conuentus confirmo &c.

Ità est Ego Fr. N. Guardianus.

LXXIII. *Si Guardianus sciat aliquos, vel aliquem ex Discretis non esse laturos consilium rectum, quia illi sunt notoriè partiales, & Defensores Rei inobedientis, potest illum, aut illos omittere, & loco ipsorum alios substituere, vt probauimus citat. Tit. Delictorum. num. 27. pag. 202. & factum describere, vt sequitur.*

Consequententer idem P. Guardianus, qui supra voluit, ad formam Constitutionum, consilium in hoc casu petere à Discretis Ordinarijs Conuentus, sed quia aduertit, quod P. Fr. N. & P. Fr. N. Discreti sunt notoriè partiales, & fautores prædicti Fratris N. inobedientis; & ideò non potest rationabiliter sperare illos, præoccupatos beneuolentia erga prædictum Reum, esse daturos consilium legitimum, sanum, & rectum; ideò loco ipsorum duxit substituere PP. FF. N. & N., qui post prædictos sunt seniores in Conuentu. Proindè illos fecit vocare in cameram suam, & habito inter se colloquio &c. *vt sup. numero LXXI.*

LXXIV. *Si Discreti consulant, quod Guardianus debeat prædictum Reum secundo, & tertio Canonice monere, antequàm ad carcerationem deueniatur, debet Guardianus eorum consilio adherere, & factum describere, vt sequitur.*

Consequententer idem P. N. Guardianus, qui supra inhærendo sibi dato consilio à prædictis Discretis, prout supra; in cœna eiusdem diei, in plena Fratrum Communitate vocauit prædictum Fra-

trem N., & ipsi secundò fecit formale præceptum, vt pœnitentiam sibi, vt supra, demandatam compleret. Qui Frater N. respondit &c. siue fecit &c. *Et hic describatur dicta, & facta Rei; si iuit, & genuflectens in medio Refectorij dixit &c. sinoluit discedere à loco suo, in quo accumbebat ad mensam; si surrexit, & stans Superiori respondit; si demisso ante faciem caputio nihil respondit &c. & concludatur.* Acta sunt hæc die, & loco, quo supra. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

LXXV. *Potest dari casus, quod Reus non conueniat in Refectorio cum cœteris, & non possit Superior illi personaliter renouare præceptum. Tali casu debet mittere duos Fratres ad intimandum illi mandatum, qui coram tota Communitate debent iurati relationem facere; & potest factum describi, vt sequitur.*

Consequententer idem P. Guardianus, qui supra, inhærendo consilio sibi dato à prædictis Discretis, vt supra; voluit renouare prædicto Fratri N. in cœna eiusdem diei formale præceptum iam factum. Sed cum prædictus Reus non venisset cum cœteris ad refectionem, P. Guardianus misit PP. FF. N. & N. Sacerdotes, quibus imposuit, vt perquirerent prædictum Fratrem N. diligenter; & illi inuento, nomine suo, iuberent, vt in Refectorium veniret, & intimarent secundum, & formale præceptum obediendi. Qui præfati PP. FF. N. & N. abeuntes, postquam reuersi sunt, retulerunt &c. *Hic debet describi tota relatio, quam ipsi facient &c. & concludi.* Acta sunt hæc &c. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

LXXVI. *Quia diuersimodè potest variari relatio prædictorum, iuxta casuum varietatem, ideò ad pleniorè instructionem ipsam describimus.*

Si Reus vocatus promiserit venire in Refectorium, scribatur &c.

Retulerunt cum iuramento, quod tacto pectore exhibuerunt &c. se inuenisse prædictum Fratrem Reum &c. in sua Cella, siuè Claustro, Horto &c. & sibi signifi-

gnificato præcepto Superioris, sub forma sibi commissa, RESPONDISSE, quod ipse volebat venire in Refectorium; tamen volebat ire prius ad aliquam suam necessitatem, qua expleta, breui venisset.

Si venerit renouetur illi præceptum, & describatur totum factum, vt supra num. LXXIII.

Si autem post congruum tempus non venerit, & missos, ac mittentem deluserit, scribatur.

Sed cum P. Guardianus expectasset aliquantum vltra consuetum tempus coenæ, & nunquam comparuisset, & rationabiliter conijceret illum nolle in Refectorium venire, vt responderat; noluit diutiùs remorari Communitatem, & voluit præceptum illi factum à prædictis Sacerdotibus à se missis, nomine suo, valere pro secunda, & legitima canonica monitione. Acta sunt hæc &c. & subscribatur vt supra &c.

LXXVII. Si Reus dixerit. Nolle venire scribatur.

Retulerunt cum iuramento &c. vt supra num. LXXV. Respondisse, se nolle venire villo modo in Refectorium, & se nolle parere præcepto sibi facto, aut pœnitentiam iniunctam adimplere; insuper dixisse &c. & hic describantur alia, quæ dixerit, aut fecerit &c. & concludatur. Acta sunt hæc &c. & subscribatur, vt supra.

Si Reus non fuerit inuentus, scribatur.

LXXVIII. Retulerunt, se quæsiuisset prædictum Reum in sua camera, quam inuenerunt clausam, & ex post Iustrasse Ecclesiam, Chorum, Sacristiam, Claustra, Officinas Conuentus, Hortum, & Syluam, & magnis, & replicatis vocibus ipsum vocasse, sed non fuisse ab illo responsum; proindè conijcientes illum esse clausum in camera, & nolle responsum dare, ad cameram suam reuerfi sunt, & voce alta, quæ benè potuit ab illo audiri, & percipi, intimarunt sibi, nomine Patris Guardiani, præceptum factum. Acta sunt hæc &c. & subscribatur vt supra &c.

LXXIX. In casu supraddicto, quod Reus non inueniatur, debet Guardianus associatus à Discretis ire ad cameram Rei, & ipsum vocare, & si non respondeat, debet aperiri per vim facere ostium camerae. Et si Reus in camera non fuerit inuentus, debet facere illum perquiri diligenter in omnibus locis, etiam

Pars II.

abditis Conuentus; & si minimè fuerit inuentus, conuocato per sonum campanulae Capitulo, debet ipsum declarare, & denunciare Apostatam. tali enim casu, legitime præsumitur, illum fugisse à Conuentu; & dato casu, quod ipse latuisset in Conuentu, suum esset probare, se minimè fuisse Apostatam.

LXXX. Facto secundo præcepto, fiat tertium peremptorium; Et describatur, vt sequitur.

Consequenter idem P. Guardianus, qui supra, in plena Fratrum Communitate congregata ad prandium Diei... Mensis Anni &c. vocauit prædictum Fratrem N., & ipsi fecit tertium formale præceptum de adimplenda sibi iniuncta pœnitentia. Qui Fr. N. respondit &c. vt supra num. LXXIII. & subsequatur.

Videns autem P. Guardianus prædictus ipsius obstinationem, pronunciauit illum esse contumacem, & proindè mandauit carcerari formaliter, sibi detracta chorda, & caputio; quod mandatum fuit adimpletum hac Die &c. In quorum

Ego Fr. N. Guardianus.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Et statim debet Guardianus commone-re Prouincialem, & ad eum transmittere Acta, vt videat, se legitime processisse.

LXXXI. Quia circa carcerationem Inobedientis multa, & varia accidentia possunt occurrere, quæ possent difficultatem ingerere Superiori Locali; ideo nonnullos casus recensebimus, quæ facient ad dilucidandam hanc materiam, quæ frequenter vsu venit.

Si Subditus, cui Guardianus iniungit pœnitentiam, respondeat, se non renuere, facere pœnitentiam ob inobedientiam, sed quia non commisit illud delictum, quod sibi obijcit Superior; & se paratum esse pœnitentiam facere, gratia mortificationis, non verò ob delictum commissum; Guardianus debet se gere-re, vt diximus Par. I. Tit. Delictorum numero. 31.

LXXXII. Si Subditus dicat, se pœnitentiam renuere; quia Superior excedit modum in correctione, & proindè ad Prouincialem appellet; Superior se regat, vt demonstrauimus cit. Par. I. Tit. Delictorum. n. 32.

LXXXIII. Si Subditus post contumaciam præstitam ante, vel post trinam monitionem (dum Guardianus cum Discretis

consulit, de illo carcerando nec ne) in se reuertitur, culpam agnoscit, & se ad penam subeundam offert, Guardianus se gerat, ut docuimus dicto Titul. Delictorum numer. XXXIII.

LXXXIV. Si Discreti agnoscant quidem contumaciam Subditi, ob quam deberet incarcerari, sed iudicent, quod sitentabitur carceratio, Reus validus viribus, vel armatus se defendet, percussit, aut vulnerabit tentantes enim apprehendere, ex quo maius scandalum sequetur: vel Fratres, non equo in Guardianum anix no, iussi, ut illum apprehendant, & per vim ducant in carcerem, non obediunt, prætendentes timorem de illo, aut dicentes se non esse satellites; & hoc modo Guardianus ponet in periculo auctoritatem suam; ideo consulant, quod potius faciat canonicas monitiones, Et ex post illum excommunicet, debet Guardianus sequi consilium illorum, & seruare formam, quam dabimus infra num. XCV.

LXXXV. Si Superior iuberet Fratribus, ut contumaciter inobedientem, ut praefertur, apprehenderent, & nollent obedire, & essemus in casu atrocissimo, deberet Guardianus implorare brachium Sæculare, ut sequitur.

LXXXVI. Forma tenenda à Superiore Locali pro implorando auxilio brachij Sæcularis.

Videnda pro hoc sunt ea, quæ scripsimus Par. I. Tit. Delictorum numer. 35. & seqq. Multiplices possunt esse casus, in quibus egeat Superior Localis brachij Sæcularis; ut potè si esset Apostata armatus, aut associatus militibus, seu comitibus armatis vagans extra Conuentum; aut si esset Frater paratus ad apostatandum, & se coniungendum latronibus; aut armatus tentaret occidere, aut mutilare alium Fratrem; aut occidisset aliū Fratrem, & vellet fugere armatus &c. & similes casus, in quibus maximum scandalum sequi deberet, si non impediretur, & periculū esset in mora. Talibus in casibus, ut Guardianus cautè, & maturè procedat, debet consiliari cum Discretis, & breuiter scripto mandare factum, ut sequitur.

LXXXVII. Cum P.F.N. Guardianus Conuentus N. Prouinciæ N. AVDISSET quendam Fratrem Apostatam vagari per Terras quæstuationis sui Conuentus, &

cum publico scandalo, ipsum denarios quæsturare, & in cauponis, & tabernis cum Meretricibus pecuniam expendere; & tentasset placidis verbis per se, & alios ad Conuentum reducere, ipse tamen noluit ad Religionem redire.

Siue audisset à fide dignis Fratrem N. Laicum habitus sæculares, & arma sibi parasse, & velle Apostatate, post occasum Solis, & cum bannitis copulari; vel velle fugere cum quadam Muliere à se seducta, ex quo maximum detrimentum passura est Religio.

Siue audisset Fratrem N. rixatum esse contra Fratrem N. & furore indomito percitum, velle quoquomodo ipsum occidere, mutilare, vel vulnerare, nec prædictus Frater quamuis rogatus, & monitus, ut à meditato facinore absterneat, tamen obstinatus, & durus in peruersa voluntate perseverare.

Siue occidisset Fratrem N. pluribus videntibus, & ipse homicida armatus vellet fugere à Conuentu.

Nec Fratres huius Conuentus audeant prædictum Apostatam, siue Apostatate, siue occidere volentem, siue homicidam carcerare, quia illa habet socios, à quibus defendetur; siue habet arma parata, & est viribus validus, & ideo timeant; Idcirco P. Guardianus prædictus ad remouendum, vel impediendum tam graue scandalum, vocauit in cameram suam P. Fr. N. eiusdem Conuentus Vicarium, & PP. FF. N. & N. Discretos, & illis proposuit. An deberet inuocari auxilium brachij sæcularis? Qui benè, & maturè considerata facti importantia, & grauitate scandali fecuturi, quod maius esset, quam captura illius facta per manus laicorum, concluderunt esse inuocandum brachium sæculare. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c. In quorum &c.

Ego N. Discretus.

Ego N. Discretus.

Ego N. Vicarius.

Ita est Ego N. Guardianus.

A D N O T A T I O.

LXXXVIII. Aduertendum, quod, uti scripsimus citat. Titul. Delictor. num. 38. paulò antè finem. Si in loco Conuentus adest Dominus Conseruator priuilegiorum, ipse

ipse prius debet adiri; & ab eo debet petere Guardianus, ut à manifesta iniuria, quæ à tali scandalo fit, aut facienda est, Religionem liberet; & munus Conservatoris est implorare brachium seculare, & capturam perficere. Si Conservator non adest in loco, sed habetur Curia Ecclesiastica habens familiam armatam, debet adiri Episcopus, siue Vicarius Generalis. Si autem nec Curia Ecclesiastica habetur, adiri debet Curia Laica, nempe Potestas loci. Si ergo capiendus sit Apostata extra Conuentum, factum debet describi, ut sequitur.

LXXXIX. Consequenter P. Guardianus, qui supra, adhærendo consilio sibi per memoratos Discretos dato, adiuit D. Prætozem, siue Potestatem loci, vbi reperiatur suprædictus Apostata, & sibi aperto statu negotij, petijt ab eo, ut manus auxiliatrices concederet, & memoratum Apostatam capi faceret per Milites Curie suæ; protestando tamen, quod nullo modo volebat, quod Milites in illius captura illum vilo modo vulnerarent, percuterent, aut malè tractarent, nisi in casu propriæ, & inculpatæ defensionis, & ad puram necessitatem capturæ, & assurationis prædicti Apostatæ. Insuper protestatus est, quod per talem capturam, ipse nullam acquireret facultatem, potestatem, ius, aut iurisdictionem in persona, & rebus, quas habet memoratus Apostata, sed solummodò auctoritatem capiendi illum nomine Religionis. Et proindè postquam captus erit, ducetur ad Conuentum, & consignabitur in carcere Conuentus, & non detinebitur in manibus laicorum, nisi per tempus præscriptum ab ipso Guardianus; protestando, se petere brachium seculare cum talibus expressis conditionibus, & non aliàs, aliter, nec alio modo; & si contra prædicta attentare voluerit ipse D. Potestas, esse ipso facto, incursum Excommunicationes latas contra iniicientes manus violentas in Clericum, & violantes immunitatem Ecclesiasticam. QVI D. POTESTAS promisit se curaturum omnia, quæ sibi petita fuerunt, & cum conditionibus sibi expressis per memoratum P. Guardianum, ut supra. Acta fuerunt hæc Die Mense Anno in loco &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

Pars II.

ADNOTATIO.

XC. Plura aduertere debet Guardianus in hac contingencia, ut omnia rectè fiant. Primo debet parare cameram tutam, si non habet carcerem securum in Conuentu, ut statim, ac captus erit Apostata assicretur etiam vinculis, si ostium camera non est satis tutum. Secundo, quando alloquitur Potestatem, ut supra descriptum est, oportet, quod habeat presentes duos Fratres, qui omnia audiant, & tanquam Testes possint subscribere, & fortè melius esset, quod adesset etiam Notarius, qui esset rogatus de protestationibus, quas faciet Guardianus; sed si Notarius non possit haberi, aut Potestas non vult tolerare, aut gratum non haberet, quod Notarius rogaretur, sufficiunt duo Testes. Tertio, si commodè potest fieri captura de nocte, melius est, quàm si fiet de die, ut vitetur scandalum. Quarto, si de necessitate fiet de die, non statim, ac captus est, publice, & cum tumultu populi ducatur ad Conuentum, sed custodiatur in aliqua domo, donec veniant tenebræ, & tunc ducatur. Quinto, & ultimò non debet ire Guardianus, nec mittere alios Fratres, ut interueniant in actu capturæ, hoc enim indecorum est, & periculosa aliquandò accidentia eueniunt ex imprudentia aliquorum. Ideò melius longè est, ut vadant soli Satellites.

XCI. Si verò assicrandus sit, ut supra dictum fuit, Frater, qui vult Apostatæ, aut alium occidere &c. debet alio modo describi factum, putà ut sequitur.

Consequenter P. Guardianus, qui supra, adhærendo consilio sibi per memoratos Discretos dato adiit D. Potestatem loci &c. & illi aperuit statum Cause, & ostendit suprascriptum consilium sibi datum à Discretis, & expressit necessitatem habendi auxilium brachij seularis, ad impedienda mala, quæ possunt euenire. Petijt proindè, ut in serò dignaretur ipse venire, aut mittere Locumtenentem suum cum familia armata ad prædictum Fratrem, qui non potest alio modo assicrari; & quod necessaria erat præsentia prædicti D. Potestatis, siue eius Locumtenentis, ad continendos in officio Satellites, & fortè ex ipsius sola præsentia disponderetur prædictus Frater ad intrandum carcerem. Et tandem rogauit prædictum D. Potestatem,

tem, vt pro honore Religionis conseruando, sub grauibus pœnis obligaret Familiares suos ad silentium, & secretum, ne captura talis Fratris, cum detrimento famæ Religionis, & scandalo Sæcularium, diulgaretur in populo. QVI DOMINVS POTESTAS benignè promisit, se facturum ea, quæ sibi petita fuerunt à memorato Guardiano, & cum circumstantijs sibi expressis. Acta sunt hæc Die Mensè Anno &c. in loco &c. In quorum &c.

Ego Fr.N.Guardianus.

Ego Fr.N. fui Testis.

Ego F.N. fui Testis.

ADNOTATIO I.

XCII. Aduertendum, quod bonum est monere Potestatem, quod non veniat cum turba Satellitum; neque omnes Satellites simul ad Conuentum mittat; si enim talem apparatus venire ad Conuentum viderent Sæculares, tanquam de re insolita, vulgaretur rumor de hoc in populo: concurrerent multi ex curiositate ad Conuentum, & publicaretur factum, adiunctis multis mendacijs, vt solet, cum detrimento Religionis. Melius ergo fiet, si aduersperascente die per diuersas partes mittat Satellites ad Conuentum, & non vadant nisi duo, aut tres simul, & introducantur secreto per Ianitorum in Conuentum, & maneant occultati in aliqua camera Fratribus cæteris incognita (maximè si capiendus habet in Conuentu Factionarios) & postquam venerit D. Potestas cum suis solis famulis ad Conuentum, tunc appareat stipatus familia armata, & fiat captura. Bonum etiam erit, si Capiendus, multo habet Factionarios quod isti sequestrentur in Cella à Superiore sub pœna Excommunicationis ipso facto. Item bonum est, quod D. Potestas adeat Capiendum, & ipsum hortetur, vt voluntariè vadat in carcerem, antequam cogatur vi armata capi; fortè enim ipsius auctoritate mouebitur, & res fiet cum minori periculo, & strepitu.

ADNOTATIO II.

XCIII. Aduertendum secundò, quod carceratio in casu supraddicto cum sit ad custodiam, & non ad pœnam, non debet esse for-

malis, puta priuando Carceratum chorda, & caput. Insuper bonum est, quod Guardianus describat omnia accidentia, quæ euenient in captura, & carceratione; puta si Capiendus erat clausus in sua camera, & noluit aperire. Si neceffè fuit prosternere ostium camerae. Si erat armatus, & quibus armis. Si restitit Militibus, percussit, vulnerauit, vociferatus est, iniuriarum capientes, aut Guardianum. Si tentauit fugere per fenestras &c. In summa debent adnotari omnia ea, quæ aggravant reatum ipsius Carcerandi, ad hoc, quod Prouinciali transmittantur, simul cum cæteris Actis, quæ mitti per Nuncium expressum debent statim post capturam.

XCIV. Si autem in Conuentu carceratus non est, eo quia nulla cella habet fenestram cum clatbris, siue cancellis ferreis, aut ligneis, & Carceratus habet amicos, seu Factionarios in Conuentu, vel extra, qui ipsum vel vi eripient, vel ad fugam adiuuabunt, & necessarium sit, ipsum asscurare in carcere publico, & hoc iudicetur necessarium etiam à Discretis, debet Guardianus tenere formam sequentem. Premissa formula data supra num. LXXXVIII. pro capiendo Apostata, siue alia data num. XC. iuxta casuum varietatem, vsque ad verba Qui Dominus Potestas &c. exclusiue subiungatur.

Insuper, quia in Conuentu carceratus non est, idem P. Guardianus instituit apud eundem Dominum Potestatem, vt postquam ille Frater captus fuerit, asferuetur in carcere suo, non quidem publico, sed secreto, & cum omni cautela possibili, vt vitentur scandala Sæcularium. Protestando, quod ille debet manere tanquam depositus in illo carcere nomine Religionis, & non aliter &c. & quod per hoc nullum ius habebit ipse Dominus Potestas transferendi, liberandi, aut retinendi dictum Fratrem, vltra voluntatem Superiorum Religionis; sed ad eorum voluntatem ipsum illis consignabit, & relaxabit &c. QVI DOMINVS POTESTAS &c.

XCV. Forma tenenda à Superiore Locali pro carcerando Subdito inobediente Contumaci.

Non est differentia aliqua in carce-

rando Contumacem in recusanda poenitentia imposita, ac Contumacem in non obediendo præcepto sibi factò per Superiorem. Differentia sola est in causa, seu modo inobedientia. Proinde tenenda est eadem forma; puta describendo præceptum à Superiore factum; resistantiam Subditi; consilium Discretorum; Canonicas monitiones, & cætera, ut supra descripta.

XCVI. Forma tenenda à Superiore Locali in Excommunicando inobediente Contumaci.

Dicimus supra num. LXXXIII. quod si in casu inobedientia Contumacis in non exequenda poenitentia sibi iniuncta, Discreti dent consilium, quod Subditus taliter inobediens non carceretur, sed post congruas Canonicas monitiones excommunicetur, Guardianus debet abstinere à carceratione, sed prosequi Excommunicationem. Tamen aduertendum est, quod non est necessarium, quod Superior petat consilium à Discretis, si vult procedere contra Subditum inobedientem per Censuras; siquidem auctoritas Guardiani ex dispositione Constitutionum Ordinis alligata est consilio Discretorum præcisè pro incarceratione Contumacis, non autem pro ferendis Censuris; siquidem circa istas ferendas, eius auctoritas non est limitata per leges nostras. Quoquomodo ergo Subditus se ostendat inobedientem siue in non exequendo præcepto Superioris sibi formaliter factò, siue in non adimplenda poenitentia sibi iniuncta, si Guardianus vult procedere per Censuras Excommunicationis, Suspensionis, siue Interdicti, debet tenere formam sequentem; & videantur ad hoc, ea quæ scripsimus Par. I. Tit. Poenarum num. 162. & seqq.

XCVII. Si Subditus renuit poenitentiam impositam, aut non vult obedire præcepto formali sibi factò, Guardianus debet ipsum vocare coram Fratribus congregatis Capitulariter, siue in Refectorio tempore communis refectiois, & sibi obijcere suam inobedientiam in exequenda poenitentia, seu mandato sibi formaliter factò. Debet monere ipsum charitatiuè, ut à tali inobedientia recedat, & saluti animæ suæ consulat. Debet illi comminari Censuram, quam vult contra ipsum ferre, nisi respiscat. Et tandem debet assignare illi tres terminos, in-

tra quos, nisi obediat, declarabitur illigatus Censura. Et licet non sit necessarium tales Monitiones præstare scripto; tamen bonum est, quod Guardianus omnia scriptis mandet, ut possit apud Superiores docere de legitimo modo procedendi, quem tenuit, & potest describere factum, ut sequitur.

XCVIII. In nomine Domini. Amen. Cum P. Fr. N. Guardianus Conuentus N. Prouinciæ N. imposuisset Fratri N. Laico, Clerico &c. Subdito suo, ut pro defectu tali &c. & hic exprimatnr defectus commissus à prædicto Fr. N. ipse se disciplinaret, & ieiunaret in pane, & aqua; siue vt faceret hoc, vel illud &c. Et hic exprimatnr præceptum factum à Guardiano, & ipse F. N. noluerit obedire præcepto sibi simpliciter factò. PATER GVARDIANVS, qui supra coram Fratribus Capitulariter congregatis in Refectorio, vocauit supradictum Fratrem N., eumque paternis, & charitatiuis verbis monuit, vt saluti animæ suæ prospiciens, sibi iniuncto mandato obediret. Sed renuente illo exequi obedientiam, idem P. Guardianus iussit illi sub formali præcepto Sanctæ Obedientia, vt sibi demandatam poenitentiam, siue præceptum exequeretur; & assignauit illi tres dies incipiendos tunc, (quorum primus pro prima, secundus pro secunda, & tertius pro tertia canonica, & peremptoria monitione esset) intra quos, si non paruerit, declarabitur incidisse in Excommunicationem prædicto P. Guardiano reseruatam. Acta sunt hæc Die Mense Anno &c. in Conuentu &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.

Ego Fr. N. Discretus fui Testis.

Ego F. N. Sacerdos &c. fui Testis.

XCIX. Si fortè Subditus præuidens Guardianum sibi velle tale præceptum formale coram Fratrum Communitate facere, non venit in Refectorium; & de mandato Superioris quesitus à Fratribus, venire renuit; aut in Conuentu latitat; Monitorium faciendum est in scriptis, & factum describi, ut sequitur.

In nomine Domini &c. ut supra num. XCVII. vsque ad illa Verba P. GVARDIANVS QVI SVpra &c. & subsequatur. Pater Guardianus, qui supra, cæteris Fra-

Fratribus in Refectorio, *sive* Capitulariter congregatis existentibus, aduertit prædictum Fratrem N. non adesse. Proinde iussit PP. FF. N. & N. Sacerdotibus, ut illum requirerent; & illi inuento significant nomine ipsiusmet Guardiani, ut statim in Refectorium se conferret. Qui prædicti Sacerdotes euntes, & postea reuerſi retulerunt &c. *Et hic ponatur per extensum eorum relatio; & si ipse venerit, Guardianus moneat, & assignet terminos Canonicos &c. & factum describatur, ut supra num. XCVII. Si verò referent, se illum inuenisse, & eum respondisse, quod volebat in Refectorio venire &c. sive referent, quod eum non inuenerunt facta omni diligentia; Post descriptam relationem à prædictis Sacerdotibus factam subsequatur.* Visa porro ab eodem Guardiano eius inobedientia, & quod malitiosè latet, ne personaliter possit moneri, decreuit monete in scriptis, iuxta Canonica instituta, proinde publicè legi, & affigi ad ostium cameræ prædicti Fratris N. & ad valuas Refectorij interiùs, ne posset ab eodem Fratre N. prætendi ignorantia) fecit Monitorium tenoris sequentis.

CI. Tibi Fratri N. Sacerdoti &c. intimamus, & in his scriptis monemus, quatenus intra tres dies à die datæ præsentium, computandos, quorum primum pro prima, secundum pro secunda, & tertium pro tertia, & peremptoria Canonica Monitione assignamus; coram Nobis compareas, & mandatis nostris, ut de iure teneris obedias. Quod si in tempore suprascripto non comparueris, noueris Nos esse contra se relaxaturos Sententiam Excommunicationis. Et volumus præſens Monitorium publicatum, & cameræ tuæ habitationis affixum ita te arctare, ac si Tibi personaliter fuisset intimatum. Dat. Die ... Mense Anno In Conuentu &c. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.

Ego N. Discretus fui Testis.

Ego N. Discretus fui Testis.

ADNOTATIO.

CI. *Aduertendum, quod si Frater inobediens est Laicus, melius est, quod Monitorium fiat lingua vernacula, ne possit allegare*

ignorantiam. Pariter, si Sacerdos est, & vir grauis, & aliquo modo eius dignitati esset deferendum, melius est, quod comminetur Censura suspensionis à Diuinis, sive Interdicti, non verò Excommunicationis. Tandem si iste compareret, & appellaret (à præcepto factò, aut à pœnitentia iniuncta, & consequenter à Censura ferenda) ad Prouincialem, & non esset Appellatio notoriè frivola, Guardianus non potest ultra procedere. Sed debet commonere Prouincialem, & factum describere, ut sequitur.

CII. Anno Die Mense loco &c. comparuit coram P. N. Guardiano, qui supra, Frater N. de quo supra, & dixit se appellare à præcepto sibi factò per eundem P. Guardianum ad A. R. F. Prouincialem, quia &c. & hic describatur causa Appellationis adducta; & consequenter etiam à comminatione Censuræ. Cui appellationi prædictus P. Guardianus non detulit, nisi si, & in quantum erit de iure, & decreuit interea commonere de hoc A. R. P. Prouincialem. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.

Ego N. Testis.

Ego N. Testis.

ADNOTATIO

CIII. *Aduertendum, quod Prouincialis cum Diffinitorio, examinata causa Appellationis, si inuenerit eam non subsistere de iure, debet remittere Appellantes ad Superiorem localem, & nullo modo debet ipse se ingerere in Causa illa, quæ est de Foro, & iurisdictione Guardiani, cuius auctoritas redderetur cæteris Subditis contemptibilis, si ipse non posset effectiue illos compellere per Censuras ad obediendum.*

CIV. *Elapso termino assignato in Monitorio, & ad abundantem, expectata adhuc alia die, si Subditus non reuertitur ad cor, & obediat; Guardianus scribat Sententiam Excommunicationis, sive alterius Censuræ comminata, & subscriptione propria, & sigillo Conuentus muniat, & in plena Communitate Fratrum legat, & valuas Refectorij affigat; & si Frater Excommunicatus erit præſens, expellatur à Refectorio. Tenor verò Sententiæ erit, ut sequitur.*

CV. Sacrosancto Iesu Christi nomine inuocato Nos Frater N. Guardianus Conuentus N. Ordinis Minorum, auctoritate

D.N.

D.N.I.C. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Seraphici P.N. Francisci per Ordinis Constitutiones Nobis concessa: Te Fratrem N. excommunicamus, & a fidelium communione, ac Sacramentorum participatione separamus, & remouemus, & harum tenore Te, vt præfertur excommunicatum, separatum, & remotum; & idè ab omnibus Christi fidelibus vitandum, declaramus, & denunciamus, quia per congrua interualla à Nobis canonicè monitus legitimis mandatis Nostri contumaciter obedire contempsisti. Volumus autem Te prædictâ Censurâ, à qua nullus Nobis inferior, citra mortis periculum poterit absoluere, manere illaqueatum, donec, præstitâ Nobis Obedientiâ, & satisfactione, absolutionem merearis. Dat. &c.

Fr. N. Guardianus.
locus † sigilli.

CVI. Forma absoluendi Subditum Excommunicatum Denunciatum, vt supra.

Eadem prorsus est Forma, quam tradidimus supra num. LXVI. pro absoluendis Apostatis; solumodò debent variari verba in fine absolutionis, & dici. Absoluo te à vinculo Excommunicationis, quam incurristi propter contumacem inobedientiam, mihi præstitam, & restituo Te &c. Et debet Subditus antè absolutionem adimpleuisse mandatum Superioris, mox publicè in Fratrum Communitate, agnitâ culpâ suâ, absolutionem humiliter petere.

CVII. Forma; qua vti debet Superior localis in ferenda Excommunicatione per modum Ordinationis.

Quia Superior localis pro bono regimine sui Conuentus potest Excommunicationem ferre per modum ordinationis, quæ habet vim, ipsius tantum Officio durante, damus Formam, quam tenere debet; & videntur ad hoc ea, quæ scripsimus Par. pr. Tit. Pœnarum. à numer. 163. pag. 314. & seqq. Ex dispositione ergo Statutorum Ordinis, quæ recensemus loc. cit. num. 165. debet ordinationem ipsam, in qua fertur Excommunicatio, scriptis mandare, & publicè

intimare, & affigere in loco commodo, in quo ab omnibus Fratribus possit videri, non verò à Sæcularibus, vt vitetur scandalum, seu admiratio; & ordinatio, cum Excommunicatione alio modo lata, nullius est valoris. Poterit ergo scriptis mandari, vt sequitur.

Frater N. Guardianus Conuentus
N. &c.

CVIII. Harum serie sub formali præcepto Sanctæ Obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti, & sub, pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, à qua nullus Nobis inferior absoluere poterit, prohibemus omnibus, & singulis Subditis nostris Sacerdotibus, Clericis, & Laicis, qui pro tempore, & durante nostro Officio in hoc Conuentu N. commorabuntur de Familia, ne &c. *Et hic debet exprimi prohibitio iuxta casuum exigentiam, & subsequatur. Et vt ad omnes, & singulos notitia huius nostræ prohibitionis perueniat, & à nemine ignorantia prætendi possit, volumus: præsentibus, post quam fuerint, Fratribus capitulariter congregatis, publicatæ, affigi, & affixas manere ad valuas interiores Refectorij, nec ab aliquo inde amoueri sub simili pœna Excommunicationis, vt ab omnibus commodè legi possint. Datæ, & publicatæ fuerunt in publica Fratrum refectioe hac Die ...&c.*

Ego Fr. N. Guardianus.

A D N O T A T I O.

CIX. *Aduertendum, quod, vt diximus Par. p. Tit. Pœnarum. num. 164. pag. 314. talis Censura Excommunicationis per modum ordinationis, vt præfertur, ferri non potest nisi pro re valde graui, vel in se, vel respectiue ad graue inconueniens, quod esse prohibita probabiliter sequi potest; nec temerè, aut ex leui causa gladio Excommunicationis, quæ non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, vti debet Prælatus, nè ex usu vilescat, & contemnatur. Insuper aduertendum est, quod ordinatio debet scriptis mandari, & publicari lingua vernacula, vt intelligi ab omnibus faciliter possit, nec vllus valeat allegare ignorantiam. Tandem aduertendum, quod, vt probauimus, citat. Tit. Pœnarum. n. 167. pag. 315. casu quo aliquis contraueniat ordinationi, licet ille maneat ipso facto pro foro animæ ex-*
commu-

communicatus, non potest tamen à Guardia-
no ferri Sententia declaratoria Excommu-
nicationis incurse, sed hoc reseruat Pro-
uinciali, quem commoneere debet Guardia-
nus.

C. Forma ferendæ Excommunicacionis
solempnis, siue Anathematis pro
restitutione Furti tenenda à Superiore
locali, quando maximum periculum est
in mora.

De hoc casu locuti sumus ex instituto,
Pat. p. Tit. Penarum, à num. 175. pag. 315.
& seqq. & videantur, quæ ibi scripsimus.

Casu quo igitur secutum sit Furtum, quod
supponitur factum à Fure domestico, & nisi
restituatur maximum scandalum, cum de-
trimento Religionis sequetur, nec suppetat
tempus habendi præsentiam Prouincialis, ad
quem de iure spectat; ante ferendum ana-
themata contra Furem, debet confici, publica-
ri, & affigi Monitorium tenoris sequentis.

Fr. N. Guardianus Conuentus N.

CXI. Cum à filio, siue filiis iniquita-
tis, Diabolo instigante, commissum fue-
rit Furtum, quo à tali loco &c. tali tempo-
re &c. ablata est talis res &c. & hic exprima-
tur locus, tempus, & res furata; & maxi-
mum scandalum in damnum, & detri-
mentum Religionis, & maxima Fratrum
conturbatio, ex tali Furto, ineuitaliter
secutura sit, nisi quantocyus Furtum re-
stituatur; harum serie, in virtute Spiritus
Sancti, sub interminatione maledictionis
æternæ mandamus talium rerum Furi
& eius Complicibus, vt statim restituant
Furtum. Quod si non fecerint intra spa-
tium trium dierum, (siue viginti quatuor
horarum, si tempus non suppetit) quorum
vnum pro prima, vnum pro secunda, &
aliud pro tertia, & vltima peremptoria ca-
nonica monitione assignamus (siue qua-
rum octo pro prima, octo pro secunda,
& octo pro tertia, & vltima &c.) contra
illos Sententia anathematis irremissibiliter
fulminabitur. Dat. &c.

Ego N. Guardianus &c.

ADNOTATIO.

CXII. Aduertendum, quod suprascri-
tum Monitorium debet extendi in lingua
vernacula, vt ab omnibus possit intelligi;
& debet publicari in plena Fratrum Com-
munitate, & in valuis Refectorij interius
affigi. Elapso autem termino assignato, de-
ueniri debet ad fulminationem anathematis
in forma sequenti.

CXIII. Conuocatis capitulariter Fra-
tribus in Refectorio, & ad ingerendum ma-
iorem horrorem, fenestris clausis, Guardia-
nus indutus amictu, stola, & pluuiali vio-
laceo medius inter Vicarium, & antiquio-
rem Discretum ingrediatur Refectorium,
portans, (sicut & alij duo) candelam accen-
sam. Progressus vsque ad caput Refectorij
sedeat super cathedra ibi ad hoc parata, &
prædicti Sacerdotes illi bine inde stantes assi-
stant. Tum alta voce, & emphatica, ab ali-
quo Sacerdote, siue Clerico legi iubeat Sen-
tentiam anathematis sequentis.

CXIV. Cum suadente Diabolo om-
nium malorum authore filius, siue filii
iniquitatis, & perditionis, in hoc nostro
Conuentu furati sint &c. & hic exprima-
tur res Furto sublata. Nos Frater N. eius-
dem Conuentus Guardianus ad effectum,
vt furtum restitueretur primò, secundo,
& tertio, assignatis debitis temporis inter-
uallis, monuimus Furem, & Complices sub
interminatione maledictionis æternæ. Ve-
rum tamen eodem Diabolo eorundem
corda possidente, contemptis monitioni-
bus nostris, nullo modo comparuit res
restituta.

Idcirco omnipotentis Dei Patris, &
Filii, & Spiritus Sancti, nec non Beato-
rum Apostolorum Petri, & Pauli, Sera-
phici P. N. Francisci, & omnium Sancto-
rum authoritate, atque Nobis à Deo con-
cessa ligandi, atque soluendi potestate Fu-
rem, & Complices prædictarum rerum &c.
excommunicamus, bonis omnibus Chri-
stianis communibus priuamus, atque ab
omnium Christianorum societate, & san-
ctæ Matris Ecclesiæ liminibus in Cælo, &
in Terra excludimus, & separamus, & ta-
liter excommunicatos, & anathematizatos
esse decernimus, volumus, & declaramus;
cumq; Diabolo, & Angelis eius Apostatis,
atque omnibus reprobis damnatos pari-
ter iudicamus. Propterea, (hic vox ele-
uetur, & maiori emphasi, & pausa inter
vnam,

vnam, & aliam maledictionem.) Maledicti sint domi, & extra. Maledicti in Ciuitate, & in agro. Maledicti vigilando, & dormiendo. Maledicti manducando, & bibendo. Maledicti ambulando, & sedendo. Maledicta sit caro, & ossa eorum, & à planta pedis, vsque ad verticem, non habeant sanitatem. Veniat super illos maledictio hominis, quam per Moysen in Lege Filijs iniquitatis Dominus Deus promisit. Deleantur nomina eorum de Libro viuentium, & cum iustis non scribantur, sed cum damnatis in æternum computentur. Sit hæreditas eorum in Inferno cum Cain Fratricida; cum Datan, & Abiron, & Core quos viuentes deglutiuit ignis Inferni; cum Anania, & Saphira; cum Simone Mago, cum Iuda proditore, & cum omnibus damnatis, qui

bibent in æternum vasa iræ, & furoris Iustitiæ Dei viuentis. Pereant in die Iudicij, & nisi Furtum restituant, & Furem, & Complices reuelent, contra eos Dominus noster Iesus Christus formidabilem illam Sententiam fulminet: Ite maledicti in ignem æternum.


Tum Guardianus, & alij duo Sacerdotes clament Fiat, Fiat, Fiat, & proijciant candelas in terram, quas pedibus conculcent, & contrà eas aliquos lapides mittant, iuxtà illud, quod scripsimus suprà num XLVII. loquendo de Forma seruanda à Prouinciali in fulminando solemnè anathemate. Et aduertendum, quod prout ibi diximus, bonum, est, quod prædicta Sententia proferatur lingua vernacula, vt ab omnibus benè intelligi, & percipi possit.



liber in actum... in ignem eternum.

Item... in ignem eternum.

Maledicti... in ignem eternum.



INDEX RERVM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A

- A**bsolutio generalis, quomodo danda in Visitatione paterna. *Seçt. I. num. III. pag. 2.* Ipsius effectus. *ibi. num. IV. pag. 2.*
- Ab Excommunicatione, quomodo danda Reo. *Seçt. V. nu. XV. pag. 82.* Quomodo danda à Guardiano. *Seçt. XI. num. CVI.*
- Absolutio*, quomodo danda Testi censurato, qui resipuit, post contumaciam. *Seçt. IV. num. LIII. pag. 69.*
- Absolutio Apostata*. Vide *Apostata*.
- Accusatio*, quomodo proponenda. *Seçt. II. num. XXII. pag. 22.* Si detur per literas, quid agendum à Iudice. *ibi. num. XXIII. p. 22.* In illa præsentanda, quæ cautela sit adhibenda. *Seçt. II. num. XXIV. & seqq. pag. 22.* Si Accusatus est Prælatus, & Accusator non notus Iudici, quid ab isto sit præstandum. *ibi. num. XXV. pag. 23.*
- Accusator*, quomodo repellendus ab accusatione. *Seçt. IV. num. LXVI. & seqq. p. 74.* Quomodo citandus post defensiones Rei. *Seçt. VII. num. XLIV. p. 127.* Quomodo citandus ante Sententiam. *Seçt. VIII. num. III. pag. 128.*
- Aëtuarius*. Vide *Notarius*.
- Aduocatus Fiscalis*, quomodo deputandus à Iudice. *Seçt. VII. num. XLI. pag. 126.* Quomodo pro parte Fiscii respondere debeat Patrono. *ibi. num. XLII. & XLIII. pag. 126. 127.*
- Anathema*. Vide *Excommunicatio*.
- Apostata*, quomodo carcerandus, & absolendus. *Seçt. XI. num. LX. & seqq. pag. 173.*
- Apostoli Refutatorij*, quomodo formandi. *Seçt. IX. num. IX. pag. 140.*
- Apostoli reuerentiales*, quomodo concedendi. *Seçt. IX. num. XI. pag. 140.*
- Apostoli dimissoriales*, quomodo formentur. *Seçt. IX. num. XII. pag. 140.*
- Apostoli testimoniales*, quomodo concedantur. *Seçt. IX. num. XV. pag. 141.*
- Appellatio ab interlocutoria*, quomodo interponenda. *Seçt. IX. num. II. pag. 137.* Coram honestis viris, quomodo proponatur. *Seçt. IX. num. VI. pag. 139.*
- Appellatio à diffinitiva*, quomodo interponenda. *Seçt. IX. num. VII. pag. 139.*
- Appellatio*, quomodo facienda à Patrono. *Seçt. VI. num. XXXII. pag. 108.*
- Appellatio*, quomodo facienda à Censura comminata. *Seçt. XI. num. CII. pag. 182.*
- Appellationis formæ omnes* recapitulantur. *Pars II,*

- Seçt. X. num. IX. pag. 152.*
- Arbitri*, quomodo eligendi. *Seçt. I. num. XXII. pag. 10.* Quomodo procedere debeant in formando processu. *Seçt. II. num. XLI. & seqq. pag. 32.* Quomodo debeant examinare Testes. *Seçt. IV. num. XLI. pag. 65.* Quomodo debeant excitare Iudicem recusatum ad contradicendum Recusanti. *Seçt. VIII. nu. XVIII. pag. 133.* Quomodo debeant sententiare. *Seçt. VIII. num. XIX. pag. 133.*
- Arctatio simplex*, quomodo infligenda. *Seçt. VII. num. VI. pag. 115.* Qualificata quomodo danda. *ibi. num. VII. pag. 115.*
- Articuli interrogatorij*, quomodo formandi. *Seçt. VI. num. XIX. pag. 103.* Quomodo præsentandi. *ibi. num. XVIII. pag. 103.* Quomodo corrigendi. *ibi. num. XX. pag. 104.*
- Articuli probatorij ad defensam*, quomodo formandi à Patrono. *Seçt. VI. num. XXVI. & seqq. pag. 106.* Quomodo corrigendi à Iudice. *ibi. num. XXIX. pag. 107.*

B

- B**achium Sæculare, quomodo inuocandum à Prouinciali. *Seçt. II. n. XXXIX. p. 28.* A Visitatore. *pag. 31.* *Seçt. II. n. XL. pag. 31.* A Guardiano. *Seçt. XI. nu. LXXXVI. pag. 178.*

C

- C**arceratio suspecti de fuga, quomodo discernenda. *Seçt. V. num. II. & seqq. p. 79.* Expellendi ab Ordine, quomodo fiat. *Seçt. XI. num. IV. pag. 158.* Rei suspecti, aut vehementer indiciati, quomodo facienda à Guardiano. *Seçt. XI. num. LVI. pag. 172.* Subditi inobedientis, & contumacis, quomodo exequenda à Guardiano. *Seçt. XI. num. LXX. pag. 175.*
- Chirurgus* quando, & quomodo examinandus. *Seçt. III. num. VII. pag. 39.* Quomodo examinandus, si qui torqueri fune debet, dicat se esse crepatum. *Seçt. VII. num. XVIII. pag. 118.*
- Citatio iuridica Testium*, quomodo facienda. *Seçt. IV. num. XLVIII. pag. 67.*
- Citatio Rei absentis*, quomodo fiat. *Seçt. V. num. IX. pag. 80.* Rei fugitiui, quomodo facienda. *ibi. num. X. pag. 80.*

- Citare . Citatio . Vide Reus . Accusator , Exceptor , Patronus , Testes .*
- Clamorosa insinuatio , quomodo , & quando requisita ad procedendum per inquisitionem specialem . Sect. II. num. IX. pag. 17.*
- Clamorosa insinuatio . Vide Fama .*
- Commissarius Visitator , quomodo procedet in Visitatione . Sect. I. num. VII. p. 4. Quomodo possit deputare aliquem ad visitandos nonnullos Conuentus . ibi. nu. VIII. & X. pag. 5. Potest recusari in Visitatione iudiciali , & quomodo . Sect. I. num. XV. pag. 8. Quomodo procedere debeat , si Fratres nolent eum recipere . Sect. II. num. XL. pag. 31.*
- Commissarius Delegatus , quomodo se gerere debeat in formandis processibus . Sect. II. num. XLIV. & seqq. pag. 33. Delegatus ad causam particularem quomodo , petita ampliatione iurisdictionis , procedere debeat . Sect. II. nu. XLVIII. pag. 34. Delegatus ad examen Testium quomodo procedet . Sect. IV. num. LXXVI. & seqq. pag. 77.*
- Commissarius . Vide Litera .*
- Compositio Rei cum Fisco quomodo petenda . Sect. VI. num. XXXVII. pag. 110.*
- Confessio Rei facta in tormentis , quomodo , ubi , & quando ratificanda . Sect. VII. nu. XXXVI. pag. 124. Si reuocetur à Reo , quomodo se geret Iudex . ibi. num. XXXVII. pag. 125.*
- Confrontatio Rei cum Testibus , quomodo facienda . Sect. V. num. XXV. p. 91. Cum Socio criminis quomodo fiat . ibi. num. XXVI. & seqq. pag. 92.*
- Consiliarius , quomodo recusandus à Reo . Sect. I. n. XXV. p. 13.*
- Consilium , quomodo petendum per Prouincialem à Diffinitorio ante Torturam Rei . Sect. VII. num. I. & seqq. p. 113. Et ante carcerationem Expellendi ab Ordine . Sect. XI. n. II. p. 157. Quomodo petendum per Iudicem à Patribus Peritis ad cogendum Reū . Sect. V. num. XX. pag. 89. Quomodo petendum per Guardianum à Discretis pro carcerando ad custodiam Reum notorium , seu vehementer suspectum . Sect. XI. n. LVII. p. 172. Aut pro carcerando inobediente . Sect. XI. n. LXXII. & seqq. p. 175. Aut pro inuocando brachio sæculari . Sect. XI. n. LXXXVII. pag. 178.*
- Consultores deputati à Generali , quomodo debent ferre votum suum in reuisione Causæ . Sect. IX. n. XXXII. p. 147.*
- Contumax . Vide Reus . Vide Testis . Vide Subditus .*
- Copia Actorum , quomodo petenda à Patrono . Sect. VI. num. XI. pag. 101. Quomodo consignanda . Sect. VI. num. XVI. p. 103. Quomodo authenticanda . ibi. n. XVII. p. 103. Si timeatur vitiata , quomodo petenda à Reo , & concedenda à Iudice , & quomodo facien-*
- da noua collatio cum originali . Sect. IX. num. XXIV. & seqq. p. 144.*
- Copia examinis Testium repetitorum , quomodo petenda à Patrono , & decernenda à Iudice . Sect. VI. n. XXI. p. 106.*
- Corpus Delicti , quomodo visitandum . Sect. III. num. I. & seqq. p. 37.*
- Corpus Delicti , quomodo probandum per Testes . Sect. IV. num. XI. pag. 47. Quomodo probandum in casu deflorationis . Sect. III. n. X. pag. 41. In casu furti . Sect. III. num. XI. p. 41. In casu scripturæ falsificatæ , monetæ adulteratæ , armorum prohibitorum , mixturæ venenatæ . Sect. III. num. XIII. p. 42. In casu , quod ipsum sit extrà iurisdictionem Iudicis Regularis , aut de eo ampliùs non appareat . Sect. III. n. XIV. pag. 42. Eius probatio recapitulatur . Sect. X. num. III. pag. 149. Quomodo describendum à Superiore Locali . Sect. XI. num. XLVIII. pag. 170.*

D

D *ecretum Iudicis super eius recusatone in Visitatione iudiciali . Sect. I. n. XXII. pag. 10. Super Fama non probata . Sect. II. num. X. pag. 17. Super Visitatione Corporis Delicti . Sect. II. num. LI. p. 36. & Sect. III. num. XVII. p. 44. Post exceptionem sibi propositam contra Accusatorem . Sect. IV. num. LXIX. & seqq. pag. 75. De Reo carcerando . Sect. V. num. II. p. 79. De Reo constituendo . Sect. V. num. VII. pag. 80. De concedendis Reo defensionibus . Sect. VI. num. I. pag. 99. De prorogando termino defensorio . Sect. VI. num. XIII. & XIV. p. 102. De corrigendis Articulis interrogatorijs . Sect. VI. num. XX. p. 104. Post sibi propositam recusatone , vel appellationem à Patrono . Sect. VI. num. XXXII. p. 108. Post appellationem à denegatione termini defensorij . Sect. VI. num. XIV. p. 102. Post petitionem sibi factam à Patrono vt repararet omissa in examine Testium ad defensionem . Sect. VI. n. XXXIII. pag. 109. Post sibi propositam recusatone alicuius de corpore Diffinitorij . Sect. 6. num. XXXIX. p. 111. Ante Torturam . Sect. VII. num. V. pag. 114. De ostendendo processu Aduocato Sæculari ante Torturam Funis . Sect. VII. num. XIV. p. 117. De danda Patrono copia examinis Rei in Tortura . Sect. VII. num. XXXVIII. pag. 125. De Aduocato Fiscali deputando . Sect. VII. num. XLI. p. 126. De citando Accusatore ante Sententiam . Sect. VIII. num. III. pag. 128. Quando non defert Appellationi ab interlocutoria . Sect. IX. num. II. pag. 137. Quando illi defert . ibi. nu. III. pag. 137. De congregando Diffinitorio in ordine ad expulsionem . Sect. XI. num. I. pag. 157. De examinandis Testibus ad probatone*

trium delictorum Expellendi ab Ordine. *Seçt. XI. num. III. pag. 158.* De illo carcerando. *ibi. num. IV. pag. 159.* De mittendo processu Expulsionis ad Generalem. *Seçt. XI. num. XVIII. pag. 162.* De deputando Patrono pro defensione Apostatae ad expulsionem. *Seçt. XI. num. XXXII. p. 165.*

Decretum S. Inquisitionis legendum in omni Visitatione. *Seçt. I. num. V. p. 3.*

Delegatus. Vide *Index.* Vide *Commissarius.*

Denuncians quomodo, & quando examinandus. *Seçt. II. num. XVII. pag. 20.*

Denunciatio quomodo fiat ore tenus. *Seçt. II. num. XIII. pag. XIX.* Quomodo per Libellum, vel per literas. *Seçt. II. nu. XIV. pag. 19.* Quomodo fiat cum Denuncians ignorat Delinquentem. *Seçt. II. num. XVIII. pag. XXI.* Quomodo detur civiliter. *Seçt. II. num. XIX. pag. 21.*

Defensiones, quomodo concedendae in crimine notorio. *Seçt. V. num. XXXV. pag. 97.* Vel Reo reperto in fragranti crimine. *Seçt. V. num. XXXVI. pag. 97.*

Defensiones, quomodo concedendae, exhibendae, acceptandae, renunciandae, formandae, praesentandae. *Seçt. VI. per totam pag. 99. & seqq.*

Defensiones. Vide *Patronus.*

Diffinitorium, quomodo congregandum pro habendo consilio ad Torturam. *Seçt. VII. num. I. & seqq. pag. 113.*

Diffinitor, quomodo excludendus à Diffinitorio. *Seçt. VI. num. XL. pag. 112.*

Dilatio. Vide *Prorogatio.*

E

Examen Testium, quomodo inchoandum. *Seçt. IV. num. X. pag. 47.* Quomodo interrumpendum. *ibi. nu. XVII. pag. 50.* Quomodo continuandum. *Seçt. IV. num. XVIII. pag. 50.* Quomodo concludendum. *ibi. num. XIII. pag. 49.*

Examen Testium, quomodo faciendum in casu, quod delictum sit probandum per Testes. *Seçt. IV. num. XI. pag. 47.* In casu Vulnerati, aut occisi ignorato Delincente. *Seçt. IV. num. XX. pag. 51.* In casu Furti manifesti ignoto Fure. *ibidem numer. XXI. pag. 51.* In casu Libelli famosi. *Seçt. IV. num. XXII. pag. 52.*

Examen Testium, quomodo faciendum in casu delicti notorii, & Delinquentis extrajudicialiter sciti. *Seçt. IV. num. XXV. pag. 55.* In casu Furti manifesti. *Seçt. IV. num. XXVII. pag. 56.* In casu Libelli famosi publicati, indiciato Delincente. *ibid. num. XXVIII. pag. 57.* In casu suspecti consortij. *Seçt. IV. num. XXXI. pag. 60.* In casu lapsus carnis

Part. II.

consummati. *Seçt. IV. num. XXXII. pag. 61.* In casu conspirationis in Superiorem. *Seçt. IV. num. XXXIV. pag. 62.* In casu copulae attentatae. *ibi. num. XXXIII. pag. 62.* In casu Apostasiae. *ibid. num. XXXVI. pag. 63.* In casu Confessionis extrajudicialis. *Seçt. IV. num. XXXV. pag. 63.*

Examinis Testium formae omnes recapitulatur. *Seçt. X. num. IV. pag. 150.*

Examen Rei, quomodo faciendum. *Seçt. V. num. XV. & seqq. pag. 82.* Si Reus est in Arrestatione quomodo fiat. *Seçt. VII. num. VIII. pag. 115.* Factum in Tortura, quomodo communicetur Patrono. *Seçt. VII. num. XXXVIII. pag. 125.*

Examen. Vide *Testes.* Vide *Reus.* Vide *Peritus.* Vide *Obstetrix.* Vide *Chirurgus.* Vide *Medicus.*

Exceptio civiliter, quomodo detur contra Eligendum. *Seçt. II. num. XXVIII. pag. 24.* Criminaliter quomodo proponatur. *ibi. num. XXX. pag. 24.* Contra Electum, ne confirmetur, quomodo detur. *Seçt. II. num. 32. pag. 25.*

Exceptio contra Accusatorem, Testes, Notarium, Peritos, Consiliarium, quomodo proponatur. *Seçt. IV. num. LXVI. & seqq. pag. 74.*

Exceptor, quomodo, & quando sit citandus. *Seçt. VII. num. XLIV. pag. 127.*

Excommunicatio quomodo ferenda à Provinciali. *Seçt. XI. n. XLV. pag. 169.* Quomodo ferenda à Guardiano. *Seçt. XI. n. XCVI. pag. 181.* Quomodo ferenda à Iudice contra Testes contumaces. *Seçt. IV. nu. LI. pag. 68.* Contra Fratres Rebelles. *Seçt. II. num. XXXIX. pag. 28.* Per modum ordinationis. *Seçt. XI. num. CVII. pag. 183.* Quomodo ferenda solemniter à Guardiano. *Seçt. XI. num. CX. pag. 183.* *Expulsio ab Ordine,* quomodo facienda. *Seçt. XI. num. II. & seqq. pag. 157.*

F

Fama, quomodo probetur. *Seçt. II. nu. VII. pag. 16.* Ipsa non probata, quomodo terminetur processus. *ibi. num. X. pag. 17.*

Facultas. Vide *Licentia.*

Fiscalis. Vide *Aduocatus.*

Flagellatio, quomodo infligenda. *Seçt. VII. nu. X. pag. 116.*

Fuga. Vide *Reus.*

Funis Tortura, quomodo danda. *Seçt. VII. num. XIV. & seqq. pag. 117.*

Furtum, quomodo probetur. *Seçt. III. nu. XI. pag. 41.* Ad eum detegendum; quomodo procedet Provincialis. *Seçt. XI. num. XLIII. & seqq. pag. 168.*

G

Generalis, quomodo sententiarum debeat in diffinitiva, *Sec. IX. num. XXXII. pag. 148.* Quomodo proferre debeat Sententiam Expulsionis ab Ordine, *Sec. XI. num. XXIII. pag. 163.*

Guardianus, quomodo debeat carcerare, & absolueret Apostatam, Sec. XI. num. LX. & seqq. pag. 173. Carcerare inobedientem contumacem, *Sec. XI. num. LXX. p. 175.* Excommunicare Subditum Rebellem, *ibi. n. XCVI. & seqq. pag. 183.* Fulminare Anathema pro furto, *Sec. XI. n. C. p. 184.* Quomodo describere corpus delicti, *Sec. XI. n. XLVIII. pag. 170.* Quomodo debet carcerare Reum notorium, aut vehementer suspectum, *Sec. XI. num. LVI. pag. 172.* Concedere literas obedientiales Apostatæ absoluto, *Sec. XI. num. LXIX. pag. 175.* Inuocare brachium Sæculare, *ibi. num. LXXXVI. pag. 178.*

I

Ignis tortura, quomodo infligenda, *Sec. VII. num. XXIX. pag. 21.*

Impunitas, quomodo concedenda, Sec. IV. num. XXIV. pag. 54.

Incorrigibilis, Vide Expulsi.

Inobediens, Vide Subditus.

Inquisitio Generalis paterna, quomodo facienda, Sec. I. num. II. pag. 1. Vide Visitatio.

Inquisitio generalis iuridica, quomodo instituenda, Sec. I. num. XII. pag. 6.

Inquisitio specialis, quomodo iniicienda emergentibus indicijs à Visitatione iudiciali, Sec. II. num. II. pag. 15. Quomodo instituenda ex fama præcedente, *Sec. II. nu. XII. pag. 16.*

Inquisitio mixta, quomodo instituenda, Sec. II. num. XI. pag. 18.

Inquisitio. Vide Processus.

Index recusatus in Visitatione iudiciali, quomodo se gerere debeat, Sec. I. num. XXII. pag. 10. quomodo excitandus ad opponendum contra Recusantem, *Sec. VIII. num. XVIII. pag. 133.*

Index, quomodo procedet in recipienda denunciatione, Sec. II. num. XV. & XVI. pag. 19. in accusatione coram se proposita, *ibi num. XXI. & seqq. p. 22.* in exceptione contra Eligendum sibi præsentata, *Sec. II. nu. XXX. & seqq. pag. 24.* in exceptione contra Accusatorem, Testes, Peritum &c. *Sec. IV. num. LXIX. & seqq. 75.*

Iudices Delegati à Generali, ad cognoscendum super validitate Appellationis, quomodo procedent, Sec. IX. num. XXI. & seqq. p. 143.

Index, Vide Recusatio; Vide Corpus delicti, Vide Commissarius.

Iuramentum, quomodo præstandum à Patrono post acceptatum munus, Sec. VI. num. IV. pag. 100.

L

Libellus, Vide Denunciatio, Vide Accusatio, Vide Exceptio.

Licentia examinandi Peritos Sæculares, quomodo petenda, Sec. III. nu. V. pag. 38.

Lustrandi acta iudicialia alterius Tribunalis, quomodo requirenda, Sec. III. num. XIV. & XVI. pag. 42. 43.

Literæ Obedientiales, quomodo tradendæ Reo post appellationem, Sec. IX. num. XIV. pag. 141. Quomodo dandæ Apostatæ absoluto, *Sec. XI. num. LXIX. pag. 175.*

Literæ, Vide Patentes.

Literæ Prouincialis ad Episcopum, quibus infinet expulsionem alicuius ab Ordine, quomodo formandæ, Sec. XI. num. XL. pag. 167.

Literæ testimoniales, dandæ expulso quomodo formandæ, Sec. XI. num. XLII. pag. 168.

Literæ Remissoriales, quomodo formandæ, Sec. IV. nu. LXXXIII. pag. 76. Quo modo exequendæ, *ibi. num. LXXXV. pag. 76.*

Literæ Commissionales, quomodo formandæ, & exequendæ, Sec. IV. numer. LXXXVII. & LXXXVIII. pag. 77.

M

Medicus, quomodo, & quando examinandus, *Sec. III. num. V. p. 38.* quomodo adhibeatur, vt assistat torturæ funis, *Sec. II. num. XXII. pag. 119.*

Memoriale ad Sac. Congreg. pro dispensanda annuali carceratione Incorrigibilis ad expulsionem, quomodo formandum, Sec. XI. num. XXXIV. pag. 166.

Monitorium, quomodo formetur contra Fratres vnus Conuentus rebelles Prouincialis, Sec. II. nu. XXXIX. pag. 28. Quomodo à Prouinciali intimetur, *ibi. num. XXXIX.* Quomodo formetur, & intimetur contra Fratres non acceptantes Visitatorem, *Sec. II. num. XL. pag. 31.* Quomodo faciendum pro concedenda impunitate, *Sec. IV. num. XXIV. pag. 54.* Quomodo formandum pro detegendo Furto, Fure, & Complicibus, *Sec. XI. num. XLIII. pag. 168.* Quomodo publicandum pro restitutione Furti, *Sec. XI. num. CXI. pag. 184.*

N

Notarius, Quomodo recusandus à Reo, *Sect. I. num. XXV. pag. 12.* Quomodo creandus pro omni actu iudiciali, *Sect. II. nu. III. pag. 15.* Illo impedito, quomodo substituendus alius, *Sect. II. num. IV. p. 15.* Notorium. Vide *Processus.*

O

Obstetricæ, quomodo, & quando sint examinandæ, *Sect. III. num. X. pag. 41.*

P

Patentes, quomodo formentur à Visitatore delegante Secretarium suum ad Visitationem aliquorum Conuentuum, *Sect. I. num. IX. pag. 5.* Quomodo formandæ à Prouinciali delegante aliquem ad Visitationem paternam, *Sect. I. num. XI. pag. 5.* Quomodo formandæ à Prouinciali committente alicui Visitationem iudicialem, *Sect. I. num. XIII. pag. 7.* Quomodo faciendæ pro delegatione alicuius ad formandam inquisitionem generalem, *Sect. II. num. XLV. pag. 33.* Quomodo fiant pro committenda inquisitione speciali, *Sect. II. num. XLVI. pag. 34.*

Patentes. Vide Litera.

Patronus, quomodo eligendus à Reo, & concedendus à Iudice, *Sect. VI. num. III. & seqq. p. 99.* Quomodo compellendus à Iudice ad acceptandum munus, *Sect. VI. n. VII. p. 100.* Quomodo iurare debeat acceptato officio, *Sect. VI. num. IV. p. 100.* Quomodo, & quando concedendus Accusatori, qui non probauit, *Sect. VIII. num. IV. pag. 128.* Quomodo deputandus ex officio pro defensione Expellendi, qui est absens, *Sect. XI. num. XXXII. pag. 165.*

Patronus, quomodo petat à Iudice ne Testibus repetendis primum eorum examen prælegatur, *Sect. VI. n. XXIII. p. 105.* Quomodo petat copiam examinis Testium repetitorum, *ibi. num. XXV. p. 106.* Quomodo petat fabricationem Processus defensionis, *Sect. VI. n. XXVI. p. 106.* Quomodo petat à Iudice, vt cogat Testem nolentem examinari ad defensionem, *Sect. VI. nu. XXXI. p. 107.* Quomodo petat vt Iudex reparet omissa à se in repetitione, aut examine Testium ad defensionem, *Sect. VI. num. XXXIII. pag. 109.*

Patronus, quomodo citandus ad producendos Testes pro Processu defensionis. *Sect. VI. num.*

XXX. pag. 107. Quomodo debet recusare Iudicem, vel ab eo appellare, *Sect. VI. n. XXXII. pag. 108.* Quid facere debeat Reo examinato in tortura, *Sect. VII. num. XXXIII. & seqq. pag. 125.* Quomodo debeat replicare contra Aduocatam Fiscalem, *Sect. VII. nu. XLIII. pag. 126.*

Peritus, Quomodo recusandus à Reo, *Sect. I. nu. XXXV. pag. 13.* Quomodo examinandus, *Sect. III. n. IV. pag. 38.* Quomodo examinandus in casu furti, *Sect. III. nu. XI. pag. 41.*

Peritus. Vide Scriptura.

Probatio. Vide Corpus delicti.

Processus per viam inquisitionis generalis. Vide Visitatio.

Processus per viam inquisitionis specialis emergentibus indicijs ex visitatione iudiciali, Sect. II. num. II. pag. 15. Ex fama præcedente, *ibi. nu. VII. pag. 16.* Recapitulatur, *Sect. X. num. X. & XI. pag. 152. 153.*

Processus, per viam inquisitionis mixtæ. Sect. II. num. XI. pag. 18. Recapitulatur, *Sect. X. num. XII. pag. 153.*

Processus, per viam Denunciationis, Sect. II. num. XII. pag. 18. Recapitulatur, *Sect. X. num. XIII. pag. 149.*

Processus, per viam Accusationis, Sect. II. num. XXI. pag. 22. Recapitulatur, *Sect. X. num. XV. pag. 153.*

Processus, per viam exceptionis, Sect. II. num. XXVII. pag. 23. Recapitulatur, *Sect. X. num. XVI. & XVII. pag. 154.*

Processus, ex indicijs probatis in Processu exceptionis, Sect. II. num. XXXIV. pag. 26. Recapitulatur, *Sect. X. num. XVIII. pag. 154.*

Processus, per viam Notorii, Sect. II. nu. XXXVI. pag. 26. Recapitulatur, *Sect. X. nu. XIX. p. 155.*

Processus, super delicto incidenter cognito in alio iudicio, Sect. II. num. XXXVII. pag. 26.

Processus, contra deprehensum in fraganti delicto, Sect. II. nu. XXXVIII. pag. 27. Recapitulatur, *Sect. X. num. XX. pag. 155.*

Processus, contra Conuentum, qui rebellauit ab Obedientia Prouincialis, Sect. II. num. XXXIX. p. 28. Recapitulatur, *Sect. X. num. XXI. pag. 155.*

Processus, contra Fratres nolentes recipere Visitatorem destinatum à Generali, Sect. II. num. XL. pag. 31. Recapitulatur, *Sect. X. num. XXII. pag. 155.*

Processus, fabricandus à Commissario delegato à Generali, aut Prouinciali, Sect. II. num. XLIV. pag. 33. Recapitulatur, *Sect. X. num. XXV. pag. 156.*

Processus faciendus à Delegato post sibi ampliatam iurisdictionem, Sect. II. num. XLVIII. pag. 34.

Processus fabricandus ab arbitris in casu recusatationis Iudicis Ordinarij, Sect. II. num. XLI. pag. 32. Recapitulatur, *Sect. X. num. XXIII. pag. 155.*

Processus ad instantiam Episcopi, qui transmissit acta à se facta contra Regularem, Sect. II. num. XLIX. pag. 35.
Processus in ordine ad expulsionem incorrigibilis à Religione, Sect. XI. num. II. & seqq. pag. 157.
Processus defensionis, quomodo petatur, & fiat, Sect. VI. num. XXVI. & seqq. pag. 106.
Processuum formæ recapitulantur singulatim, Sect. X. per totam p. 149. & seqq.
Processus ex officio quando quis fuerit carceratus per annum ad expulsionem, & post promissam morum emendationem scandalosè viuit, Sect. XI. num. XIII. & seqq. pag. 160.
Procurator, quomodo, & quando concedendus Reo petenti, Sect. VI. num. IX. & X. pag. 101.
Procuratores destinati à Reo ad assistendum collationi copiarum actorum cum originali, quid facere debeant, Sect. IX. n. XXV. & seqq. pag. 145.
Prorogatio termini defensorij, quomodo petenda à Patrono, decernenda à Iudice, & quæ circa hoc sint obseruanda, Sect. VI. num. XI. XII. XIII. & XIV. pag. 101. & seqq.
Prouincialis, quæ curare debeat in Visitatione iudiciali, Sect. I. num. XII. pag. 6.
Prouincialis. Vide Iudices.

Q

Q *Vercla, quomodo danda, Sect. II. n. XX. pag. 21.*

R

R *Atificatio confessionis à Reo, quomodo facienda, Sect. VII. n. XXXVI. pag. 124.*
Rebellis. Vide Subditus. Vide Monitorium. Vide Processus contra Conuentum.
Recognitio Rei à Testibus, quomodo facienda, Sect. V. num. XXIX. pag. 93.
Recognitio eius, qui negat se esse illum, qui condemnatus fuit in contumacia, Sect. V. num. XXX. pag. 95.
Recusans Iudicem, quid cauere debeat. Sect. I. num. XVII. pag. 9.
Recusatio Iudicis Ordinarij, siue Commissarij in Visitatione iudiciali, quomodo facienda, Sect. I. n. XVI. pag. 8. Quomodo fiat coram honestis Viris, Sect. I. n. XIX. pag. 9. Per modum edicti, quomodo formetur, Sect. I. n. XXI. pag. 10. Incepto processu, quomodo facienda, Sect. I. num. XXIII. p. 12.
Recusatio Commissarij Delegati, quomodo proponatur, Sect. II. num. XLVII. p. 34.
Recusatio Iudicis, quomodo, & quando fa-

cienda à Patrono, Sect. VI. nu. XXXII. p. 108.
Recusatio alicuius de Diffinitorio, quomodo proponenda, Sect. VI. num. XXXVIII. p. 111.
Recusatio Notarij, Periti, &c. quomodo facienda, Sect. I. num. XXV. p. 13.
Remissoriales. Vide Literæ.
Renunciatio defensionum, quomodo facienda, Sect. VI. n. II. p. 95.
Repetitio Testium, quomodo petenda, Sect. VI. n. XIX. p. 103. Quomodo facienda, Sect. VI. num. XXI. & seqq. p. 104.
Repetitio. Vide Testes.
Reus, quomodo recusare debeat Iudicem in Visitatione iudiciali, Sect. I. num. XVI. & seqq. p. 8. Quomodo recusare eundem debeat incepto processu, Sect. I. n. XXIII. p. 12. Quomodo debeat recusare Peritum, Notarium, Consiliarij &c. Sect. I. n. XXIV. & XXV. p. 13. Quomodo debeat recusare Commissarium Delegatum, Sect. II. num. XLVII. p. 34. Quomodo possit recusare aliquem de Diffinitorio, Sect. VI. num. XXXVIII. p. 111.
Reus, quomodo, & quando excipere possit de fama non probata, Sect. II. num. VIII. p. 17.
Reus, quomodo carcerandus, constituendus, & examinandus, Sect. V. num. I. II. & seqq. pag. 79.
Reus, quomodo cogendus, si nolit respondere, aut non præcisè, aut vacillet, variet &c. Sect. V. num. XX. p. 89.
Reus, quomodo examinetur in primò, secundò, & tertio constituto, Sect. V. num. XV. XVIII. & XIX. p. 82. Vel dum torquetur super varietate, aut pertinacia, Sect. V. n. XXII. pag. 90. Quomodo examinetur in delicto Notorio, Sect. V. num. XXXIV. pag. 97. Vel quando repertus est in fragranti delicto, Sect. V. num. XXXVI. pag. 97.
Reus, quomodo citetur, si est fugitiuus, Sect. V. num. X. pag. 81. Quomodo citandus ad Sententiam. Sect. VIII. num. II. p. 128.
Reus, quomodo confrontandus cum Testibus, Sect. V. n. XXV. pag. 91. Quomodo confrontandus cum Socio criminis, Sect. V. num. XXVI. & seqq. p. 92.
Reus, quomodo recognoscendus à Testibus, Sect. V. num. XXIX. p. 93.
Reus, quomodo puniendus, si delinquat coram Iudice, Sect. V. n. XXXII. & XXXIII. p. 96.
Reus, quomodo absolendus ab Excommunicatione. Sect. V. num. XV. p. 82.
Reus, quomodo torquendus, Sect. VII. per totam. pag. 113. & seqq.
Reus confessus in Tortura, quomodo debeat ratificare confessionem, Sect. VII. n. XXXVI. pag. 124.
Reus. Vide Compositio. Vide Tortura. Vide Sententia.

Scriptura, quomodo recognoscenda. *Sect.* IV. num. XXVIII. p. 57. & nu. XXX. p. 58.

Sibili, quomodo adhibendi ad Torturam, *Sect.* VII. num. XI. & seqq. p. 116.

Sententia diffinitiva, quomodo ferenda, *Sec.* VIII. num. II. & seqq. pag. 128. Eius forma generalis tenenda, *Sect.* VIII. num. V. pag. 129. In ea, quæ sint exprimenda, *Sect.* VIII. num. VI. pag. 129. Quomodo danda à Ministro Generali, *Sect.* IX. num. XXXII. p. 148.

Sententia absolutoria in casu delicti non commissi, *Sect.* VIII. num. VII. pag. 129. In casu quod Reus non sit inuentus culpabilis. *Sect.* VIII. n. VIII. pag. 130. In casu, quo Reus purgavit indicia per Torturam, *Sect.* VIII. num. IX. pag. 130. Absolutoria Rei, & Accusatoris. *Sect.* VIII. num. X. pag. 130. Absolutoria Rei, & condemnatoria Accusatoris. *Sect.* VIII. numer. XI. pag. 130.

Sententia condemnatoria Rei conuicti per Testes, *Sect.* VIII. n. XII. pag. 131. Rei confessi, *Sect.* VIII. n. XIII. pag. 131. Rei reperti in fragranti, *Sect.* VIII. n. XXI. p. 134. Rei contumacis, & absentis, *Sect.* VIII. num. XXII. pag. 134. Rei, qui petijt compositionem, *Sect.* VIII. num. XXIII. pag. 137.

Sententia condemnatoria in casu augendæ, aut minuendæ pœnæ ordinariæ. *Sect.* VIII. num. XV. pag. 131. Condemnatoriæ ad pœnam extraordinariam, *Sect.* VIII. n. XVI. pag. 132. In casu Notorij, *Sec.* VIII. num. XX. pag. 134.

Sententia ferenda ab Arbitris, *Sec.* VIII. num. XVIII. & seqq. pag. 133.

Sententia ferenda in processu Exceptiuo. *Sec.* VIII. num. XVII. pag. 132.

Sententia super Appellatione ab interlocutoria, quomodo ferenda à Ministro Prouinciali, *Sec.* IX. num. XVIII. p. 143. Quomodo ferenda à Commissarijs, *Sect.* IX. num. XXIX. pag. 146.

Sententia ad expulsionem, quomodo ferenda, *Sec.* XI. num. XXXIII. pag. 163.

Sententiarum formæ omnes recapitulantur, *Sec.* X. num. VIII. pag. 152.

Superior Localis. Vide Guardianus.

Subditus inobediens, Contumaciter, & Rebellis, quomodo monendus, & carcerandus. *Sect.* XI. n. LXX. & seqq. p. 175. & seqq. Quomodo excommunicandus. *Sect.* XI. n. CX. pag. 184.

T

Testes, quomodo citandi iuridicè, quando sunt absentes. *Sect.* IV. num. XLVIII. p. 67. Quomodo citandi iudicialiter, dum sunt in Conuentu, *Sect.* IV. num. XLIX. pag. 67.

Testes, quomodo vocandi per literas, *Sect.* IV.

num. XLVI. pag. 66.

Testes, quomodo cogendi per Censuras, si sunt Contumaces, *Sect.* IV. nu. LI. pag. 68.

Quomodo absoluedi, si postea resipiscant, *Sect.* IV. n. LIII. pag. 69. Quomodo cogendi à Iudice ad instantiam Patroni, *Sect.* VI. num. XXXI. pag. 107.

Testes, quomodo puniendi, si delinquant irreuerenter coram Iudice, *Sect.* IV. num. LIV. pag. 69.

Testes, quomodo torquendi, si negant scire factum, cui constat fuisse præsentem. *Sect.* IV. n. LVI. pag. 70. Si aliud deponunt cum iuramento, aliud dicunt sine iuramento. *Sect.* IV. num. LVII. pag. 71. Si sint varij, vacillantes &c. *Sect.* IV. n. LX. p. 72. Si sint varij cum suspitione subornationis, *Sect.* IV. n. LXIII. pag. 73. Si sunt inhabiles. *Sect.* IV. num. LXV. pag. 74. Quomodo torquendi, aut cogendi, si non sunt Subditi Iudicis Regularis. *Sect.* IV. num. LXIV. pag. 73. Vide Tortura.

Testes inhabiles, quomodo repellantur à ferendo Testimonio. *Sect.* IV. n. LXVI. & LXVII. pag. 74. Quomodo torquendi, *Sect.* IV. num. LXV. pag. 74.

Testes, quomodo examinandi de nota manu Scriptoris, *Sect.* IV. n. XXIX. pag. 58. Et de inimicitia ad probandum Delinquentem, *Sect.* IV. n. XXXVII. p. 63. Et de inimicitia ad excipiendum contra aliquem. *Sect.* IV. num. XXXVIII. p. 84. Et de Amicitia, Familiaritate, Factione &c. *Sect.* IV. n. XXXIX. pag. 64. Et de moribus, & conuersatione expellendi ab Ordine, *Sect.* XI. num. XIII. pag. 160. Et de pœnitentijs ab eodem factis, *Sect.* XI. n. III. p. 158. Et quando sunt adhibiti ad Visitationem Corporis Delicti, *Sect.* III. n. IX. pag. 40. Et de moribus illius, qui ter deliquit. *Sect.* XI. n. XXX. pag. 165. Et quando præsentantur ab Accusatore, Exceptore &c. *Sect.* IV. num. 40. pag. 65. Et quando delictum est notorium, *Sect.* IV. n. XLIII. pag. 66. Et quando sunt reuersi à pertinacia, *Sect.* IV. num. LV. pag. 70. Vide Examen Testium.

Testes, quomodo repetantur, *Sect.* VI. num. XIX-XXI. & seqq. pag. 103. Vide Repetitio.

Tortura, quomodo danda Reo, *Sect.* VII. per totam, pag. 113.

Tortura Arctationis simplicis, *Sect.* VII. n. VI. pag. 115. Arctationis qualificatæ, & *Sect.* VII. n. VII. pag. 115. Flagellationis, *Sect.* VII. num. X. pag. 116. Sibilorum. *Sec.* VII. num. XI. pag. 116. Funis. *Sec.* VII. num. XIV. & seqq. pag. 117. Ignis, *Sect.* VII. num. XXIX. pag. 121.

Tortura, quomodo replicanda, *Sec.* VII. num. XXXI. & XXXII. pag. 123.

Tortura. Vide Testes, quomodo torquendi.

Tortura super Complicibus, quomodo danda, *Sect.* VII. num. XXXIII. pag. 123.

Torturæ omnes formæ recapitulantur. *Sect.* X. num. VII. pag. 151.

Tortus Fune, quid agendum, si vult leuare Corpus. *Sect. VII. n. XIX. pag. 119.* Si suspensus promittit dicere veritatem, *Sect. VII. n. XX. & XXI. pag. 119.* Si dormiat in Tortura. *Sect. VII. num. XXIII. & seqq. pag. 120.*

V

Visitatio generalis paterna, quomodo fiat à Prouinciali, *Sect. I. nu. II. pag. 1.* Quomodo fiat à Commissario Visitatore cestinato à Generali. *Sect. I. num. VI. pag. 3.* Quomodo fiat à Delegato Prouincialis, siue Visitatoris missi à Generali. *Sect. I. num. VIII. & X. pag. 5.*

Visitatio generalis iudicialis, quomodo facienda à Ministro Prouinciali. *Sect. I. nu. XII. pag. 6.* Quomodo facienda à Delegato, à Prouinciali, vel Generali. *Sect. I. num. XIII. & 14. pag. 7. & 8.*

Visitatio Corporis Delicti, quomodo facienda.

Sect. III. nu. II. & seqq. pag. 37.

Visitator quiuis in actu Visitationis debet legi facere Decretum S. Inquisitionis. *Sect. I. n. V. pag. 1.*

Visitator. Vide *Commissarius Visitator*.

Veneno interfectus, si teneatur aliquis, quomodo Iudex adhibebit Medicos. *Sect. III. num. V. pag. 38.*

Votum Consultoris requirendum, & dandum, quomodo ante Torturam funis, *Sect. VII. num. XIV. pag. 117.*

Votum Iudicum deputatorum ad expulsionem incorrigibilis, quomodo detur. *Sect. XI. num. 21. pag. 162.*

Votum Consultorum deputatorum à Generali super reuisione Cause Appellationis, quomodo fiat. *Sect. IX. num. XXXI. pag. 147.*

Vulneratus quomodo visitandus à Iudice. *Sect. III. num. I. II. & seqq. pag. 37.* Quomodo, & quando examinandus. *Sect. III. num. VIII. pag. 40.*

Iesu Christo Domino, ac Immaculatæ ipsius Matri Laus, Honor, & Gloria.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 12. columna 2. linea 47. *suspacta*. lege *suspecta*. Pag. 19. col. 2. lin. 25. *Pvternitato*. leg. *Paternitate*. Pag. 21. col. 2. lin. 40. *Di*. leg. *Dei*. Pag. 22. col. 2. lin. 2. *Prouinciali*. leg. *Prouinciali*. *ibid.* lin. 20. *etia*. leg. *etiam*. Pag. 26. col. 1. lin. 40. *Indiales*. leg. *iudiciales*. Pag. 27. col. 1. lin. 30. *Furma*. leg. *Forma*. Pag. 29. col. 2. lin. 44. *babere*. leg. *habere*. Pag. 30. col. 2. lin. 10. *Conuentur*. leg. *Conuentus*. *ibid.* lin. 44. *porats*. leg. *portas*. Pag. 31. col. 1. lin. 37. *qued*. leg. *quod*. Pag. 34. col. 1. lin. 23. *sigillentur*. leg. *sigillentur*. Pag. 39. col. 1. lin. 24. *fusifcata*. leg. *falsificata*. Pag. 42. col. 1. lin. 26. *icenula*. leg. *iconula*. Pag. 43. col. 2. lin. penult. *adbiti*. leg. *adhibiti*. Pag. 50. col. 1. lin. 29. *ab hora*. leg. *ob hora*. Pag. 50. col. 2. lin. 12. *examinem*. leg. *examine*. Pag. 80. col. 2. lin. 31. *XI*. leg. *IX*. Pag. 83. col. 1. lin. 14. *principalis*. leg. *principalis quò ad se*, & *Testis*. Pag. 119. col. 2. lin. 34. ante *Potest.* ponatur numerus marginalis *XXII*. Pag. 127. col. 1. lin. 2. *XLIII*. leg. *XLIV*. *ibid.* col. 2. lin. 4. *XLIV*. leg. *XLV*. Pag. 148. col. 1. lin. 8. *XXXII*. leg. *XXXIII*. Pag. 153. col. 2. lin. antepenult. *XV*. leg. *XIV*. Pag. 154. col. 1. lin. 3. *XIV*. leg. *XV*. Pag. 156. col. 2. lin. 3. *XXV*. leg. *XXVI*. Pag. 184. col. 1. lin. 6. *C*. leg. *CX*.

R E G E S T V M

§ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

A a.

Omnes sunt duerniones, excepto Aa, qui est ternio.



R O M Æ M D C X C I I I.

Typis Ioannis Iacobi Komarek Bohemi apud S. Angelum Custodem.

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.

En el mes de Mayo de 1648
por el Rey de España
en el año de 1648
por el Rey de España
en el año de 1648
por el Rey de España

En el mes de Mayo de 1648
por el Rey de España
en el año de 1648
por el Rey de España

En el mes de Mayo de 1648
por el Rey de España
en el año de 1648
por el Rey de España

donde no se ha pagado...
debe de ser...
de dicho año

eee

^{el mozo}
Alfonso Guiraud...
debe de ser...
de dicho año

[Signature]

donar do de...
debe de ser...
de dicho año

[Signature]

... quab[is] in se man[us] ...
... de julio de 631
... de 631 años ...
... de la ...
... de 631 años ...
... quenta ...

Andrés ...
... de 630
... de 648
... de 631 años ...
... de 631 años ...

6. Maria & La. Dixerunt Inpi ad impiissimum taxatum

2/10/10
1/10/10

1/10/10
1/10/10

1/10/10
1/10/10

1/10/10
1/10/10

1/10/10
1/10/10

28

22

06

32

16

28

26

19

45

25

28

56

277

30

280

68

32

102

101

1



B
12
G